

MANUALE
PAROCHORUM,

DE PLERISQUE
FUNCTIONIBUS & OBLIGATIONIBUS,
Ad Parochias, Parochos & Parochianos
attinentibus;

U T

DE ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM,
De Decimis, Oblationibus, Sepulturis, & Bonis Parochorum;
item de Votis, Juramentis, & Usuris,
Materiis scitu utilissimis.

*Non tam curam exercentibus, quàm Juris Canonici & Civilis Cultoribus, simul & omnibus
in Foro versantibus Advocatis & Consultoribus apprimè necessarium.*

PRIMA VENETA EDITIO,
Cum Indicibus Titulorum Rerum & Verborum.

AUCTORE

P. LUDOVICO ENGEL,
ORDINIS SANCTI BENEDICTI
In Exempto Monasterio Mellicensi, Juris Utriusque Doctore,
Salisburgensi Consiliario Ecclesiastico, Procancellario, ac Sacrorum
Canonum Primo Professore.



VENETIIS, MDCCXXXIII.

Apud Josephum Bettinelli.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.


M A N U A L E
P A R O C H I O R U M

DE P R I M I S Q U E
F U N C T I O N I B U S & O B L I G A T I O N I B U S
A d P a r o c h i a s , P a r o c h o s & P a r o c h i a n o s
a t t e n e n t i b u s ;

U T
D E A D M I N I S T R A T I O N E S A C R A M E N T O R U M
D e D e c i m i s , O b i a t i o n i b u s , S e p e l t u r i s , d e B o n i s P a r o c h i a n i s
i t e m d e V i c i s , I u r a t i o n i s , & U t i l i t a t i s
M a t e r i a s s e c u n d u m u t i l i t a t e m

U T
P R I M A V E N I E T A E D I C T I O
C u m s e c u n d a P a r t e d e P a r o c h i a n i s

A U C T O R E
P . L U D O V I C O E N G E L
O R D I N I S S A N C T I B E N E D I C T I
I n P a r t e s , S a n c t i s I m i t a t i o n i s , I u r i s U t r i u s q u e P a r o c h i a n i s
C a n o n i c o C o n s i l i o E c c l e s i a s t i c o , P r o c a t u l l a n o , & S a c r a m e n t a r i o
C a n o n i c o P r i m o P a r o c h i a n o



V E N I E T I S , M D C C X X I I I
A p o d J o s e p h u m B e n e d i c t u m
I n P a r t e s P a r o c h i a n i s

I N D E X

T I T U L O R U M .

P A R S I.

| | |
|--|----|
| Cap. 1. <i>Quid sit Parochia?</i> | 1 |
| Cap. 2. <i>De Aedificatione & Reparatione Ecclesiarum Parochialium.</i> | 5 |
| Cap. 3. <i>De Consecratione Ecclesiarum Parochialium, Altarium & Paramentorum.</i> | 3 |
| Cap. 4. <i>De Reconciliatione Ecclesiarum pollutarum.</i> | 4 |
| Cap. 5. <i>De Immunitate Ecclesiarum Parochialium Locali, Reali & Personali.</i> | 6 |
| Cap. 6. <i>De Exactionibus Episcopalis, quibus Ecclesiae Parochiales subjacent.</i> | 10 |
| Cap. 7. <i>De Alienatione, Praescriptione Bonorum Parochialium, aliisque Ecclesiarum Parochialium Privilegiis.</i> | 11 |

P A R S II.

| | |
|---|----|
| Cap. 1. <i>De Parochorum Institutione & Qualitate.</i> | 12 |
| Sect. 1. <i>De Jure Patronatus.</i> | 13 |
| Sect. 2. <i>De Institutione, Collatione, Concursu.</i> | 16 |
| Cap. 2. <i>De Triplici Qualitate Aetatis, Morum & Scientiae in Parocho requisita.</i> | 18 |
| Cap. 3. <i>An Regulares sint capaces Beneficiorum Curatorum etiam secularium.</i> | 19 |
| Cap. 4. <i>De Vicariis Parochialium Eccles.</i> | 20 |
| Cap. 5. <i>De Obligatione residendi in Parochia.</i> | 21 |
| Cap. 6. <i>De Obligatione Breviarii.</i> | 23 |
| Cap. 7. <i>De Obligatione Missae.</i> | 25 |
| Cap. 8. <i>De Obligatione praedicandi Verbum Divinum.</i> | 26 |
| Cap. 9. <i>De Obligatione Parochianorum observandi Jejunia & Festa.</i> | 26 |

P A R S III.

| | |
|--|------------|
| Præf. <i>De Sacramentis in Genere.</i> | 28 |
| Cap. 1. <i>De Baptismo.</i> | 28 |
| Cap. 2. <i>De Pœnitentia.</i> | 30 |
| §. 1. <i>De Sacramento Pœnitent. in Genere, & Jurisdictione requisita.</i> | ibid. |
| §. 2. <i>De Casibus reservatis Papalibus, & Episcopalis. Item & de effectu Censuræ, Excommunicationis.</i> | 31. & seq. |
| §. 3. <i>De Indulgentiis.</i> | 38 |
| Cap. 3. <i>De Eucharistia.</i> | 39 |
| Cap. 4. <i>De Extrema Unctione.</i> | 41 |
| Cap. 5. <i>De Matrimonio.</i> | 41 |
| §. 1. <i>De Sponsalibus.</i> | ibid. |
| Sect. 1. <i>De Differentia inter Sponsalia; Matrimonium, Conjugium, & Nuptiae.</i> | ibid. |
| Sect. 2. <i>Quomodo contrahantur Sponsalia.</i> | 42 |
| Sect. 3. <i>Quibus modis dissolvantur Sponsalia.</i> | 44 |
| §. 2. <i>De Aetate requisita ad Sponsalia vel Matrimonium.</i> | 46 |
| §. 3. <i>An Parentes pro Liberis, vel Liberi sine consensu Parentum contrahere possint.</i> | 47 |
| §. 4. <i>De Impedimentis impediens Matrimonium.</i> | 48 |
| §. 5. <i>De Impedimentis dirimentibus.</i> | 49 |
| Sect. 1. <i>De Errore.</i> | 49 |

| | |
|---|----|
| Sect. 2. <i>De Conditione.</i> | 50 |
| Sect. 3. <i>De Voto.</i> | 52 |
| Sect. 4. <i>De Cognatione spirituali. 52. Legali. 53. Naturali.</i> | 54 |
| Sect. 5. <i>De Crimine.</i> | 55 |
| Sect. 6. <i>De Disparitate Cultus.</i> | 56 |
| Sect. 7. <i>De Vi.</i> | 56 |
| Sect. 8. <i>De Ordine.</i> | 57 |
| Sect. 9. <i>De Ligamine.</i> | 57 |
| Sect. 10. <i>De Publica Honestate.</i> | 58 |
| Sect. 11. <i>De Affinitate.</i> | 59 |
| Sect. 12. <i>De Impotentia.</i> | 60 |
| Sect. 13. <i>De Dispensatione super Impedimentis.</i> | 62 |
| §. 6. <i>De Solemnitate Matrimonii.</i> | 64 |
| §. 7. <i>De Dissolutione Matrimonii.</i> | 66 |
| §. 8. <i>De Judicio Causarum Matrimonial.</i> | 70 |

| | |
|--|-------|
| <i>Causa Matrimonialis in quo sequentes Quaestiones tractantur.</i> | 71 |
| I. <i>Polygamia quo Jure prohibita, & an aliquo modo possit licere?</i> | 72 |
| II. <i>Matrimonia clandestina quando & quare invalida.</i> | ibid. |
| III. <i>Matrimonium clandestinum an obliget in Conscientia.</i> | 72 |
| IV. <i>Sententia in Causa Matrimoniali an transeat in rem judicatam.</i> | 72 |
| V. <i>Nullitate Matrimonii uni tantum parti cognita, an liceat petere vel exigere debitum.</i> | ibid. |
| VI. <i>Quae sint media ad evitandam redditionem debiti.</i> | 73 |
| VII. <i>An medium in presenti Casu apprehensum fuerit licitum?</i> | 73 |
| VIII. <i>An proles ex Matrimonio illegitimo nata sit legitima?</i> | 74 |

P A R S IV.

| | |
|--|-------|
| Cap. I. <i>De Decimis.</i> | 74 |
| §. 1. <i>Quid sint, cui, & quomodo solvantur Decimae.</i> | ibid. |
| §. 2. <i>Quo fundamento aliis praeter Parochum Jus decimandi competere possit.</i> | 77 |
| §. 3. <i>Qualiter detur immunitas à solvenda Decimis.</i> | 80 |
| Cap. 2. <i>De Primitiis & Oblationibus.</i> | 82 |
| Cap. 3. <i>De Sepulturis.</i> | 84 |
| Cap. 4. <i>De Parochorum potestate disponendi circa sua bona & redditus.</i> | 87 |

P A R S V.

| | |
|--|-------|
| Cap. 1. <i>De Votis.</i> | 92 |
| §. 1. <i>Quid sit votum, quænam ejus Requisita, & Obligatio.</i> | ibid. |
| §. 2. <i>Qualiter Obligatio Voti tollatur.</i> | 95 |
| Cap. 2. <i>De Juramentis.</i> | 97 |
| Cap. 3. <i>De Usuris.</i> | 100 |
| §. 1. <i>Quid sit Usura, ac quo jure prohibita.</i> | ibid. |
| §. 2. <i>De specialibus quibusdam Pactis an sint usuraria.</i> | 103 |
| §. 3. <i>De Restitutione & Pœnis usurariorum.</i> | 106 |

I N D E X

R E R U M E T V E R B O R U M

Magis memorabilium in hoc Manuali Parochorum.

| | |
|--|--|
| <p><i>Actus invalidus.</i> Quare non invalidetur, si fiat contra juramentum, vide <i>juramentum</i>.</p> <p><i>Actus mere voluntatis.</i> In istis casibus non inducitur consuetudo, 83</p> <p><i>Administratio.</i> Administratio Sacramentorum, vide <i>Sacramenta</i>.</p> <p><i>Adoptio.</i> Quid & quotuplex sit? 53 Requisita ad adoptionem, 53</p> <p><i>Adulterium.</i> Cum promissione facta causat impedimentum matrimonii, 55. vide <i>Impedimentum</i>.</p> <p>Quomodo & ex quibus causis propter adulterium divortium fieri possit vide <i>Matrimonii dissolutio</i>.</p> <p><i>Advocati.</i> Advocati Ecclesie, vide <i>Patronus</i>.</p> <p><i>Aequitas.</i> Quando rigori Juris praerenda? 23</p> <p><i>Affinitas.</i> Differentiae inter affinitatem & publicam honestatem, 58 Quid sit affinitas, & quomodo contrahatur? 59 Quomodo affinitas habeat gradus, 59 Vir & uxor sunt principium affinitatis, non vero affines, ibid. Regulae affinitatis traduntur, ibid. Inter quos contrahatur affinitas? 60 Triplex affinitas de Jure antiquo, ibid. Copula perfecta constituit impedimentum affinitatis, 60 Etiam ex copula illicita nascitur affinitas, 60 Differentia affinitatis orta ex copula licita & illicita, ibid. Restrictio Trid. in impedimento affinitatis non extenditur ad consanguinitatem, ibid. Ad quorum gradum affinitas dirimat matrimonium? 62 Cur Jus positivum ad plures gradus impedimentum affinitatis extenderit? 63</p> <p><i>Alienatio Bonorum.</i> Alienatio Bonorum Ecclesiasticorum, vide <i>Bona Ecclesiastica</i>.</p> <p><i>Alimenta.</i> Alimenta, vide <i>Liberi illegitimi</i>.</p> <p><i>Altare.</i> Altaribus specialis consecratio impendenda est, 3 Quid sit Altare portatile & fixum? ibid.</p> <p><i>Approbatio Parochorum Capellanorum.</i> Approbatio potest fieri non tantum verbis sed & facto, 30 Approbatus quoad unam Parochiam non est approbatus quoad totam diocesim, fallit de consuetudine, 30 Capellani Parochorum debent esse approbati ab Episcopo loci, 30</p> <p><i>Arrogatio.</i> Inter quos introducit impedimentum matrimonii? 53</p> <p><i>Asylum malefactorum.</i> Asylum malefactorum, vide <i>Immunitas</i>.</p> <p><i>Attestatio.</i> Attestatio sub fide Sacerdotali, Nobili &c. vide <i>Juramentum</i>.</p> <p><i>Attritio.</i> Quid sit? 30</p> <p><i>Baptismus.</i> Infans debet baptizari, quam primum commodè potest, 28 Minister Baptismi non solemnis est omnis homo ratione praeditus, dummodo habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, solemnis autem Baptismi ministri sunt Episcopi, & Sacerdotes, quandoque etiam Diaconi, 29 Praesente digniore non debet baptizare inferior, ibid. In casu necessitatis probabiliter licet baptizanti uti materia dubia, ibid. Item abiuere partem baptizandi non principalem, ibid. Quando dubium occurrit de Baptismo legitimè collato, debet repeti sub conditione, ibid. In necessitate à laico baptizatus non debet baptizari, nisi rationabile dubium subsit de valore Baptismi, ibid. Non baptizatus salvari potest per Baptismum Fluminis, ibid.</p> | <p>Monstra quomodo & qualiter baptizanda, ibid. Baptismus debet conferri in Ecclesia, fallit in filiis magnatum, ibid. Patrinus tantum debet esse unus, vel ad summum unus et una, ibid. & 55 Parochus hortari debet, ut baptizando detur nomen alicujus Sancti, cujus tutelae committatur, 29 Pater baptizans filium amittit Jus petendi debitum, 53</p> <p><i>Benedicere.</i> Vestis & paramenta ad Missam spectantia etiam benedicuntur, 4 Quibus competat, 3</p> <p><i>Benedictio Nuptiarum. Vide Matrimonii Solemnitas. Beneficium.</i> Non est idem Beneficium curatum, & Ecclesia Parochialis, 1 Quaedam beneficia sunt actu curata, quaedam tantum habitu, ibid. Beneficia ad Jus Patronatus laicorum spectantia non referuntur, 17 Beneficia Regularia Regularibus, saecularia saecularibus conferenda, 19</p> <p><i>Bona Clericorum, Parochorum, & quomodo circa illa potestatem habeant disponendi.</i> Bona Clericorum quadruplicia, 87 Circa patrimonialia competit plena facultas disponendi, & post Clericatum filiosam. advenientia, censentur Jure quasi Castellensis peculii, 88 Idem de Industrialibus, ibid. Idem de parimonialibus, 88 Etiam Parochus Religiosus bona parimonialia habere potest ad usum, ibid. Bona prospectu Ecclesie acquisita non nisi in sui sustentationem, & superflua ad pias causas expendere possunt Patochi, & ibi an Clerici istorum bonorum habeant dominium? ibid. Sustentatio potest desumi ex Ecclesiasticis, licet adsint Patrimonialia, 88 Quomodo accipienda sit sustentatio? ibid. Pulchrum monitum S. Bernardi, 88 Quid veniat nomine piarum causarum? 88 Parochus in officio diligentior plus potest impendere in sui sustentationem, ibid. Bona oeconomia Parochi non debet transire in avaritiam, ibid. Consanguinei non sunt ditandi ex bonis Ecclesie, possunt tamen juvari, ne egeant secundum suum statum, 89 Quantum dicatur notabilis Quantitas reddituum male impensorum, ibid. Male impendentes probabiliter excusantur à restitutione, quamvis haec illis pro tutiori consulenda sit, 89 Quae sunt comparata ex rebus Ecclesiasticis, assument naturam bonorum Ecclesiasticorum, 89 Quis possit Parochis dare licentiam testandi de redditibus Ecclesiasticis? ibid. De Successione in redditibus Ecclesiasticis, 91 Clericorum obaratorum privilegium, 91</p> <p><i>Bona Ecclesiastica.</i> Sub poena Excommunicationis prohibetur, ne Patroni & Advocati Ecclesiarum bona Ecclesiastica usurpent, 8 Res immobiles & mobiles pretiosae Ecclesiarum alienari prohibentur, 11 Quid nomine Alienationis intelligatur, ibid. Quis nomine superioris veniat, cujus autoritas in alienatione requiritur, ibid. Alienatio injusta ipso Jure est nulla, ibid. Bona Ecclesiastica non nisi spatio 40. annorum praescribuntur, ibid. Abbatessae possunt dare consensum in alienatione rerum ad suas Parochias spectantium, 82</p> <p style="text-align: right;"><i>Bona</i></p> |
|--|--|

Index Rerum Memorabilium.

| | |
|--|--|
| <p><i>Bona prospectu Ecclesie acquisita, vide Bona Clericorum.</i></p> <p><i>Breviarium, vide Hora Canonica.</i></p> <p><i>Bulla Cæna, vide pag. 33. Item verbo Excommunicatio.</i></p> <p><i>Cadaver vide Sepultura.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Calix.</i></p> <p>Calices & patenæ specialiter consecrari & ex certa materia confici debent. 3</p> <p>An consecratio repetenda, si calici nova deauratio accedat. <i>ibid.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Cambium & ejus Lucrum vide Usuræ.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Campana.</i></p> <p>Quare Campanæ Ecclesiarum benedicantur & chrismate inungantur. 4</p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Canon Emphyteuticus vide Emphyteusis.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Capellani.</i></p> <p>Capellani Parochorum debent esse approbati ab Episcopo loci ubi serviunt. 30</p> <p>Communi opinione hominum habitus pro legitimo Capellano validè absolvit. 31</p> <p>Quo jure possit Parochus ad breve tempus tenere Capellanum non approbatum. <i>ibid.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Casus Reservatus, Papales & Episcopales.</i></p> <p>Casuum reservatio pertinet ad disciplinam Ecclesiasticam, 32</p> <p>Quid faciendum cum habente casum reservatum. <i>ibid.</i></p> <p>In articulo mortis quis Sacerdos absolvere potest, <i>ibid.</i></p> <p>Absolutus in articulo mortis an evadens teneatur se presentare superiori. <i>ibid.</i></p> <p>Superior tenetur aliquando concedere licentiam inferiori absolventi à reservatis. <i>ibid.</i></p> <p>Reservatio casuum Episcopaliū an duret post mortem Episcopi. 33</p> <p>Casus Papales habent omnem censuram annexam. <i>ibid.</i></p> <p>Excusatus à censura propter defectum culpæ mortalis, vel contumaciæ, vel scientiæ, excusatur à reservatione. <i>ibid.</i></p> <p>In casibus Papalibus consuetudo attenditur, & ibi de Bulla Cænæ. <i>ibid.</i></p> <p>Actus merè internus non est reservatus. <i>ibid.</i></p> <p>Casus Papalis propter difficultatem fit Episcopalis. <i>ibid.</i></p> <p>De privilegiis Regularium absolvendis à casibus reservatis, 34</p> <p>Casus Episcopales pag. 38. <i>vide verbo Excommunicatio.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Catechismus.</i></p> <p>Quid sit? 48</p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Cathedraticum vide Exactiones.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Causa.</i></p> <p>Quid sit? 50</p> <p>Causa & demonstratio qualiscumque semper habetur pro non adjecta. 52. <i>vide Conditio.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Causarum Matrimonialium Judicium vide Matrimonialium.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Causarum Judicium.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Census personalis.</i></p> <p>Quomodo differat à mutuo? <i>vide Usuræ.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Charitativum subsidium vide Exactiones.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Chirographa.</i></p> <p>An licitum sit emere pro minoris pretio. <i>vide Usuræ.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Clericus.</i></p> <p>Cum est minorennis, in beneficialibus habetur pro maiorennis, ut possit agere in judicio, non verò ut careat auxilio restitutionis in integrum. 81. <i>vide Parochus.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Clericorum Exemptio vide Immunitas.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Clericorum oblatorum privilegium. pag. 588.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Cimiterium.</i></p> <p>Ab Episcopo non potest profanari, pag. 2</p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Cognatio.</i></p> <p>Quid sit Cognatio spiritualis? 54</p> <p>Inter quos contrahitur, <i>ibid.</i></p> <p>An si plures levant infantem, omnes contrahant cognationem? 53</p> <p>Ad contrahendam cognationem, requiritur tactus baptizandi. <i>ibid.</i></p> <p>An levans in casu necessitatis contrahat cognationem, <i>ibid.</i></p> <p>An principalis vel procurator levans contrahat cognationem. <i>ibid.</i></p> <p>Cognatio legalis quid sit? <i>ibid.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Collatio.</i></p> <p>Quam jurisdictionem habet S. Pontifex in collatione Parochiarum, & quæ beneficia specialiter eidem reserventur. 17</p> <p>Sede Apostolica vacante omnes Parochiæ per Ordinarios conferri possunt. <i>ibid.</i></p> <p>Quam potestatem Legati de latere & Cardinales habeant in collatione beneficiorum. <i>ibid.</i></p> <p>Quibus de jure vel privilegio competat beneficia conferre. <i>ibid.</i></p> <p>Inter quod tempus beneficia conferenda, & ad quem superior-</p> | <p>rem devolutio fiat, si tempus non observetur. <i>ibid.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Collecta.</i></p> <p>Quomodo Collectæ Ecclesiis imponendæ, & quid de bonis feudalibus sentiendum? 8. <i>vide Exactiones.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Communio vide Sacramentum Eucharistia.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Compensatio Juramenti, vide Juramentum.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Conciones, Concionari.</i></p> <p>Diebus Festivis non debent negligere Parochi Conciones, & Instructionem puerorum. 26</p> <p>Quid in Concionibus proponendum. <i>ibid.</i></p> <p>Non tenentur hodie Parochiani Missam, & Conciones diebus Festivis in propria Parochia audire, <i>ibid.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Concubinatus.</i></p> <p>Ob periculum perjurij non sunt cogendi Clerici ut concubinas abjurent. 19</p> <p>Penæ Concilii habent locum etiam in suspectis sine qualitate concubinatus. <i>ibid.</i></p> <p>Ad eas incurendas in foro conscientiæ requiritur sententia declaratoria. <i>ibid.</i></p> <p>Actualis lapsus carnis qualiter puniendus. <i>ibid.</i></p> <p>Concubinatus non est suspensus, suspensione propriè dicta, <i>ibid.</i></p> <p>An & quando in divinis vitandus. <i>ibid.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Concurfus.</i></p> <p>Parochiæ post Tridentinum per concursum conferendæ, & quid circa examen observandum sit. 17</p> <p>Quinam admittendi ad concursum, si jus patronatus pertineat ad Laicum, vel Ecclesiasticum. <i>ibid.</i></p> <p>Si Parochia sine concursu confertur collatio est nulla, & ad sedem Apostolicam devolvitur. 18</p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Conditio.</i></p> <p>Quid sit? 50</p> <p>Differentia Modi & Conditionis. <i>ibid.</i></p> <p>Conditio vel modus contra substantiam matrimonij illud annullat, <i>ibid.</i></p> <p>An Conditio contra bona matrimonij sed honesta matrimonium invalidet? 51</p> <p>Conditio & modus turpis vel impossibilis habentur pro non adjectis, <i>ibid.</i></p> <p>Conditio vel modus impossibilis joci causa adjectus præsumitur. <i>ibid.</i></p> <p>Conditiones turpes de præterito non invalidant matrimonium. <i>ibid.</i></p> <p>An sponsalia invalidentur per adjectionem conditionis turpis vel impossibilis. <i>ibid.</i></p> <p>Sponsalia consanguineorum sub conditione: si Papa dispensaverit, contracta valent, <i>ibid.</i></p> <p>Quando Parochi & testium præsentia requiratur ad matrimonium conditionatum? <i>ibid.</i></p> <p>Sponsi utentes copula, non videntur recedere à conditione apposta. 52</p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Confessiones.</i></p> <p>Parochus potest suorum subditorum confessiones audire etiam extra suam Parochiam. 30</p> <p>Parochus debet audire Confessiones, quoties Parochiani ratiōnabiliter petunt. 31</p> <p>Non debet esse difficilis in concedenda licentia ut alteri confiteantur. <i>ibid.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Conjugium.</i></p> <p>Quid sit conjugium? 42</p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Consanguinitas.</i></p> <p>Quid sit? 22</p> <p>Explicantur nomina consanguinitatem exprimentia, 23</p> <p>Etiā ex copula illicita nascitur impedimentum consanguinitatis. <i>ibid.</i></p> <p>Linea quid & quotuplex? 54</p> <p>Regulæ pro consanguinitate. <i>ibid.</i></p> <p>Regulæ juris Civilis circa consanguinitatem. <i>ibid.</i></p> <p>Ad quorum gradum extendatur impedimentum consanguinitatis. <i>ibid.</i></p> <p>Ad quorum gradum consanguinitas dirimat matrimonium? 62</p> <p>Cur jus positivum ad plures gradus impedimentum consanguinitatis extenderit? 63</p> <p>Consanguinei non sunt ditandi ex bonis Ecclesiasticis, possunt tamen juvari. 89</p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Consecrare.</i></p> <p>Quibus vel jure vel ex privilegio competat consecrare, & benedicere Altaria, Calices, &c. 4</p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Consecratio Ecclesiarum, Altarium, vide Ecclesia.</i></p> <p style="padding-left: 2em;"><i>Consuetudo.</i></p> <p>In actibus meræ voluntatis non inducitur consuetudo. 83</p> |
|--|--|

Index Rerum Memorabilium.

| | | | |
|---|-------|--|--------|
| <i>Contractus.</i> | | Ecclesia habet dominium in Decimis nondum solutis in sui fa- | |
| Difficultates novæ emergentes vel non prævisæ quomodo tol- | | vorem, quamdiu dominium sibi est utile. | 81 |
| lant obligationem contractuum? | 93 | Immunitas per contractum potest acquiri gratis, vel pro alia re | 82 |
| Contractus licitus sub nomine mutui, vide <i>Usura.</i> | | spirituali. | |
| Contractus censualis quid sit? vide <i>Usura.</i> | | Quo sensu pro re temporali possit acquiri immunitas à solven- | |
| <i>Contractus.</i> | | dis Decimis? | ibid. |
| Quid sit? | 30 | Pauperes an sint immunes à solvendis Decimis. | ibid. |
| <i>Crimen.</i> | | Quis in causa Decimarum sit Judex competens? | ibid. |
| Quid nomine criminis intelligatur? | 55 | <i>Demonstratio.</i> | |
| Sola promissio non constituit impedimentum. | ibid. | Quid sit? 50. vide <i>Causa. Conditio.</i> | |
| Quando & quæ machinatio constituat impedimentum? | ibid. | <i>Denuntiationes vide Matrimonii solemnitas.</i> | |
| Machinatio debet habuisse effectum. | ibid. | <i>Dispensatio.</i> | |
| Occisio tam viri quàm femine causat impedimentum. | ibid. | Non tantum verbis, sed & facto fieri potest. | 30 |
| <i>Culpa.</i> | | De litteris dispensationum quæ Romæ dirigantur ad Parochos | |
| Multa sunt sine culpa vera, quæ non sunt sine culpa præ- | | vel Confessarios. | 31 |
| sumpta. | 87 | Dispensatio super impedimentis Matrimonii Parte III. Cap. V. | |
| <i>Cultus Disparitas.</i> | | §. V. Sect. 13. per tot. vide <i>Votum.</i> | |
| Matrimonium Catholicum cum hæretica est illicitum, non ta- | | <i>Dissolutio Matrimonii vide Matrimonii dissolutio.</i> | |
| men invalidum, & quid in Germania? | 56 | <i>Divortium vide Matrimonii dissolutio.</i> | |
| Præta ut liberi aliqui in fide hæretica educantur sunt im- | | <i>Ecclesia.</i> | |
| pro. | ibid. | Quæ ceremonia, & forma in ædificandis Ecclesiis servan- | |
| Contrahentes in infidelitate cum impedimento, an sint sepa- | | da. | pag. 2 |
| randi post conversionem amborum? | ibid. | Quomodo Ecclesie Parochiales ruinosa reputanda, | |
| An & quando conuersus possit repellere alterum conjugem non | | Materialia, ut ligna &c. destructa Ecclesie in profanos usus | |
| conuersum? | ibid. | possunt converti. | ibid. |
| Quinam intelligantur nomine infidelium? | ibid. | Si Ecclesia casu destructa reædificetur, non amittuntur Indul- | |
| <i>Cura Animarum.</i> | | gentiæ vel privilegia tali loco concessa, nisi destructio facta | |
| Regimen animarum ars artium. | 18 | sit in vindictam sceleris. | 3 |
| Cura animarum an sit penes Vicarium, vel exponentem? | 21 | A quo & quibus ceremoniis Ecclesie sint consecrandæ, | ibid. |
| <i>Damnnum emergens, vide Usura.</i> | | Quibus casibus destructa, & reædificata Ecclesie sint consecran- | |
| Debitum conjugale vide <i>Matrimonialium causarum</i> | | da, | ibid. |
| <i>judicium.</i> | | Specialis consecratio etiam altaribus impendenda est, | ibid. |
| Quæ sint media ad evitandam redditionem Debiti. | 73 | Quando Ecclesia censetur polluta. | ibid. |
| <i>Decima.</i> | | Cur tantum ob sanguinis & feminis effusionem, & non alia de- | |
| Quid & quotuplex sint Decimæ? | 74 | lita, Ecclesia polluat. | ibid. |
| Decimæ quatenus sint Juris divini? | 75 | Quid faciendum si Ecclesia polluat per sepulturam infidelis, | |
| Pro Decimis Parochus habet intentionem fundatam in Ju- | | hæretici, &c. | 5 |
| re. | ibid. | An sepultura catechumeni vel infantis non baptizati Ecclesia | |
| Cui Parocho solvendæ sint Decimæ? | ibid. | polluat. | ibid. |
| Quid sint & cui debeantur Decimæ Novalium? | ibid. | Cur locus sacer potius censetur pollui, per sepulturam pagani, | |
| Laici habentes jus decimandi ex privilegio vel infeudatione non | | &c. quam decedentis in notorio crimine, | ibid. |
| possunt exigere Decimas Novalium. | ibid. | Polluta Ecclesia sit per omne homicidium injuriosum in ea | |
| Idem de Religiosis qui jus decimandi à Laicis acceperunt. | ibid. | perpetratum. | ibid. |
| An Ecclesiastici habentes jus decimandi possint petere Decimas | | An polluta censenda sit Ecclesia, si intra eam bannitus occi- | |
| Novalium? | ibid. | datur. | ibid. |
| Parochus potest prohibere, ne Decimæ separentur se vel suo | | Quid sit sentiendum de sacrilega occisione viri sancti intra Ec- | |
| nuntio absente. | 76 | clesiam. | ibid. |
| An in solutione Decimarum admittenda sit impenfarum dedu- | | Non per mortem sed per injuriosam occisionem intra Ecclesiam | |
| ctio? | 76 | factam, polluitur Ecclesia, | ibid. |
| De jure decimæ sumptibus Parochianorum deferendæ sunt ad | | Per quam vulnerationem censetur pollui Ecclesia, | ibid. |
| horrea Parochorum. | ibid. | Quando per voluntariam feminis humani profusionem polluat- | |
| Moram committenti nocet interitus Decimarum. | ibid. | ur Ecclesia, & quid de copula conjugali sentiendum? | ibid. |
| Decimæ non solutæ an sequantur possessionem prædii? | ibid. | Si effusio sanguinis vel feminis fiat tantam in parte vicina Ec- | |
| Qualis actio competat contra tertium possessorem? | ibid. | clesiæ, v.g. Sacrificia &c. non censetur polluta Ecclesia. | 6 |
| Exceptio circa decimas competentes Laicis ex privilegio. | 77 | Qui sint effectus pollutionis. | ibid. |
| Ecclesiastici acquirunt Decimas ex privilegio, incorporatione, | | Quid faciendum Sacerdoti, si durante Missa contingat pollu- | |
| præscriptione, & donatione Laicorum. | ibid. | tio. | ibid. |
| Quid requiratur ad præscriptionem Decimarum. | 78 | An per solam Missam reconcilietur Ecclesia. | ibid. |
| Laici quamvis sint incapaces Decimarum; possunt tamen ali- | | An Episcopus possit dispensare, ut ante reconciliationem le- | |
| quot modis eas habere. | ibid. | gantur Missæ, | ibid. |
| Præscriptione immemoriali non potest Laicus Jus directum de- | | An inferior Episcopo possit reconciliare. | ibid. |
| cimandi acquirere, | ibid. | Ecclesiæ præscriptionem vel aliâ intra aut extra judicium læsæ | |
| Laici multi habent decimas cum periculo animarum sua- | | datur beneficium restitutionis in integrum, | 12 |
| rum. | ibid. | <i>Ecclesiæ Veritum.</i> | |
| Ex temporis immemorialitate præsumitur omni meliori modo | | Quid sit? | 48 |
| pro Decimis Laicorum. | ibid. | <i>Emphyteusis.</i> | |
| Quid interfit an Laicus præscripserit Decimas, vel an tantum | | Canon Emphyteuticus potest præscribi. | 79 |
| ex præsumptione relinquatur in possessione. | ibid. | <i>Episcopus.</i> | |
| Qualiter probetur immemorialitas in causa Decimarum? | 79 | Nomine Episcopi veniunt etiam inferiores Prælati habentes ju- | |
| Differentia, cur magis res Ecclesiæ immobiles præscribi pos- | | risdictionem quasi Episcopalem. | 18 |
| sint, quàm jus utile decimandi. | 80 | <i>Error.</i> | |
| Prohibitio Concilii Lateranensis potest consuetudine abro- | | Est alius in persona, alius in qualitate. | 49 |
| gati. | 79 | Error in qualitate non causat impedimentum, nisi in tribus ca- | |
| Qualiter detur immunitas à solvendis Decimis? | 80 | sibus. | ibid. |
| Religiosi quomodo exempti à solutione Decimarum? | ibid. | Quando dicatur error qualitatis redundare in errorem perso- | |
| An privilegium immunitatis à solvendis Decimis communicari | | nar. | 50 |
| possit? | ibid. | Error servilis conditionis an etiam hodie locum habeant, maxi- | |
| Consuetudine datur etiam immunitas, sed regulariter tantum | | mè in illis qui vulgo <i>Beibeign</i> vocantur. | ibid. |
| immemoriali. | ibid. | <i>Eucharistia, vide Sacramentum Eucharistia.</i> | |
| Præscriptione etiam Laici immunitatem acquirunt. | 81 | <i>Exactiones Ecclesiastica.</i> | |
| Quanto tempore præscribatur immunitas. | ibid. | Quæ sint Exactiones Ecclesiasticæ. | 10 |
| A restitutione Decimarum ante completam præscriptionem non | | Exactio priorum fructuum consuetudine introducta est, | ibid. |
| excusat consumptio bona fide facta, aut triennis possessio. | 81 | Quid sit Cathedralicum? ad id tenentur omnia beneficia, | ibid. |
| | | Quid | |

Index Rerum Memorabilium.

| | | | |
|---|-------|---|--------------|
| Quid charitativum subsidium? | 10 | Parochus regularis quando teneatur ad restitutionem, | 24 |
| Causæ petendi charitativum subsidium debent esse manifestæ & rationabiles, | ibid. | Quid de Vicariis perpetuis dicendum, | ibid. |
| A quibus exigendum charitativum subsidium? | ibid. | Quid veniat nomine pauperum & fabricæ Ecclesiæ, quibus facienda est restitutio. | ibid. |
| Pensiones alumnaticas Episcopus exigere potest ab omnibus beneficiis suæ Diocesis, | ibid. | Causæ excusantes ab oratione, | ibid. |
| Quid sit Procuratio? | ibid. | Quandonom is qui potest partem orare, sed non totum, teneatur ad partem orandam, | ibid. |
| Quid portio Canonica & quarta Decimarum? | 11 | <i>Jejunium.</i> | |
| Potest præscriptione vel consuetudine aboleri. | ibid. | Jejunium incidens in bacchanalia, potest anticipari. | 26 |
| <i>Excommunicatio.</i> | | Quales cibi interdicti in jejunio. | ibid. |
| Catalogus Excommunicationum Papæ reservatarum. à pag. 34. usque ad pag. 35. | | De Refectione, | ibid. |
| Excommunicationes reservatæ extra Bullam Cœnæ. à pag. 35. usque ad 36. | | De tempore refectionis. | 27 |
| Adnotatio de Excommunicatione & ejus effectu à pag. 36. usque ad pag. 38. | | Causæ excusantes à jejunio. | ibid. |
| Excommunicati etiam non denunciati privantur sepultura, nisi excommunicatio sit occulta. | 86 | Hæreticorum fides ex contemptu jejunii suspecta, comparantur dissolutis Monachis. | ibid. |
| <i>Exemptio Clericorum vide Immunitas.</i> | | <i>Immemorialitas.</i> | |
| Qualiter conferatur, & quis ejus effectus? | 41 | Ex Immemorialitate non oritur præsumptio Juris & de Jure. | 79 |
| Ungendus debet esse capax peccati, | ibid. | Immemorialitas etiam tunc est, quando non constat de initio possessionis, licet constet de contrario. | 79 |
| Extrema Unctio non datur, quando mors imminet ab extrinseca violentia, | ibid. | An tempus immemorabile debeat 100. annos excedere. | ibid. |
| Quomodo conferenda sit Extrema Unctio, quando periculum in mora est, | ibid. | Qualiter probetur immemorialitas? | ibid. |
| Ungendus debet saltem esse attritus. | ibid. | <i>Immunitas Ecclesiastica.</i> | |
| Sitne danda Unctio illi, de cujus peccato constat, sed non constat de Pœnitentia? | ibid. | In quibus consistat Immunitas localis, & qui actus profani prohibeantur in loco sacro, | 6 |
| Extrema Unctio est reiterabilis, | ibid. | Quo Jure Asylum sit concessum, & in quibus consistat. | 6 |
| Parochus debet singulis annis novum oleum petere ab Episcopo, nec uti veteri nisi in necessitate. | ibid. | An reus ab Ecclesia egressus vel dimissus possit corporaliter à judice sæculari puniri, | ibid. |
| Si oleum non sufficiat pro toto anno, potest admisceri non consecratum, in minori tamen quantitate, | ibid. | Quomodo Clerici confugam defendere debeant. | 7 |
| <i>Festa.</i> | | Judices sæculares reo pœnam corporalem remittere tenentur, & quid si recusent? | ibid. |
| Præceptum de observatione Fæstorum duplex, | 27 | Reus propria sponte Ecclesiam egrediens, suo privilegio renuntiasse videtur, | 7 |
| Quænam dicantur opera liberalia, & quæ servilia, | ibid. | Si crimen confugientis ad Ecclesiam sit mixti fori, datur locus præventioni, | ibid. |
| In quibus casibus liceat in die Festo opus servile facere, | ibid. | An judex prohibeatur custodire reum, ne clam aufugiat, & unde alimenta ei subministranda? | 7 |
| Ut opus servile in Festo licitè fiat, requiritur consensus Episcopi, vel saltem Parochi, | ibid. | Quid faciendum, si Reus Immunitate Ecclesiastica non gaudeat. | 7 |
| Festum incipit à media nocte, & durat usque ad mediam noctem, | ibid. | Quinam censentur indigni Immunitate Ecclesiastica? | ibid. |
| Quæ causæ excusent ab auditione Missæ in die festivo. | ibid. | Consuetudo in materia Immunitatis attendenda est. | 7 |
| Dies festi non sunt agendi per luxum & commestationes. | ibid. | Qui sint effectus Immunitatis realis & personalis. | 7 |
| <i>Feudum.</i> | | Hæc Immunitas quo Jure sit fundata? | ibid. |
| Obligationi præstandi servitia feudalia potest præscribi, | 79 | Non valet contra hanc Immunitatem ulla consuetudo vel præscriptio. | ibid. |
| <i>Fœnus Judæis concessum, vid. Usura.</i> | | Per privilegium S. Pontificis laico potest tribui Jurisdictio in res & personas Ecclesiasticas, | 3 |
| <i>Fœnus, vid. Sepultura.</i> | | Res Parochorum & Clericorum sunt exemptæ, | 8 |
| <i>Hermaproditus.</i> | | Clerici non nisi coram Judice Ecclesiastico conveniri, nec huic privilegio renuntiare possunt. | 8 |
| An & quomodo possit contrahere matrimonium? | 61 | Quomodo & quando Clericus in judicio sæculari ad testimonium dicendum vocandus sit? | 8 |
| <i>Honestas Publica.</i> | | Judex sæcularis non potest punire Clericum testimonium falsum deponentem. | 8 |
| Quid sit & quomodo differat ab Affinitate, | 58 | An Clericus coram judice sæculari reconveniri possit? | 8 |
| Differentia Juris antiqui & hodierni circa honestatem publicam, | ibid. | Familia Clericorum etiam gaudet Immunitate Ecclesiastica, & privilegio fori. | 9 |
| Hoc impedimentum non manet sponsalibus mutuo consensu dissolutis, | ibid. | In causa eversionis Clericus defendere tenetur suum emptorem coram laico. | ibid. |
| Manet tamen, si solvantur ex qualibet alia causa, | 59 | Clericus corrus in causa Civili & Criminali coram Ecclesiastico judice conveniendus est. | ibid. |
| Ex matrimonio in forma Tridentini non contracto, non oritur hoc impedimentum, | ibid. | Clericus heres laici, coram quo judice actiones hereditarias instituere debeat, | ibid. |
| Quid si quis cum duabus sororibus successivè contrahat sponsalia? | ibid. | Quid si lis cum defuncto jam contestata fuerit, | ibid. |
| An & quando hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus conditionatis. | ibid. | <i>Immunitas à solvendis Decimis, vide Decima.</i> | |
| An confurgat hoc impedimentum ex matrimonio vel sponsalibus à parentibus pro liberis contracto? | ibid. | <i>Impedimenta Matrimonii.</i> | |
| <i>Hora Canonica.</i> | | Quid & quotuplicia sint Impedimenta? | 48 |
| Beneficiatus etiam curatus omittens Horas Canonicas tenetur ad restitutionem, | 23 | Impedimenta Impedientia enumerantur. | ibid. & seq. |
| Controversia an Parochus ad omnes fructus restituendos teneatur ex omissione Breviarii, | ibid. | Quid sit Ecclesiæ veritum? Quid tempus feriarum? Quid Catechismus? | ibid. |
| Æquior est sententia, ut propter onera parochialia possit aliquam partem deducere. | ibid. | Quid incestus? | ibid. |
| Beneficiatus in primis 6. mensibus omittens Horas non tenetur ad restitutionem secus tamen videtur, si obligatio orandi incumbat ex fundatione, | ibid. | Superveniente post matrimonium saltem ratum affinitate per copulam incestuosam pars delinquens perdit jus exigendi debitum. | ibid. |
| Qualis attentio requiratur in orando Breviario, | ibid. | Sponsus committens peccatum cum consanguinea sponsæ committit Impedimentum dirimens, | 49 |
| Sine interna attentione recitans probabiliter potest excusari à restitutione, | 24 | Raptus olim Impedimentum impediens, hodie post Concil. dirimens. | ibid. |
| Qui Psalmos unius horæ interruptim dicit sine causa, peccat quidem venialiter, satisfacit tamen præcepto, | ibid. | Quid sit susceptus propriæ sobolis? | ibid. |
| Similiter qui ex errore unum officium pro alio dicit, | ibid. | Quid mors seu occisio Presbyteri? | ibid. |
| Capellani non tenentur ad restitutionem, si Breviarium omitant, | ibid. | Quid pœnitentia solennis? | ibid. |
| | | Qui sanctimoniale ad matrimonium saltem tentaverint, etiam cum alia persona nunquam contrahere possunt, | ibid. |
| | | Quænam Impedimenta hodie sint in usu? | ibid. |

Index Rerum Memorabilium.

| | |
|---|---|
| <p>Quid sint Impedimenta dirimentis? 49 <i>vide Error.</i> Conditio, modus, demonstratio, Causa, quid sint, 50. & seq. <i>vide Error. Votum. Cognatio. Consanguinitas. Linea. Crimen.</i> Homicidium factum non causa matrimonii non causat impedimentum. 55 Adulterium ex promissis diverso etiam tempore factis causat impedimentum, ibid. Soluta ignorans complicem esse uxorum acceptans promissionem non contrahit impedimentum. ibid. Qualis debeat esse promissio ut causet impedimentum, ibid. Ex continuo usu Ecclesie irritum est matrimonium fidelis cum infideli. 56. <i>vide Cultus Disparitas. Item Vir. Ordo. Honestas Publica. Nuptia. Polygamia. Affinitas. Impotentia.</i> Qualiter & qualia Impedimenta tolli possint. 62 Quae Impedimenta non admittant dispensationem, & ibi quid de Casu Erfurdiano. 46 Decem causas, propter quas dispensatio conceditur. 63 Quando dispensatio valeat imperata per allegacionem falsitatis, aut suppressionem veritatis, ibid. Exempla allegata falsitatis & suppressae veritatis. ibid. Quis praeter S. Pontificem super impedimentis dispensare possit? ibid.</p> <p style="text-align: center;"><i>Impotentia.</i></p> <p>Est impedimentum dirimens Matrimonii. 60 Quanam requirantur, ut Impotentia dirimat matrimonium, ib. An sterilitas vel senectus sit impedimentum? ibid. Quomodo probetur an Impotentia sit perpetua vel temporalis? 61 Quid juris, si dissoluto primo, Impotentia cesset in secundo matrimonio? ibid. An separari possint, qui scienter impotentes contraxerunt. ib. An Impotentia superveniens matrimonio rato illud dirimat? 62</p> <p style="text-align: center;"><i>Incestus.</i></p> <p>Incestus quid sit? 48 Poenae incestus non extenduntur ad incestum cum propria consanguinea commissum. ibid. Incestus etiam post mortem conjugis commissus annexas habet constitutas poenas, ibid. Incestus commissus ultra secundum gradum non habet annexas illas poenas, ibid. Ut mereatur Incestus poenas, copula debet esse perfecta. 49 Poenae incestus non extenduntur ad peccatum cum cognatis spiritualibus, ibid. Confessarius non tenetur monere Incestuosum, invincibiliter ignorantem suae obligationis. ibid.</p> <p style="text-align: center;"><i>Indulgentia.</i></p> <p>Quid sint Indulgentiae? 38 Sunt ex meritis Christi, ibid. Satisfactio pro peccatis debita, 39 Indulgentiae quotuplices, ibid. Indulgentiae de poenitentis injunctis, intelliguntur etiam de injungendis, ibid. Quis concedat Indulgentias, & an Episcopales profint Exemptis. ibid.</p> <p style="text-align: center;"><i>Industria Bona, vide Bona Clericorum.</i> <i>Infideles, vide Cultus Disparitas.</i></p> <p style="text-align: center;"><i>Investitura.</i></p> <p>Quis possit instituere Clericum in beneficio, & quid sit institutio? 16 Investitura alia est verbalis, alia realis. 17 <i>Institutio Parochorum, vide Parochus, & Investitura.</i> <i>Item Collatio.</i> <i>Jubilaeum.</i></p> <p>Quid sit? 39 <i>Judicium Matrimonialium Causarum, vide Matrimonialium Causarum Judicium.</i> <i>Juramentum.</i></p> <p>Quid sit & quibus modis aut verbis fiat? 98 An licitum sit jurare? ibid. Attestatio sub fide Sacerdotali, nobili &c. An sit juramentum? ibid. Juramentum debet habere 3. Comites, nimirum Veritatem. ibid. Judicium. ibid. Justitiam, 99 Juramentum contra jus quando validum? 98 Juramentum assertorium non est necessarium de re honesta, & quando in eo committatur injustitia? 99 Juramentum rei indifferentis non obligat. ibid. Pacta invalida an, & quando juramento confirmantur? ibid. Juramenti obligatio qualiter relaxetur? ibid. Juramentum regulatur secundum naturam actus, cui adjicitur, ibid.</p> | <p>Actus alius validus non invalidatur, si fiat contra juramentum. 100 Qui juravit se soluturum, an possit compensare? ibid. De restrictione mentali. ibid.</p> <p style="text-align: center;"><i>Jurisdiclio prorogata.</i></p> <p>Quatenus etiam in foro interno procedat, 32 <i>Jus furandi, vide Sepultura.</i> <i>Jus utile.</i></p> <p>Potest ex consuetudine a laico in laicum alium alienari. 79 Jus utile potest quidem praescribi contra laicos, sed non contra Ecclesiam. ibid.</p> <p style="text-align: center;"><i>Liberi illegitimi, naturales.</i></p> <p>Liberi illegitimi Parochorum an succedant, & an hodie dentur proprie naturales? 90 Circa alimenta natis ex damnato coitu praestanda, non est inter utrumque Jus differentia. 91 <i>Ligamen, vide Nuptia, Polygamia.</i> <i>Linea.</i></p> <p>Quid & quotuplex? 54 In quibus lineis, & qualiter matrimonium dirimatur? 54 <i>vide Consanguinitas.</i> <i>Lucrum cessans, damnum emergens, vide Usura.</i> <i>Matrimonium.</i></p> <p>Quid & quotuplex? 41 Quid Matrimonium legitimum? ibid. Quid ratum? ibid. Quid consummatum? 42 Sponsalia semiplena impedimenti probatione solvuntur, sed matrimonium tantum plena, 45 Quae aetas requiratur ad contrahendum matrimonium? 46 Valet matrimonium ex gravi causa ante annos pubertatis dispensative contractum, 47 Matrimonium inter puberes contractum an valeat saltem in vim sponsalium. ibid. Quomodo & quando saeculares Principes matrimoniis poenam statuere possint? ibid. Parentes liberorum matrimonia sine causa impedire non possunt, nec tamen impediunt excommunicationem incurant. 48 Consensus vel dissensus habitualis nihil operatur, & dolosa persuasio non irritat matrimonium. 50 An valeat matrimonium in articulo mortis contractum cum concubina, 61 Matrimonium aliud proprie tale, aliud improprie seu attentatum. 67 <i>Matrimonium clandestinum, vide Matrimonii Solemnitas.</i> <i>Matrimonium Secundum, vide Nuptia.</i> <i>Matrimonii Solemnitas.</i></p> <p>Duplex est, 64 Quotuplex Solemnitas extrinseca, ibid. Poenae Sacerdotis omittentis denuntiationes, ibid. Quibus diebus possint fieri denuntiationes, ibid. Quando & cur omitti possint? ibid. De Benedictione secundarum Nuptiarum. ibid. Poenae Sacerdotis benedicientis secundas Nuptias, ibid. Intrinseca Solemnitas matrimonii. ibid. Tridentinum per Solemnitatem intrinsecam invalidavit matrimonia clandestina, ibid. Resolvitur haereticorum argumentum pro matrimonio clandestino, 65 Quis sit proprius Parochus contrahentium? ibid. Quis Parochus vagorum? ibid. Parochus non ut minister, sed ut testis excellens assistit, ibid. An valide assistat alienus Parochus ex praesumpta licentia vel ratihabitione. ibid. Parochus non debet facile credere dicenti se habere licentiam, ibid. An Parochus alienus valide adfuerit matrimonio ex praesumpta licentia, quae revera quidem data est, assistenti tamen non innotuit, ibid. In matrimonio quales testes sufficiant? 66 Necessitas vel ignorantia non excusat ab observatione for- mae, ibid. De matrimonio contracto in loco, vel ab incolis non recepti Concilii, ibid. Matrimonium clandestinum quando & quare invalidatum. 72 An post Tridentinum ex matrimonio clandestino saltem in conscientia nascatur obligatio? ibid. <i>Matrimonii dissolutio & Separatio.</i></p> <p>Magis interdum congruum est, impedimentum quovis modo tollere, quam conjuges invitos ab invicem separare. 67 Qualiter matrimonium nullum ex defectu consensus in alterutro revalidari possit? ibid.</p> <p style="text-align: right;">Qua-</p> |
|---|---|

Index Rerum Memorabilium.

- Qualiter matrimonium cessante impedimento dirimente occulto revalidari debeat? 67
- An ad revalidationem matrimonii debeant etiam repeti solennitates? *ibid.*
- An Parochus vel Confessarius teneatur monere habentes impedimentum, si id ignorent? *ibid.*
- Matrimonium dupliciter dissolvi potest, vel quoad vinculum, vel quoad thorum. *ibid.*
- Matrimonium ratum duobus tantum casibus: Consummatum verò nunquam, excepta morte, quoad vinculum dissolvi potest, *ibid.*
- Occurrit objectioni Hæreticorum contententium saltem ob adulterium matrimonium consummatum etiam quoad vinculum solubile esse. *ibid.*
- Matrimonium consummatum 6. de causis quoad thorum dissolvi potest, 68
- Ex solo adulterio matrimonium consummatum quoad thorum in perpetuum dissolvitur, *ibid.*
- An sicut maritus uxorem, ita uxor etiam maritum propter adulterium dimittere possit? *ibid.*
- An etiam oscula, vel amplexus uxoris aut suspicio tantum adulterii divortium causare possint? *ibid.*
- Quales probationes requirantur, ut iudex divortii sententiam ex causa adulterii proferre valeat? *ibid.*
- Ob paritatem delicti negatur divortium, etiam si pars innocens primum post latam sententiam adulterium committat. *ibid.*
- Maritus uxori etiam indirectè tantum dans causam adulterii, divortium petere non potest. *ibid.*
- Bona fides, uti & violenta oppressio, vel etiam metus cadens in constantem mulierem excusat à divortio. *ibid.*
- Tollitur divortium ex condonatione injuriæ, & quomodo hæc condonatio fieri possit? 69
- Si conjux innocens nocenti injuriam condonet, tenetur nocens acceptare, & ad cohabitationem redire. *ibid.*
- Cur hæresis sit causa divortii? *ibid.*
- An conjux catholicus teneatur recipere hæreticum post latam sententiam revertentem? *ibid.*
- Meritò etiam ob periculum peccati divortium fieri debet. *ibid.*
- Demum ex sævitia conjugis rectè dissolutio matrimonii petitur. *ibid.*
- An separatio matrimonio putativo, filii inde nati sint legitimi? 74 *vide plura in sequenti rubrica.*
- Matrimonialium Causarum Judicium.*
- Omnes causæ matrimoniales coram solo iudice Ecclesiastico tractari debent. 70
- Causæ matrimoniales de jure tantum ad Episcopos, eorumque Vicarios pertinent. *ibid.*
- Conjux propria autoritate compartem dimittens, tenetur iterum recipere, non obstante quocunque impedimento. 63
- An post receptionem non obstante impedimento licitus sit conjugii usus. *ibid.*
- Non tantum conjuges, sed quicumque notitiam habent impedimenti, matrimonium accusare possunt. *ibid.*
- Conjugibus impedimentum ultra consentibus non statim credi debet, 70
- Ad matrimonium contractum dissolvendum requiruntur plenæ probationes. *ibid.*
- Consanguinei circa impedimentum consanguinitatis pro testibus accipiendi sunt. *ibid.*
- In dubio pro favore matrimonii judicari debet. *ibid.*
- Causæ matrimoniales brevissimè tractari debent. 71
- Sententia lata in causa matrimoniali non transit in rem judicatam. *ibid.*
- Accusatio matrimonii etiam post lapsum longissimi temporis institui potest. *ibid.*
- Quando agitur de impedimento Canonico, nunquam transactio locum habere potest. *ibid.*
- An sententia in causa matrimoniali transeat in rem judicatam? 72
- An cognita nullitate matrimonii non manifestabili, licitum sit exigere vel reddere debitum conjugale? *ibid.*
- Menses Papales.*
- In Germania ex consuetudine non attenduntur, 17
- Metus.*
- Differentia inter vim & metum, 50
- Metus invalidat contractum matrimonium, *ibid.*
- Qui dicatur justus metus? *ibid.*
- Metus reverentialis an sit justus, 57
- Metus non incussus ad eliciendam obligationem, vel propria culpa causatus non est justus, *ibid.*
- Gravis metus quando excuset à transgressione legis humanæ. 86
- Missæ.*
- Ante Missam debet præmitti matutinum cum laudibus, sed non est gravis obligatio, 25
- Parochus diebus festivis tenetur Missam legere de præcepto, diebus autem ferialibus tantum de honestate, nisi habeat amplos redditus, & sit Parochus populosæ civitatis. *ibid.*
- Quid faciendum, si populus ita numerosus sit, ut ad unam Missam convenire non possit, *ibid.*
- Propter necessitatem moribundi potest Parochus alteram Missam etiam eodem die celebrare, & probabiliter etiam post sumptam abluitionem. *ibid.*
- Votum non bibendi vinum, non violatur si in Missa sumatur ablutio. *ibid.*
- Particulæ consecratæ repetæ post abluitionem possunt sumi, *ibid.*
- An liceat aliquando sine paramentis celebrare. *ibid.*
- Qualiter Parochus pro suis parochianis Missam offerre teneatur, & an pro una Missa possit à duobus stipendium accipere. 26
- Parochus ex fundatione obligatus ad plures Missas in hebdomada dicendas, si modico tempore impeditus fuerit, non tenetur illas Missas persolvere per Vicarium. *ibid.*
- Parochus substituens Vicarium ad legendas Missas non tenetur ei tantum dare, quantum ipse ex fundatione percipit. *ibid.*
- Non tenentur Parochiani hodie Missam diebus festivis in propria parochia audire, *ibid.*
- Quæ causæ excusent ab auditione Missæ in die festivo. 27
- Modus.*
- Quid sit? 50
- Differentia Modi & Conditionis, *ibid.*
- Montes Pietatis, vide Usura.*
- Mutum, vide Usura.*
- Nati ex damnato coitu, vide Liberi illegitimi.*
- Novalia, vide Decima.*
- Nuptiæ.*
- Quid Nuptiæ sint? 42
- An filii nubentes invitis parentibus exheredari possint? 47
- Filius alimentandus, & filia pro statu mariti dotanda est etiam invitis parentibus nubentes, *ibid.*
- Secundæ Nuptiæ non admittuntur, nisi solutis primis per mortem aut dispensationem, 58
- Quid si quis vivente prima uxore super induxerit alteram. *ibid.*
- Quæ probationes requirantur ad probandam mortem alterius conjugis. *ibid.*
- Quando uti liceat matrimonio secundo, si dubitetur de morte primi conjugis. *ibid.*
- Oblationes.*
- Differentia inter Decimas, Primitias & Oblationes. 82
- Ex communi sententia non est præceptum faciendi Oblationes. 83
- Quo fundamento procedat consuetudo circa Oblationes. *ibid.*
- Etiam stante consuetudine non peccat, qui aliquando omittit facere Oblationes. *ibid.*
- Parochianis non facientibus Oblationes, non debet Parochus negare Sacramenta, *ibid.*
- Regulariter Oblationes intra fines parochiæ factæ pertinent ad parochum. *ibid.*
- Oblationes factæ in Ecclesiis Regularium pertinent ad Regulares, de funeralibus tamen debetur parochio portio Canonica. *ibid.*
- Olla fortuna, vide Usura.*
- Oratorium.*
- An Episcopus licentiam concedere valeat privata oratoria construendi. 2
- Ordo.*
- Ordines sacri dirimunt matrimonium. 57
- Quæ pœnæ sint contrahentium in Ordinibus sacris. *ibid.*
- Matrimonium non dissolvitur per susceptionem Ordinum, sicut per ingressum monasterii. Et Ordinatus efficitur irregularis. *ibid.*
- In minoribus Ordinibus validè contrahitur matrimonium. *ibid.*
- In minoribus contrahens est ipso jure privatus suis beneficiis, fallit tamen, si tantum sponsalia de futuro contraxit. *ibid.*
- Pacta invalida.*
- Quomodo juramento continentur? *vide Juramentum.*
- Pactum Antichristos, vide Usura.*
- Pactum de retrovendendo, vide ibidem.*
- Parentes.*
- Quid nomine parentum & liberorum intelligatur. 47
- Parochia.*
- Quid sit Parochia, pag. 1
- Ab Episcopis debet fieri certa Parochiarum designatio, *ibid.*
- Quæ sint jura Parochialia, *ibid.*
- Si

Index Rerum Memorabilium.

- Si constet Ecclesiam esse parochialem, fundatam habet intentionem in Jure, pag. 1
 Ad probandam Parochiam quatuor conjunctim requiruntur, ib.
 Parochia Monasteriis incorporata, retinent omnia jura parochialia, ibid.
 Non est idem Beneficium curatum, & Ecclesia parochialis, ib.
 Episcopalis muneris est, Ecclesiam parochialem, ejus fines & populum designare. 2
 Quando & qualiter novæ Parochiæ erigendæ, ibid.
 Erectio novæ capellæ est remedium, ne nova Parochia erigenda sit. 2
 Licitum est locorum Ordinariis ob causas rationabiles duas Parochias in unam conjungere, ibid.
 Ne Ecclesia in præjudicium parochialis Ecclesiæ ædificetur, curæ Episcopi incumbit, ibid.
 Quanam jura competant Parochiis. 12
 Parochiales Ecclesiæ hodie prohibentur uniri. 20
 Incorporatio antiqua præsumitur facta fuisse legitima. 21
 Abbates possunt dare consensum in alienatione rerum ad suas parochias pertinentiam. 82
Parochus.
 Quid sit institutio Canonica, & an Laico competat. 12
 Laicus nec per præscriptionem potest acquirere jus instituendi vel conferendi beneficia. 9
 Institutio est nomen generale. 12
 Ætas 25. annorum inchoatorum requiritur in Parocho, & ut intra annum recipiat Sacerdotium. 18
 Negligenter omittens suscipere Ordines, elapso anno est ipso jure privatus parochia. ibid.
 Fallit in Ecclesiis Collegiatis, ibid.
 Quidquid sit, an de rigore extra casum præsentationis & mandati Apostolici possit Parochia conferri Clerico in minoribus, Episcopus poterit dispensativè id facere. ibid.
 Parochus bono exemplo suis debet præluere. ibid.
 Quæ mulieres permittantur cum Clericis habitare. 19
 Ob periculum perjurii non sunt cogendi Clerici, ut mulieres abjarent. ibid.
 Pœnæ Concilii habent locum etiam in suspectis sine qualitate concubinitatis. ibid.
 Scientia quæ requiritur in Parocho. ibid.
 Parochus, qui totam curam per suos cooperatores exercet, tenetur ad restitutionem fructuum, arbitrio tamen boni viri. 22
 Parochus in officio diligentior, plus potest impendere in sui sustentationem. 88
 Bona œconomia Parochi non debet transire in avaritiam. ibid.
 Quis possit Parochis dare licentiam testandi? 89
vide Testamentum.
 Qualiter Parochis ab intestato succedatur? 90
 Liberi illegitimi parochorum an succedant? ibid.
Parsonalia Bona, vide Bona Clericorum.
Patrimus.
 In Baptismo tantum debet esse unus, vel ad summum unus & una. 29. & 52
 Non requiritur certa ætas in Patrimis, 29
Patronus Ecclesiæ.
 Ecclesia Patronum suum egenum secundum sui status conditionem alere tenetur, 8
 Patroni muneris est, procurare, ne res Ecclesiæ malè alienentur. ibid.
 Patrono Ecclesiæ debetur honor, præcedentia, & præsentatio. 13
 Quid in Ecclesiis in quibus per electionem assumitur Prælatatus. ibid.
 Onus & emolumentum patroni in quibus consistant. ibid.
 Patrono ignorantem non currit tempus ad præsentandum, 14
 Quinam dicantur Advocati Ecclesiæ, & quomodo à Patrimis differant? 16
Patronatus.
 Definitio Juris Patronatus & qui sint ejus effectus? 13
 Divisiones Juris Patronatus, ibid.
 Quid sit jus Patronatus Ecclesiasticum & Laicale, & quomodo differant, ibid.
 Jus Patronatus laicale donatum Ecclesiæ sit Ecclesiasticum. 14
 Quid sit jus Patronatus hereditarium, & familiare sive gentilium. ibid.
 Quid activum & passivum, ibid.
 Quid personale & reale. 15
 Ex tribus causis jus Patronatus acquiritur, ibid.
 An dictæ tres causæ copulativè requirantur, inter DD. controvertitur. ibid.
 Per readificationem Ecclesiæ collapsæ etiam acquiritur jus Patronatus, ibid.
 In donatione juris Patronatus, an & quando consensus Episcopi sit necessarius. 15
 Jus Patronatus spirituale est, per se vendi nequit, bene tamen accessoriè. 16
 An conductor vel debitor simul cum bonis acquirat jus Patronatus? ibid.
 Ad quem devolvatur jus Patronatus, si bona Patroni confiscentur, ibid.
 Quibus modis jus Patronatus amittatur, ibid.
 An Episcopus jus Patronatus extinctum possit de novo alicui Laico donare? ibid.
Pensioner, vide Exactiones.
Pestiferi.
 Regulæ quædam notabiles observandæ ab ministrantibus Sacramenta pestiferis. 22
Pia Causæ.
 Quid veniat nomine piarum Causarum? 88
Pæne Usurarium, vide Usuræ.
Pœnitentia, vide Sacramentum Pœnitentiæ.
Pollutio Ecclesiæ, vide Ecclesiæ.
Polygamia.
 Est damnata in fide Orthodoxa, 57
 Cur & Quomodo in veteri testamento plures uxores concessæ. 58
 Quo jure Polygamia prohibita, & an aliquo modo licere possit? 72
Portio Canonica.
 Quid hoc nomine veniat. 85
vide Exactiones.
Possessor tertius.
 Contra ipsum non datur actio, vide Usuræ.
Præscriptio.
 Non procedit contra prohibitionem juris publici. 80
vide Immemorialitas.
 Obligationi præstandi servitia feudalia, & Canonem Emphyteuticum, potest præscribi. 88
Præsentatio, vide Patronus Patronatus.
Præstationes annuæ.
 An præscribi possint? Et quis sit sensus, L. cum notissimi. §. fin. C. de præscript. 30. annorum, 81
Præsumptio.
 Præsumptiones Præsumptionibus eliduntur. 78
 Ex immemorialitate non oritur præsumptio juris & de jure. 79
Primitiæ.
 Differentia inter Decimas, Primitias & oblationes. 82
 Quid debeatur nomine Primitiarum, 83
 Primitiæ possunt abrogari per consuetudinem, ibid.
Privilegium.
 Quorundam specialia privilegia extra corpus juris, & qualiter intelligenda. 80
 An habentes communicationem Privilegiarum, communicent privilegium immunitatis à solvendis decimis? ibid.
 Privilegium Clericorum obætorum. 91
Procuratio, vide Exactiones.
Pubertas.
 Quando incipiat? 46
Pupillus.
 Pupillus mutuans aut solvens manet dominus pecuniæ, quamdiu dominium sibi est utile. 81
Raptus.
 Fuit olim impedimentum impediens, hodie post Concil. Trid. est dirimens. 49
 Quatuor casus excipiuntur à pœnis Raptus. ibid.
Reconciliatio Ecclesiarum pollutarum, vide Ecclesiæ.
Reditus Clericorum, vide Bona Clericorum, &c.
Refectio, vide Jejunium.
Regulares.
 Regularis potest fieri Episcopus Ecclesiæ sæcularis. 19
 Etiam Præpositus vel Decanus Ecclesiæ Collegiatæ. ibid.
 Vicarius quoque generalis Episcopi, ibid.
 Etiam Parochus in Ecclesia sæculari, ibid.
 Quid observandum in promotione Regularium ad Parochias, ibid.
Residentia Parochi.
 Ad Residentiam de jure Divino obligantur habentes curam animarum. 21
 Sine licentia Episcopi & relicto Vicario ab Episcopo approbato Parochi abesse non possunt, secus facientes perdunt fructus. ibid.
 Controversia an Parochus per duos menses abesse sine licentia possit. ibid.
 Hodie non potest amplius Episcopus dare licentiam, ut Parochus absit studiorum causa. ibid.
 Con-

Index Rerum Memorabilium.

- Consuetudo ut Parochus notabili tempore ultra duos menses absit, est corruptela. 21
- Quid possit consuetudo circa residentiam Parochorum. 22
- In necessitate repentina quid faciendum Parocho. ibid.
- Non sufficit Parochum esse præsentem, si nunquam per seipsum Sacramenta & curam administret. ibid.
- Pestis non excusat à residentia. ibid.
- Excusat tamen ab administratione Sacramentorum, si idoneus Vicarius substituatur. ibid.
- Qualiter residere teneatur, qui Canonicatum cum parochia habet. 23
- Quis possit remittere obligationem residentia. ibid.
- Restitutio.*
- Quibus, & quando incumbat, & quomodo quis excusetur, videri poterit prolixè in verbo *Usura.*
- Restrictio mentalis, vide Juramentum.*
- Sacramenta.*
- Quomodo pestiferis administranda, 22
- Quid faciendum si solus Parochus ad administranda Sacramenta non sufficiat. 23
- Quid sit Sacramentum. 28
- Sacramenta alia mortuorum, alia vivorum. ibid.
- Differentia inter Sacramenta veteris & novæ legis. ibid.
- Minister Sacramentorum debet esse in statu gratiæ. ibid.
- Debet habere intentionem, excepto matrimonio, ibid.
- Communi errore pro legitimo parochi habitus validè confert Sacramenta. ibid.
- Etiam censuratus non denunciatus, ibid.
- Quæ Sacramenta permittantur tempore interdicti. ibid.
- Circa Sacramenta extra casum necessitatis semper tenenda est sententia probabilior. 29
- Sacramentum Eucharistiæ.*
- Eucharistia danda est, quoties rationabiliter petitur. 40
- Videtur verius, quòd etiam quotidie cæteris paribus peti possit, ibid.
- Fallit in conjugatis. ibid.
- Eucharistia quodcumque petitur ad ægrotum, deferenda est reverenter cum comite & lumine. ibid.
- Ad sumptionem Eucharistiæ requiritur dispositio animæ & corporis, ibid.
- Habens casum reservatum aliquando ante absolutionem communicare potest. ibid.
- Non habentes usum rationis non sunt ad communionem admittendi. ibid.
- Communicatur qualiter debeat esse jejunus, ibid.
- Ad ægrotum non debet Eucharistia deferri, causa solius adorationis, si eam sumere non potest, ibid.
- Extra tempus Paschale quilibet Sacerdos potest quoscunque communicare. ibid.
- Eucharistia hoarificè asservanda est, ibid.
- Quis teneatur ad conservationem lampadis ardentis ante SS. Eucharistiam. ibid.
- Sacramentum Pœnitentiæ.*
- Quando institutum hoc Sacramentum, & cur enarratio omnium peccatorum. 30
- Tantum peccata mortalia, & circumstantiæ mutantes speciem dici debent. ibid.
- Quæ materia & forma pœnitentiæ, ibid.
- Quis possit delegare jurisdictionem fori pœnitentialis. 31
- Quibus possit parochus hoc Sacramentum administrare. ibid.
- An possit administrari alienis subditis sub spe ratiabilitatis. ibid.
- An pœnitens possit mitti ad privilegiatum, 32
- Examinantur tres casus circa pœnitentiam alienæ Diœcesis. ib.
- Separatio Matrimonii, vide Matrimonii Dissolutio.*
- Sepultura.*
- Olim cadavera non licebat sepelire in Ecclesia, 84
- Cur cadavera in locis sacris sepeliantur? ibid.
- Jus funerandi computatur intra jura parochialia. ibid.
- Quilibet debet sepeliri in parochiali Ecclesia, nisi habeat sepulturam electam, vel Majorum. ibid.
- Uxor sepeliri debet cum Marito. ibid.
- Quid si sepulchra Majorum sint in diversis Ecclesiis? ibid.
- Ad electionem sepulturæ qualis solennitas vel probatio requiratur? ibid.
- Non licet Religiosis alienum fundum ingredi ad tollendum funus. 85
- Videtur congruum, ut maritus post uxorem defunctus sepeliatur cum eadem. ibid.
- Prælati regularis potest sibi eligere sepulturam. ibid.
- Religiosus decedens in loco remoto extra monasterium potest sibi eligere sepulturam. ibid.
- Novitius in monasterio sepeliri debet. ibid.
- Cum Parochianus alibi eligit sepulturam, debetur parochi portio Canonica, & quid veniat hoc nomine, ibid.
- Qualiter prohibitum sit aliquem inducere ad sepulturam eligendam, ibid.
- Tituli, ex quibus aliquid accipi potest in sepultura. 86
- Non licet propter mortuaria non soluta corpus inhumatum relinquere, ibid.
- Qui non gaudeant sepultura Ecclesiastica? ibid.
- Excommunicati etiam non denunciati privantur sepultura, nisi excommunicatio sit occulta. ibid.
- Seipfos occidentes qualiter priventur? ibid.
- Duellantes quando privandi sepultura? 87
- Simoniam Mentalem, vide Usuram.*
- Solennitas Matrimonii, vide Matrimonii Solennitas.*
- Sponsalia.*
- Quid & quotuplex sint Sponsalia. 41
- Disputatio de quibusdam verbis contrahentium, an importent sponsalia vel Matrimonium, hodie inutilis. ibid.
- Definitio sponsalium. 42
- Ad contrahenda requiritur mutuus consensus saltem implicitus. ibid.
- Promissio gratuita non constituit sponsalia, ibid.
- Sponsalia inter absentes contrahi possunt per litteras vel per procuratorem. ibid.
- Procurator ad sponsalia & Procurator ad alia negotia per tria differunt. ibid.
- Parochus & testes non sunt de substantia, sed de probatione sponsalium, ibid.
- De arrhis vel pena an sponsalibus addi possint. ibid.
- Circumstantiæ indicant, quando sola taciturnitas vel simplex acceptatio constituat sponsalia. 43
- Simplex promissio ante revocationem semper valet. ibid.
- Promittens matrimonium amicis Titia habentibus mandatum obligatur, sin minus, non obligatur. ibid.
- Verba: Nullam aliam ducam nisi te, quid faciant. ibid.
- Partem resilientem potest compellere Ecclesia. ibid.
- Virginem sicla promissione seducens tenetur eam ducere. 44
- Notabiliter eminentioris status fidei (secus est, si verè & scienter) promittens potest se redimere pecuniaria compensatione. ibid.
- Sponsalia dissolvuntur mutuo consensu. ibid.
- Etiam jurata. ibid.
- Sponsalia de futuro qualiacunque solvuntur per sponsalia de presenti. ibid.
- Sponsalia simplicia de futuro non solvuntur per alia sponsalia de futuro etiam jurata &c. 45
- Sponsalia semiplena impeditenti probatione solvuntur, sed matrimonium tantum plena. ibid.
- Sponsalia per ingressum Religionis quoad partem remanentem in sæculo solvuntur. ibid.
- An non etiam per susceptionem Ordinum Clericalium, aut votum simplex castitatis, licet solvantur per votum ingrediendi Religionem. ibid.
- Solvuntur elapso termino præfixo nuptiis. ibid.
- Quando, & quamdiu pars absens expectanda, 46
- Solvuntur superveniente notabili mutatione ex parte non mutata. ibid.
- Quando Judicis Ecclesiastici sententia sit necessaria? ibid.
- Resolvuntur breviter argumenta contraria. ibid.
- Quæ ætas requiratur ad sponsalia? ibid.
- Quomodo & quando sponsalia impuberum obligent? ibid.
- Ex sponsalibus impuberum nascitur impedimentum publicæ honestatis, ibid.
- Sola taciturnitas venientium ad pubertatem ratificat eorum priora sponsalia, ibid.
- Nisi fuerint ante annos discretionis contracta, ubi requiritur novus consensus. ibid.
- Parentes possunt despondere liberos. 47
- Quando & qualiter illa desponsatio obliget, ibid.
- Pupillus vel foror tutoris vel fratris tractatum expresso consensu ratificare debet. ibid.
- Quando parentum dissensus solvat sponsalia? 48
- Sponsus committens peccatum cum consanguinea sponsæ constituit impedimentum dirimens. 49
- Dolosa persuasio irritat sponsalia. 50
- Successio ab Intestato.*
- Qualiter Parochis ab intestato succedatur? 90
- Liberi illegitimi parochorum an succedant? ibid.
- De successione in redditibus Ecclesiasticis. 91
- Quid de consuetudine, ex qua in redditibus Ecclesiasticis succedunt consanguinei & extranei hæredes, sive ex testamento, sive ab intestato? ibid.
- vide Bona Clericorum. Item Testamentum.*

Index Rerum Memorabilium.

| | |
|---|---------|
| <i>Suffentatio Clerici.</i> | |
| Suffentatio potest defumi ex Ecclesiasticis, licet ad sint patrimonialia. | 88 |
| Quomodo accipienda sit congrua suffentatio? | ibid. |
| Pulchrum monitum S. Bernardi. | ibid. |
| Parochus in officio diligentior, plus potest impendere in suffentationem. | ibid. |
| <i>Tempus Feriarum.</i> | |
| Quid sit? | 48 |
| <i>Testamentum.</i> | |
| Quis possit Parochis dare licentiam testandi de rebus Ecclesiasticis? | 89 |
| An testamentum ante impetratam licentiam factum, per eam confirmetur? | ibid. |
| An testamentum Clerici in terris Imperii faciendum sit secundum Civile vel Canonicum? | ibid. |
| Quales solennitates de Jure Can. requirantur ad testamentum, & ibi multa ad interpretationem, C. <i>clm esse. de testam.</i> | ibid. |
| Utrum licentia testandi expiret re integra morte concedentis? | 90 |
| Qualiter Parochis ab intestato succedatur? vide <i>Successo ab Intestato. Item Bona Clericorum.</i> | ibid. |
| <i>Venditor.</i> | |
| Ob dilatam solutionem an possit pretium augere, vide <i>Usura. Verbum Divinum</i> , vide <i>Conciones.</i> | |
| <i>Vicarius.</i> | |
| <i>Vicariatus.</i> | |
| Vicarii alii perpetui, alii temporales, | 20 |
| Vicaria perpetua est beneficium, | ibid. |
| Institutio autorizabilis potest prescriptione acquiri, | ibid. |
| Quis possit erigere Vicarias. | ibid. |
| Notabiles declarationes Concil. Trid. circa potestatem Episcoporum instituendi Vicarios perpetuos in Ecclesiis unitis. | 21 |
| Cura animarum an sit penes Vicarium, vel opponentem. | ibid. |
| <i>Vis.</i> | |
| Differentia inter vim & metum, | 58 |
| vide <i>Metus.</i> | |
| <i>Votum.</i> | |
| Quid & quotuplex sit Votum? | 52 & 92 |
| Tantum votum solenne irritat matrimonium. | ibid. |
| Votum simplex contracto matrimonio impedit exactionem debiti. | ibid. |
| Quid de voto ingrediendi religionem. | 52 |
| Votum quomodo differat à proposito? | 92 |
| Si dubitetur fueritne Votum vel propositum, præsumitur non fuisse Votum. | ibid. |
| Votum aliud explicitum aliud implicitum, | ibid. |
| Voto obligatur etiam qui non habuit animum servandi, secus, si se non obligandi. | ibid. |
| Quanta deliberatio requiratur in Voto, & quid, si dubitetur, an fuerit sufficiens deliberatio? | 93 |
| Qualis error tollat obligationem Voti? | ibid. |
| Difficultates novæ emergentes, vel non prævisæ cur potius tollant obligationem Voti quam Contractuum? | ibid. |
| Votum debet fieri Deo, saltem mediatè, ut si fiat Sanctis. | ibid. |
| Votum debet esse de meliori bono, & ibi an res indifferentes, vel res bonæ ob malum finem voveri possint? | 94 |
| An & quando valeat Votum contrahendi matrimonium? | ibid. |
| Voveri possunt ea, quæ aliàs sunt de præcepto, | ibid. |
| Quanta sit Voti obligatio, & an detur parvitas materiæ. | ibid. |
| Quamdiu executio Voti differri possit, & an prævidens impedimentum teneatur prævenire? | ibid. |
| Quid si Votum sit partim de re possibili, partim impossibili. | ibid. |
| An Votum possit per alium impleri? | ibid. |
| Exponitur text. in C. <i>quod super. de Voto.</i> | 95 |
| Vota quatenus obligent successores, | ibid. |
| Votum tollitur quatuor modis. | ibid. |
| Materia Voti deficit, quando non est amplius de meliori bono. | ibid. |
| Quotuplex sit potestas superiorum irritandi vota? | ibid. |
| In directa potestate non attenditur, an Votum superiori præjudicet, & ibi de Votis Religiosorum. | 96 |
| Vota pupilli possunt etiam post pubertatem irritari, & successor superior potest irritare Vota sub suo antecessore emissa. | ibid. |
| Maritus qualiter possit irritare Vota uxoris? | ibid. |
| An uxor possit aliqua Vota mariti irritare? | ibid. |
| Votum irritatum an reviviscat cessante potestate irritantis? | ibid. |
| Qualiter & à quo fiat commutatio Voti? | 97 |
| Qualiter dispensetur in Voto? | ibid. |
| Quinque Vota reservata Papæ, & quænam? | ibid. |
| Qua ratione possit fieri dispensatio in Votis, cum obligent ex Jure divino. | ibid. |
| An Papa valeat dispensare in Votis solennibus Religionis, vel Clericatus? | ibid. |
| <i>Usura.</i> | |
| Quid sit? | 100 |
| Committitur propriè tantum in mutuo, si pro eo aliquid temporale pretio æstimabile exigatur. | ibid. |
| Usura requirit pactum, sed id aliquando est implicitum. | ib. |
| Usuræ quædam licitæ, seu compensatoriæ <i>lucris cessantis</i> , aut <i>damni emergentis</i> . | 101 |
| Usuræ jure divino, naturali & humano prohibitæ. | ibid. |
| Quæ ratione Deus concesserit Judæis <i>foenus</i> cum gentibus exercere. | ibid. |
| Explicantur alii textus Scripturæ. | ibid. |
| Cur usuræ etiam jure naturali prohibitæ? | 102 |
| Sub nomine mutui potest aliquando latere alius contractus licitus. | ibid. |
| Usuræ non possunt aliqua lege permitti. | ibid. |
| Pecant graviter contra justiciam, qui Judæis vel aliis exercitium usurarum concedunt. | ibid. |
| An peccet debitor solvendo usuras? | ibid. |
| An oporteat interesse in pactum deducere? | 103 |
| Propter periculum aliquando potest aliquid exigi ultra sortem? | ibid. |
| Explicatio c. <i>naviganti. de Usuris.</i> | ibid. |
| Montes pietatis an usurarii? | ibid. |
| Disputatio de pacto <i>antichrystos.</i> | ibid. |
| Pactum de retrovendendo an licitum? | 104 |
| <i>Omnia Fortuna</i> excusatur ab usura, & ab iniquitate, non tamen expedit Reipubl. | ibid. |
| Venditor ob dilatam solutionem an possit pretium augere? | ibid. |
| Sitne licitum <i>emere chirographa</i> debitorum pro minori pecunia? | ibid. |
| Examinatur prolixè contractus <i>consuales.</i> | 105 |
| In specie de <i>consu personali</i> , & qualiter differat à mutuo. | 106 |
| De <i>Cambio</i> & ejus lucro. | ibid. |
| Obligatio <i>Restitutionis</i> incumbit Usurariis etiam mentalibus. | 108 |
| Cur & an non idem in <i>Simonia mentali</i> ? | ibid. |
| Jure Can. etiam heredes tenentur restituere. | ibid. |
| Excusatio à Restitutione. | ibid. |
| Res empta ex pecunia usuraria, non est restitutioni obnoxia, nisi deficientibus aliis mediis. | ibid. |
| Contra <i>tertium possessorem</i> non datur actio. | ibid. |
| Aliæ <i>pene Usurarium.</i> | ibid. |
| Parochi sine judicio Ordinarii non debent aliquem Usurarium condemnare. | ibid. |
| Oblationes quando recipiendæ ab usurariis? | ibid. |
| Ad sepulturam non admittuntur, nisi præstita satisfactione vel cautione. | ibid. |
| Nec testamenta eorum valent. | ibid. |
| Jurium imperiti, qui juxta communem modum sub nomine mutui accipiunt aliquid ultra sortem, qualiter frequenter ab usura excusari possint? | 109 |



M A N U A L E P A R O C H O R U M

A U T H O R E

P. LUDOVICO ENGEL.

P A R S I.

De Parochiis & Parochialibus Ecclesiis,
earumque Ereptione, Consecratione,
Reconciliatione, Immunitate,
aliisque Juribus.

C A P U T I.

Quid sit Parochia?

S U M M A R I A.

- 1 Quid sit Parochia & Parocia.
- 2 Ut ab Episcopis fiat certa Parochiarum designatio Concil. Trident. mandat.
- 3 Quae sint jura parochialia.
- 4 Si constat Ecclesiam esse parochialem fundatam habet intentionem in jure.
- 5 Ad probandam parochiam quatuor conjunctim requiruntur.
- 6 Parochiae Monasteriis incorporate, licet per Vicarios provideantur, retinent tamen omnia jura parochialia.
- 7 Non est idem beneficium curatum & Ecclesia parochialis.
- 8 Quaedam beneficia sunt actu curata, quaedam tantum habitu.

PAROCIA dicitur locus in quo degit populus alicui Ecclesiae (quae propterea parochialis vocatur) deputatus, certis finibus limitatus, *Tusi. l.p. Concl. 94. n. 1.* unde & frequenter in jure Parochia Parocia appellatur, quod graece idem sonat, ac Conventus seu habitatio accolarum.

- 2 Est autem Parochiarum designatio facta ad curam animarum in populo commodius exercendam, prout etiam novissime mandat Concil. Trid. *S. 24. de ref. c. 13.* ut in iis civitatibus & locis ubi parochiales Ecclesiae certos non habent fines, sed promiscue petentibus Sacramenta administrantur, Episcopi pro tutiori animarum salute distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum & proprium parochum assignent, à quo solo licite Sacramenta percipiantur, &c. Porro ad Ecclesias parochiales pertinet Jurisdictionem in foro poenitentiali exercere, Sacramenta administrare, matrimonia solemnizare, Eucharistiam asservare, fontem baptismali, coemiterium & jus sepeliendi defunctos habere, & ut demum ejus Rectori jus sit decimas oblationesque percipere, teste Innoc. & Panorm. *ad rubric. tit. Decret. de Parochiis.* Licet vero ex singulis his enarratis juribus non praecise probetur nec ex eorum defectu semper reprobetur Ecclesia esse parochialis, cum similia possint etiam aliis Ecclesiis ex privilegio vel consuetudine aut praescriptione competere, † quando tamen constat Ecclesiam esse parochialem, tunc quoad omnia ista jura habet fundatam intentionem, ut si desuper cum alia Ecclesia lis oriatur, non Ecclesiae parochiali, sed alteri onus probandi incumbat.

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

Attamen de hoc ipso nonnunquam disceptatur, quibus argumentis Ecclesia proprie parochialis esse convincatur? Quatuor requisita conjunctim justificanda esse ad probandam parochiam ex dictis aliorum DD. & Rotae Decis. colligit Barb. *de Paroch. p. 1. c. 1. n. 27.* primum est inquit potestas fori poenitentialis. Secundum locus certis finibus limitatus, in quo populus alicui Ecclesiae deputatus degit. Tertium ut Parochus curam exerceat nomine proprio. Quartum, ut sacerdos tanquam rector singulariter & non cum aliis ad regimen parochialis Ecclesiae admittatur.

Verum circa haec duo ultima requisita advertendum est, 6 quod ea non Ecclesiam sed personam respiciant, id est, probanda sint ad eum solummodo effectum, si quis contendat se esse verum & proprium parochum loci. De caetero ipsa Ecclesia ex primis duobus requisitis satis probatur esse parochialis, frequens enim est, quod Parochiae soleant Monasteriis, Capitulis, Collegiis aliisque beneficiis uniri & incorporari, in quibus Sacerdos curam non proprio sed vicario nomine nec solus sed cum aliis exercet. Interim ipsa Ecclesia retinet omnia parochialia jura, & si desuper sive à Vicario, populo, Episcopo vel extraneo lis moveatur, Monasterium vel capitulum, cui incorporata est, fundatam intentionem habebit. *Rota apud Tambur. de jure Abbat. tom. 3. decis. 102.*

Demum advertendum est, non semper esse idem beneficium curatum & Ecclesiam parochialem. Nam Ecclesia sive beneficium curatum generalius quid est, continens sub se plures species, & quamvis Parochia sine cura non sit, potest tamen cura sine parochia esse, ut in Ecclesiis, quae filiales appellantur, in locis noviter ad fidem conversis vel ad habitandum accommodatis, in quibus necdum limites parochiales per Episcopum assignati sunt.

Alia quoque beneficia sunt curata non parochialia, quae curam tantum fori externi habent sive potestatem & jurisdictionem visitandi, excommunicandi, absolvendi, corrigendi, judicandi &c. Et haec cura large & improprie cura dicitur teste Barb. *de paroch. p. 1. c. 1. n. 47.* Cura autem proprie accepta est cura fori poenitentialis & Sacramentorum administratio. Interim, quoad incompatibilitatem, & residentiae obligationem, non est inter utriusque curae beneficia diversitas. *Trid. s. 6. c. 1. s. 7. c. 4. s. 23. c. 1.*

Sed & beneficia curata, quaedam sunt actu curata in quibus de facto exercetur cura, quaedam autem habitu tantum curata, quibus nimirum ex prima institutione cura annexa fuit, sed ea postea per unionem, privilegium, consuetudinem aliumve casum sublata fuit: & haec beneficia habitu solum curata adinstar simplicium beneficiorum habentur, nec cadunt sub dispositionem juris de curatis beneficiis loquentem v. g. quoad incompatibilitatem, residentiam &c. *Barb. d. l. num. 50.*

CAPUT II.

De Ædificatione & Reparatione Ecclesiarum parochialium.

SUMMARIUM.

- 1 *Episcopalis muneri est Ecclesiam parochialem, ejus fines & populum designare.*
- 2 *Quando & qualiter nova parochia erigenda.*
- 3 *Erectio nove capelle est remedium, ne nova parochia erigenda sit.*
- 4 *Licetum est locorum ordinariis ob causas rationabiles duas parochias in unam conjungere.*
- 5 *Ne Ecclesia in præjudicium parochialis Ecclesie edificetur, cura Episcopi incumbit.*
- 6 *An Episcopus licentiam concedere valeat privata Oratoria construendi?*
- 7 *Qua ceremonia & forma in edificandis Ecclesiis servanda.*
- 8 *Quomodo Ecclesie parochiales ruinosæ reparandæ.*
- 9 *Materialia, ut ligna &c. destructæ Ecclesie in profanos usus possunt converteri.*
- 10 *Cæmeterium ab Episcopo non potest profanari.*
- 11 *Si Ecclesia casu destructa reedificetur, non amittuntur indulgentiæ vel privilegia tali loco concessa, nisi destructio facta sit in vindictam sceleris.*

AD Episcopi officium pertinet parochialem Ecclesiam constituere ejusque fines & populum designare, *c. nullus omnino* 16. q. 7. *Trid. s. 24. de ref. c. 13.*

Olim quidem constitutum erat in *c. uni.* 10. q. 3. ut non minus quam decem municipia sive domus & familiarum Ecclesie parochiali assignarentur: Sed rectius id arbitrio Episcopi relinquatur, qui providere debet de tanto & tali parochie districtu, ut populus ad divina commode convenire, & parochus ex decimis & obligationibus congrue alii possit.

Quod si parochianorum numerus in tantum excreverit, vel locorum distantia faciat, quo minus præsertim tempore hyemali populus ad unam Ecclesiam commode conveniat, vel ægrogantibus Sacramenta deportentur, poterunt Episcopi novas parochias etiam invitatis prioribus rectoribus erigere, & pro sustentatione novorum parochorum competentem portionem ex redditibus matricis sive antiquioris Ecclesie assignare, aut si necesse fuerit, populum ad alimenta (quæ ex priori Ecclesia satis haberi nequeunt) novis parochis præstanda compellere. *Trid. s. 21. de ref. c. 4.*

Circa quam constitutionem *Trid.* desumptam ex *c. 2. x. de Eccl. edif.*

Not. primò, quod Ecclesia matricis in nova parochia ex suo quasi gremio erecta acquirat jus patronatus, ejusque rector sive parochus possit præsentare Sacerdotem ad istam novam Ecclesiam, *d. c. 3. de Eccl. edif.* si tamen partem suorum reddituum contribuerit. *Garc. de benef. p. 5. c. 9. n. 57.*

Not. secundò, decimas ad Ecclesiam matricem pertinentes non transire ipso jure ad Ecclesiam novam, sed in arbitrio Episcopi esse, an decimas vel alios fructus eidem assignare velit, *Barb. in Coll. ad d. c. 4. Trid. n. 16.*

Not. tertio, quod Episcopus citare & audire debeat antiquæ Ecclesie rectorem & patronum, si forte justam causam habeant contradicendi, & si forte parochia sit incorporata, ejus defensio non ad vicarium curam exercentem, sed ad Prælatum loci, cui parochia incorporata est, pertinebit, *Barb. d. l. n. 11. & 14.*

Not. quarto, quod ad evitacionem novæ parochie erigendæ numerositati populi vel distantie locorum provideri possit per erectionem novæ capelle (quæ & filialis dici solet) quæ sit in potestate & proprietate parochialis antiquæ, & in qua parochus vel Prælatus habens Ecclesiam incorporatam exponat Sacerdotem principalis Ecclesie coadjutorem sive vicarium. *Rota ad Tamb. post tom. 3. de jure Abbat. decis. 32. num. 6. Barb. de offic. Episc. alleg. 68. n. 7.*

Ex adverso si aliqua parochia ad tantam paupertatem deveniat, ut ex ejus redditibus facta tecta conservari aut Parochus alii nequeat, nec per unionem aliorum beneficiorum simplicium ei provideri possit, licet locorum ordinariis ex duabus parochiis unam facere, *Trid. d. s. 21. c. 5.*

Curabit etiam Episcopus, ne patiatur novas Ecclesias Capellas vel Oratoria in præjudicium parochialis Ecclesie edificare. Et si de facto absque licentia Episcopi aliquis in præjudicium Ecclesie parochialis edificare cæperit, recte per Parochum ei nuntiatur novum opus, ut ab ædificatione desistere, & quod post nunciacionem sive jure sive injuria ædi-

ficavit demoliri teneatur, *tex. & interp. in c. 1. & 2. de novæ op. nunt.*

Dubitari posset, an hodie Episcopus recte licentiam concedat privata & domestica Oratoria construendi in iisque celebrandi? Ratio negandi habetur in Concil. *Trid. sess. 22. de sac. missæ. c. 8.* Verum interpretatio magis in praxi recepta est, quam etiam tradit *Nav. de privil. Conf. 4. & Barb. ad d. c. 8. n. 16.* quod Concilium tantum voluerit tollere abusum, ne passim sine rationabili causa in privatis domibus celebraretur. Solent tamen tales licentiæ dari cum clausulis: ut locus sit decenter ornatus, à secularibus negotiis liber, desuper à conjugatis non inhabitatus. Item ut concessio intelligatur sine præjudicio parochialis Ecclesie, ne ibidem conciones atque oblationes negligantur, & excipiantur dies natalis Domini, Paschæ, & Pentecostes, in quibus cessante impedimento Ecclesia parochialis frequentanda est, & demum quod in diebus festis audiendo missam in oratorio privato non satisfaciant, qui non sunt de familia personæ, cui licentia conceditur. *Riccus in praxi aurea tom. 4. ref. 298.*

Ædificium porro parochialis (sicut & alterius) Ecclesie inchoari non debet, nisi prius Episcopus ad locum accedat atrium ac cæmeterium publice designet, ibique crucem cum precibus figat, & in jaciendis fundamentis primum lapidem ponat, *tex. & gl. in c. 9. d. c. de consecr. Docet tamen Azor. Inst. mor. p. 2. l. 9. c. 3. q. 4.* non requiri, ut Episcopus personaliter ista peragat, sed posse alteri v. g. vicario aut personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ demandare.

Forma Ecclesiarum ex antiqua traditione recepta est, ut forma oblonga in modum navis ædificentur, ad denotandum, quod in iis quasi in navicula Petri inter fluctus & pericula hujus mundi salvemur. Item Apostolos instituisse, ut, si commode fieri possit, altare primum & maximum versus orientem erigatur, & Christianos ex antiqua traditione consuevisse versus orientem orare, ex *Clem. & aliis SS. PP. refert Azor. d. l. q. 12.* fortassis juxta illud *Habacuc. cap. 3. Deus ab Austro veniet &c.*

Circa reparationem Ecclesiarum parochialium ruinosarum observanda est constitutio Concil. *Trid. s. 21. de ref. cap. 7.* quod nimirum Ecclesie parochiales (idem esse de domibus parochialibus declaravit S. Congre. in eodem c. 7.) ex fructibus & proventibus quibuscunque ad easdem Ecclesias quomodolibet pertinentibus restaurari debeant. Si verò dicti Ecclesiarum redditus sufficientes non fuerint, tunc omnes patroni, & alii qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt aut in illorum defectum parochiani omnibus opportunis remediis appellatione remota cogi ad reparationem poterunt.

Quia porro Concilium patronos aliosque ex Ecclesia utilitatem & fructus percipientes per copulam *ET* conjungit, videntur omnes simul juxta proportionem reddituum & emolumentum arbitrio Episcopi taxandam in contributionem vocandi. Nam omnes simul tangit regula, qui sentit commodum, sentiat & onus. In rectoribus tamen & beneficiatis deducenda prius sunt necessaria pro eorum sustentatione congrua juxta decentiam vitæ clericalis, non secundum exigentiam mundanæ dignitatis, ad quam ampliandam non dari beneficia, sed potius pro alimento ministrorum Ecclesie & pauperum ac augendo cultu divino refert *Barb. in collect. ad d. c. 7. Trid. num. 10.*

Quod si ob notoriam egestatem nemo ex prædictis contribute valeat, nec spes sit futura reparationis, Ecclesia ruinosæ omnino destrui poterit, ac ejus jura & fundi dotales ad matricem Ecclesiam, si filialis sit, vel aliam viciniorum auctoritate Episcopi transferri. In hac porro Ecclesia, ad quam fit translatio, erigendum est altare sub eadem invocatione, sub qua fuit Ecclesia diruta, *Barb. d. l. n. 25.*

Idemque de beneficiis simplicibus dicendum, quæ fuerunt in Ecclesia collapsa, ut arbitrio Episcopi alicui altari vicinioris Ecclesie cum omnibus oneribus & emolumentis ac prioribus invocationibus applicentur, sicut in *tex. Trid. habetur.*

Lapides verò & ligna destructæ Ecclesie quamvis olim non licuerit ad alium quam Ecclesiasticum usum applicare scilicet ad ædificationem alterius Ecclesie, *c. ligna 38. de conse. d. 1.* hodie tamen facultatem concessit Concilium *Trid. d. c. 7.* ut Ecclesie diruta (id est, tam locus ipse quam materialia *Rota apud Farin. p. 1. in posthum. decis. 107. n. 2.*) in profanos usus non fordidos erecta tamen ibidem cruce converti possint.

Non posse autem ab Episcopo profanari cæmeterium sicut Ecclesiam in *d. decis.* habetur. Item ligna picta vel alia materialia alio signo notata, ex quo noscerentur fuisse Ecclesie, ad vitandum scandalum non posse applicari ad fabricam laicalem. ex *Navar. de spol. Cler. §. 18. prope finem.* refert *Barb. in d. c. 7. Trid. num. 24.*

11 Est & notabilis de Strina Azorii *Inst. mor. p. 2. lib. 9. c. 3. q. 13.* quod si Ecclesia destruat ex incendio, tumultibus bellicis, vel ut de novo reedificetur, non propterea amittantur indulgentiæ vel privilegia tali loco concessa, sed ad novum etiam ædificium extendenda sint, licet aliud sit, si in vindictam sceleris autoritate superioris aliquis locus destruat.

C A P U T III.

De Consecratione Ecclesiarum Parochialium nec non & Altarium & Paramentorum.

S U M M A R I A.

- 1 A quo & quibus ceremoniis Ecclesia sint consecrandæ.
- 2 Quibus casibus destructa & reedificata Ecclesia consecrari debeant.
- 3 Specialis etiam consecratio altaribus impendenda est.
- 4 Quid sit altare portatile & fixum, ac quibus casibus resecrentur.
- 5 Calices & patenæ specialiter consecrari & ex certa materia confici debent.
- 6 An consecratio repetenda, si calici nova deauratio accedat?
- 7 Quare campanæ Eccles. benedicantur & exsimate inungantur.
- 8 Vestes & paramenta ad missam spectantia etiam benedicuntur.
- 9 Quibus de jure vel ex privilegio competat consecrare & benedicere Altaria, Calices &c.

1 C onsecratio Ecclesiarum facienda est ab Episcopo per signationem & unctiorem parietum cum oleo sacro & aliis ceremoniis præscriptas in Pontificali Romano, atque ante prandium inter missarum solannia, de decencia (non de necessitate) in die festivo. *c. tua. c. 3. de Consec. Eccles. c. omnes Basilicæ de consec. d. 1. Ugo de potest. Episc. c. 28.* Non tamen prius consecranda est Ecclesia, quam competens illi dos pro ejus consecratione assignetur, *c. 1. l. q. 2. c. cum sicut. de cons. Eccl.*

Quamvis autem Ecclesia non debeat sæpius, quam semel consecrari. Si tamen dubitetur an Ecclesia quandoque fuerit consecrata, præsumitur contra Ecclesiam, quod nunquam fuerit consecrata, nisi probationes aliqua pro ea adferri possint, ac proinde denuo consecranda erit, non enim intelligitur iteratum, quod nescitur factum *c. Ecclesie. c. solenniter. de consec. d. 1.* Probatur autem consecratio per scripturam vel per cruces, quæ dum consecratur Ecclesia in parietibus fiunt vel per unum testem aut famam aliaque indicia, quando enim de nullius præjudicio agitur, imperfectæ probationes admittuntur. *Panorm. in c. proposuisti 4. de consec. Eccl. n. 6.*

2 Item si Ecclesia tota vel ex majori parte corruerit & reedificata sit, denuo consecranda erit, licet ex eadem materia reedificetur, quia nihilominus nova Ecclesia est, etsi prior forma interit. *gl. in c. de fabrica de consec. d. 1. nec distinguendum erit, an casu corruerit Ecclesia, an ea mente tigna pro majori parte deposita, ut reponerentur. Barb. de offic. Ep. p. 2. alleg. 27. n. 15. sed opponitur difficilis tex. in l. inter stipulante stipulantem. § 3. § 5. ff. de V. O. & in l. qui res. 98. §. 8. ff. de solut. ubi navis ea mente dissoluta ut ex iisdem tabulis reficeretur, dicitur manere eadem navis. Existimo responderi posse, in casu dd. legum manere eandem navim quantum ad retentionem domini & possessionis civilis ejus, qui per dissolutionem navim non voluit interire: Non autem quoad eandem numero formam, (quod tamen in consecratione consideratur) si enim per refectionem ex eadem materia eadem numero forma conservaretur, male dixisset IC. in *cc. LL.* quod navis sine intentione refectionis dissoluta, & post ea mutato consilio ex iisdem tabulis refecta alia navis sit, sola enim intentio dissolutionis tanquam composito profus extrinseca, nihil mutat in substantialibus compositi.*

Deinde si magis moraliter loqui velimus, quidquid sit de navi, certe in ædificio major est mutatio, neque ut eadem tabulata, ita idem ædificium eisdem lapides & lateres, eo quo prius fuerunt modo accommodantur, ut vel hinc IC. in *d. l. 83. §. 5.* responderit, aliter de domo usque ad aream deposita, quam de navi sentiendum, ut illa etiam intentione reficiendi dissoluta & reedificata alia sit, nisi pauca tantum tigna dissoluta & reposita sint.

Non tamen erit opus nova consecratione, si subsistentibus parietibus tectum corruat, quod rursus de novo imponatur, vel si successive etiam ipsi parietes per partes reficiantur, & ita quidem, ut paulatim nec pars de primo ædificio supersit

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

(dummodo simul & semel totius vel majoris partis Ecclesie ruina & reparatio non fiat) quia his casibus moraliter non censetur nova sed prior Ecclesia ut ex mente omnium DD. tradit Barb. in *c. lignis. 6. de cons. Eccles. & pulchris exemplis confirmat Juriscons. in l. proporebatur. 76. ff. de judic. quod scilicet eadem legio militum, idem populus censetur, licet prioribus hominibus emortuis novi substituuntur, idem corpus hominis, licet ex novis accedentibus alimentis in dies reficiatur, specie etiam extrinseca non mutata res eadem existimatur. Quod si Ecclesia amplificetur & nova pars addatur, quæ tamen minor sit parte veteri remanente etiam tunc nova consecratione opus non erit quia major pars trahit ad se minorem, *c. quod in delictis. 3. de consec. Eccl. gl. margin. in d. c. de fabrica de consec. dist. 1. in v. innovata.* ubi addit sufficere, si aqua exorcizata seu benedicta nova pars accedens aspergatur.*

Porò specialis consecratio Ecclesie & specialis altaribus intra eam existentibus impenditur, unde contracto altari non toti Ecclesie, sed ipsum tantum altare & vicissimi execrata Ecclesia propter ruinam & reparationem majoris partis ipsa quidem Ecclesia non autem altare (si salvum & integrum permanserit) consecrari debebit.

Altaria autem omnia sive portatilia sive fixa in superiore parte lapidea esse debent, ad designandum quod sacerdotes sacrificantes annuntiant mortem Domini, *1. ad Cor. 11.* qui in sepulchro lapideo tumulatus est. Sepulchrum quoque & sigillum omnia altaria habere debent, id est, cavitatem aliquam, in qua reliquiæ Sanctorum recludantur, *c. placuit. 26. de consec. d. 1. Sylv. v. altare. d. 1. tex. in d. c. placuit & quod usus optimus legum interpret, l. cum de interpretatione. ff. de ll. constanter in Ecclesia observatus demonstrat, & introitus missæ indicat per illa verba: quorum reliquiæ hic sunt &c. † Altare quidem portatile est tabula lapidea, quæ de loco ad locum portari potest. Altare autem fixum tam ex superiori mensa lapidea, quam ex inferiori structura seu pede firmo essent aliter constituitur. Quare si in altari fixo superior tabula à suo pede amota fuerit, execratum censetur.*

Cæterum tam in Altari portatili quam fixo, si notabilis fractura acciderit, si reliquiæ extractæ sint, imo si sepulchrum tantum vel sigillum apertum, aut lapis claudens sepulchrum fractus fuerit, execratio & ad novam consecrationem deveniendum erit. *Innoc. & communiter. alii in c. 1. de consec. Eccles. circa fracturas tamen plurimum tribuendum esse arbitrio Episcopi, an & quando execratio facta dici debeat monet Barb. de offic. Episc. alleg. 27. n. 2. 6. & tantam esse debere ut in nulla parte altaris calix cum patena moraliter rem æstimando consistere possit, ut si per medium altare transeat ubi calix ponitur, habetur apud Laym. in *Theod. mor. de satisf. miss. c. 6. n. 4.* ubi *n. 5.* videt vero reprobare sententiam illorum, qui putant amitti consecrationem si cornua altaris in quibus unctio facta est, frangantur, eo quod consecratio intelligatur inesse toti altari & in majori ejus parte capiendum calici idonea conservari. Addit etiam Barb. ex decis. Sac. Congreg. Rit. lapidem altaris profanatum posse licite vendi & applicari ad usum profanum honestum & decentem.*

Præter Ecclesias & altaria etiam calices & patenæ consecrari debent, ut notum. Et hæc vasa debent esse de auro & argento; vel ob causam paupertatis ex stanno, non autem de ære aut auricalcho aut cupro, quia hæc propter æruginem vomitum provocant, nec ex ligno, ne sanguis per poros imbibatur, nec ex vitro vel cristallo propter fragilitatem, nec de lapide propter ineptitudinem. *c. vasa & c. ut calix de consec. d. 1. Sylv. v. Calix n. 1.* amittunt autem suam consecrationem, per amissionem formæ & usus, sicut contingit per notabilem fractionem, licet illa fractio de facili iterum refici possit, ut si pes calicis à cuppa abrumptur. Si tamen calix torneatilis foret, separatio pedis à cuppa, quæ fit absque fractione, non noceret. Nam forma ex prima destinatione operis mutabilis non censetur interire per mutationem reparabilem, & aliam rationem adfert Laym. *c. l. n. 6.* quod scilicet in calice torneatili cuppa per se sola consecratur.

Non etiam amitti consecrationem calicis per aliquos ictus à fabro inflictos, nisi per fractionem forma mutetur ex Armilla in *v. Calix n. 4.* & Azor. *Inst. mor. p. 1. lib. 10. c. 28. q. 5.* refert Barb. *d. all. 27. n. 39.* quod notandum circa profanationem calicum vendendorum, vel commutandorum.

Quod si diuturnitate temporis aurum in calice & patena absumptum sit, non propterea interit consecratio, quæ toti calici & patenæ inest. *Armilla & Sylv. v. Calix. Azor. d. l. q. 6. & alii communiter.* † Attamen si nova deauratio accedat, an tunc repetenda sit consecratio, dubitatur? Sunt qui negent apud Laym. *d. l. n. 7.* eo quod major pars consecrata trahat ad se minorem in his quæ inter se uniantur, & quorum partes seorsum rationem & appellationem non habent. Quod in G-

mili non ideo exsecrata dicatur Ecclesia quia muri ejus pinguntur aut dealbantur. Ideoque sufficere putant, si majoris reverentia ergo ob contactum manuum profanatum (potest enim ex causa rationabili laico v.g. aurifabro dari licentia contingendi vasa sacra. *Laym. c. l. n. 19.*) aqua benedicta calix abluatur. Quibus addi potest, quod etiam per sacrificium missa nova sanctificatio tribuatur. *c. de fabrica. 24. de Consecr. d. 1. prout & in corporalibus manibus faminarum lotis & mundatis accidit, ut postquam iterum desuper celebratum est, non liceat laicis ea attingere, & hæc sententia propter auctoritatem DD. & rationes valde probabilis est. Contrariam sententiam quam cum Syl. Armilla, Angelo & Tabiena in v. Calix. & Azor. d. l. q. 4. aliisque pluribus tenet Barb. d. l. n. 38. in praxi receptam testatur ipse Laym. c. l. n. 6. ex eo quod in calice principalis pars non consideretur ex quantitate materia, sed ex immediato contactu Corporis & sanguinis Domini, quæ proinde, si nova non consecrata accedat, consecranda erit. Ad rationem contrariam responderi potest, quod quidem major pars consecrata trahat ad se minorem, nisi minor sit pars principalior. Attamen stante hac ratione difficile videtur cum Sylv. v. Calix n. 2. & aliis sustinere, quod per assumptionem auri non excretur calix, tanquam parte principali pereunte, nisi subtiliore distinctione inter partem principalem, & majorem inventa dicamus, consecrationem quidem perire per interitum partis majoris utpote ex quo totum suam formam amittit, non autem semper (nisi fortassis aliter in jure cautum sit) per interitum partis principalis, quæ si non sit simul pars major in ratione quantitatis non immutat formam totius, in quo propterea consecratio adhuc conservatur.*

7 Præterea etiam Campanæ Ecclesiarum benedicuntur & Chrismate unguuntur, ut sono quasi sacro ad laudes divinas convocetur populus, repellantur hostes & demones, incantationes magica, supergantur noxiæ tempestates. Si hæc ridendæ hæretici, irrident Deum ipsum ait Durant. *de Ritibus Eccles. lib. 1. cap. 22. numer. 4. qui numer. 10. præcepit populo: plangeis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri, coram Domino Deo vestro, ut evamini de manibus inimicorum vestrorum.* Sed hæretici extra Ecclesiam ejecti & Satanae traditi (teste Augustino in cap. omnis, 32. 11. *quest. 3. sicut enim in Ecclesia Christus, ita extra diabolus est*) facile deponunt arma spiritualia, pulsare negligit, quos quieto jure possidet, fœdus iis potius, quam colluctatio est cum Apostolo ad Ephes. 6. *Adversus insidias diaboli, adversus Principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in caelestibus.* Vere illi nequam spiritus quondam celestes, principes demoniorum Matth. 12. 24. rectores tenebrarum harum & exilii nostri, qui in nos exules filios Evæ tantam potestatem exercent, ut ad oculum (nisi miseri in nostram demum perniciem cæcutire velimus) nobis quotidie monstrant magi incantatores, energumeni sive obsessi, peccatores in interitum temporalem & æternum ambulantes. Sed & Crux Christi peremptibus sulticia, nobis autem qui salvi sumus, Dei virtus est. In fide quidem resistitur diabolo 1. Pet. 5. Sed in fide observante mandata Dei, Matth. 19. *Epist. Joan. c. 3. in fine, in fide, cum bona conscientia 1. ad Tim. 1. 18. in fide, crucifigente & mortificante carnem cum vitis & concupiscentiis, ad Rom. cap. 8. ad Gal. 5. 22. ad Colos. 3. in libertate vocati sunt Christiani, sed non in libertatem carnis, d. cap. 5. ad Gal. in fide, dedita orationi & jejunio. Matth. 17. 20. Marci 9. 28. in fide, non diligente mundum, neque ea quæ in mundo sunt, conupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & ambitionem spiritus, quæ non sunt ex parte 1. Joan. 2. in fide, quæ Ecclesiam audit ut matrem, alias non fides, sed infidelitas est, Matth. 18. 17. qualem fidem an habeant hæretici, seipsos probent & judicent.*

8 Vestes quoque sacrae & paramenta ad sacrificium Missæ deservientia benedici debent, ut tanto cum majori reverentia divinum sacrificium peragatur. Amittunt hæc paramenta suam benedictionem, si eorum forma mutetur, ut si ex stola fiat manipulus, ex alba amictus & quia singulis paramētis speciales benedictiones sunt accommodatæ. Item si adeo lacerentur, ut ad usum sacrum deservire amplius non possint, quo casu fragmenta potius comburi, quam ad usum mere profanum applicari debent. *Ugolimus de potest. Episc. c. 32. §. 1. n. 6. Si laceræ vestes ex materia non consecrata reficiantur, dummodo materia hæc sit in minori quantitate, participat de consecratione majoris partis arg. c. 3. de Conf. Eccl.*

9 Demum Consecrationes & benedictiones altarium, calicum, campanarum & reliquorum paramentorum ordinario jure quidem Episcopis competunt, nihilominus ex privilegio & communicatione privilegiorum etiam inferioribus Prælati competere possunt. Deinde consuetudine multorum locorum recepta videtur sententia Glossæ in Clem. attendentes de

statu mon. quod generaliter Prælati habentes, usum insulæ & baculi consecrationes præfatas facere possint. Si enim tales Prælati possunt dare minores Ordines, & alias ordo Episcopalis secundum Theologos essentialiter non differat ab ordine sacerdotali, imo plus sit consecrare Corpus Domini, quam altare, calicem, &c. non est adeo inconveniens, ut vel per privilegium vel per consuetudinem saltem immemorabilem alius etiam actus Ordinis Episcopalis sacerdotali acquiri possit.

Ex eadem quoque consuetudine passim videmus Abbates exercere consecrationes etiam pro aliis Ecclesiis quam suis. Ad declarationes autem Cardin. quæ in contrarium emanarunt, dici potest, eas usu receptas non esse, vel loqui tantum de jure utendi Pontificalibus & benedicendi vestes competenti ex privilegio speciali non ex consuetudine generali, sicut etiam notavit Pasqual. ad Laur. de Franch. *de Controv. inter Epif. & Reg. p. 2. q. 28. n. 3.*

Sed & illud notabile est, quod docet Laym. in qq. *Can. de Præl. elect. Sc. q. 219.* quod Abbas ex privilegio Apostolico (idem si ex consuetudine) semel habitatus ad faciendas consecrationes pro sua Ecclesia tantum, possit eas etiam facere pro aliis Ecclesiis, si ab Episcopo ei committatur. Adest enim potestas delegandi ex parte Episcopi, & capacitas exequendi ex parte delegati. Illa autem restrictiva clausula privilegii, *pro sua Ecclesia tantum*, intelligitur, ne faciat pro alienis auctoritate propria, sicut nec Episcopo cujusvis privilegii prætextu in aliena diœcesi pontificalia exercere permittitur sine licentia Ordinarii loci, *Trid. §. 6. de refor. cap. 5.*

CAPUT IV.

De Reconciliatione Ecclesiarum pollutarum.

SUMMARI A.

- 1 Quando Ecclesia consecratur polluta.
- 2 Cur tantum ob sanguinis & seminis effusionem, & non alia delicta, Ecclesia polluitur.
- 3 Quid faciendum si Ecclesia polluitur per sepulturam infidelis, hæretici &c.
- 4 An sepultura catechumeni, vel infantis non baptizati Ecclesia polluitur.
- 5 Cur locus sacer potius consecratur pollui, per sepulturam pagani &c. quam decedentis in notorio peccato.
- 6 Pollutio Ecclesia fit per omne homicidium injuriosum in ea perpetratum.
- 7 An polluta censenda sit Ecclesia, si intra eam bannitus occidatur?
- 8 Quid sit sentiendum de sacrilega occisione viri sancti intra Ecclesiam?
- 9 Non per mortem, sed per injuriosam occisionem intra Ecclesiam factam, polluitur Ecclesia.
- 10 Per quam vulnerationem consecratur pollui Ecclesia.
- 11 Quando per voluntariam seminis humani profusionem polluitur Ecclesia, & quid de copula conjugali sentiendum?
- 12 Si effusio sanguinis vel seminis fiat tantum in parte vicina Ecclesie v.g. sacrificia &c. non consecratur polluta Ecclesia.
- 13 Qui sint effectus pollutionis.
- 14 Quid faciendum sacerdoti, si durante missa contingat pollutio?
- 15 An per solam missam reconcilietur Ecclesia?
- 16 An Episcopus possit dispensare, ut ante reconciliationem legantur missæ.
- 17 An inferior Episcopo possit reconciliare.

Ecclēsia pollui dicitur, quando certæ quædam actiones turpes indecentes & loco sacro injuriosæ (quas mox enumerabimus) in ea committuntur. Non possunt quidem revera & physice sancta à profanis & turpibus coinquinari. *v. vestra. de Cohab. Cler. & Mul.* quia tamen domum Dei decet sanctitudo, morali hominum existimatione indecens reputatur ut hostia immaculata & divinum officium offeratur in loco sceleribus contaminato, antequam aliqua ejus loci expurgatio fiat. Consecratur autem pollui Ecclesia 1. Per sepulturam infidelis vel etiam fidelis excommunicati aut hæretici. 2. Per homicidium aut sanguinis injuriosam effusionem. 3. Per effusionem seminis. † Dices, quare præter sanguinis & seminis effusionem (de sepultura quæremus paulo inferius) & non etiam ob alia delicta in Ecclesia parata v.g. furtum sacrilegum, blasphemiam, perjurium &c. polluitur Ecclesia? Vix dari aliam rationem quam quod peculiariter circa enumerata delicta ita ab Ecclesia statutum sit, cum Valentia, Vasq. & aliis

aliis putat Sanchez. *de matrim. hb. 9. d. 15. n. 4.* & sequitur Barb. *de offic. Episc. alleg. 28. n. 21.* Sed ignoscant tanti viri, si non sequar tam facile confugientes ad *Leg. non omnium ff. de LL.* quin potius existimo eam fuisse rationem Ecclesie sic statuentis, quod hæc duo crimina scilicet sanguinis & feminis effusionem præ ceteris vitiis semper sacre pagine à ministerio divino excluderint, effusionem quidem sanguinis, quod contrarietur Manuetudini Christi, qui nullius sanguinem, sed suum innocentissimum pro nobis effudit: effusionem autem feminis, quod contrarietur immaculatæ hostiæ & Virgineæ proli. Si hæc ratio displicet, rogo mihi assignari aliquam, cur Clericus potius ob homicidium vel mutilationem reddatur irregularis, & non ob aliud quamvis gravius delictum? Cur à celebratione vel sacra communicatione potius ob effusionem feminis, quam aliud peccatum abstinendum sit? & cur etiam in veteri testamento quoad utrumque casum Judæis fuerit præceptum à facris abstinere.

3 Igitur I. polluitur Ecclesia per sepulturam infidelis, vel hæretici aut excommunicati: Ejus cadaver exhumari (dummodo ab aliis dignosci possit) & Ecclesia vel Cæmeterium reconciliari debet, nec prius aliquis etiam Catholicus ibidem sepeliri, vel sacra fieri possunt. *c. Ecclesiam 27. & seq. de Consec. d. i. c. consulti 7. de Consec. Eccl. vel alt. hodie tamen post Concilium Constant. & Extravag. Martini V. ad vii. tanta scandala. nisi excommunicatus fuerit denunciatus aut notorius percussor clerici, probabilis non polluetur Ecclesia. Quidquid enim sit, an talis excommunicatus non denunciatus possit sepeliri in loco sacro (de quo diversas opiniones referemus inferius in p. 4. de sepulchris) si tamen de facto sepultus fuerit, magis est, ut dicamus non pollui Ecclesiam, quia quoad hoc punctum non agitur de favore excommunicati, sed Ecclesie & aliorum fidelium, qui juxta d. Concil. Constant. non debent divinis officiis privari ob communionem cum excommunicato non denunciato.*

Idem quod de excommunicatis non denunciatis, etiam de hæreticis servandum docet Nav. *Consl. 10. de hæret. & in tract. de orat. & heris Can. c. 21.* quæ sententia pro usu nostræ Germaniæ deservit, ubi cum hæreticis impunis est communio. Imo in novissimo bello Turcico auxiliares Copiæ à Principibus Acatholicis transmissæ, hoc expresse in pactum deduxerunt, & ab Ecclesiasticis potestatibus desuper consensum impetrarunt, ut milites Acatholicos defuncti in Cæmeteriis Catholicorum (ubi propria Lutheranorum non adessent) sepelirentur. quod ob eam magnæ necessitatis ad obtinendum illud militare subsidium, & quia non fuit petitum in contemptum fidei Catholicæ, sed potius ob honorem humanum, toleratum fuit.

4 Per sepulturam etiam Catechumeni & infantes Christiani non baptizati pollui Ecclesiam tradit Zoef. *ad tit. decret. de Consec. Eccl. n. 13.* sed Ugolinus *de potestate Episc. c. 29. §. 5.* excipit Catechumenos, qui cum vi charitatis conjuncti nobis sint, & separari in sepultura non debeant. Infantes Christianorum non baptizati licet ex usu Ecclesie in locis sacris non tumulentur, si tamen de facto contingeret sepeliri, putarem probabiliter dici posse, non pollui locum sacrum, quia ad hanc rem non habetur alius tex. quam *c. Ecclesiam de Consec. d. 1.* quod non loquitur de tali infante sed de vero pagano & infideli, in panalibus autem & odiosis termini sunt propriissime accipiendi. Nec est eadem rationis paritas, quia infideles & pagani veri formaliter detestantur fidem Ecclesie ejusque hostes sunt, at infantes Christianorum magis fidem & personam parentum representant, in quorum fide etiam baptizantur, & quia ad Baptismum ex fide & intentione parentum destinati sunt, non video, cur magna irreverentia ex eorum sepultura loco sacro irrogetur, sicut de Catechumeno dictum. Nec etiam obstat, quod baptismus fit janua ad Ecclesiam, & ante Baptismum nemo sit intra Ecclesie gremium recipiendus. Nam ex hoc plus non convincitur, quam quod infantes non baptizati non sint in Ecclesia sepeliendi, non autem statim sequitur, quod ex eorum sepultura Ecclesia polluat: certe etiam omittentes pascha-lem confessionem decedentes in peccato notorio excluduntur à sepultura, & tamen sepulsi de facto non polluunt locum sacrum, quia id in jure expressum non est.

5 Sed quæres, cur potius pagani, excommunicati, hæretici sepultura polluitur locus sacer, quam ex sepultura decedentis sine annua confessione, vel in notorio peccato &c. Præter autoritatem Canonis sic statuentis, si non convincentem saltem congruentem rationem posse assignari, quia pagani & excommunicati aut membra Ecclesie non sunt, aut si fuerunt, resecta & separata sunt, & propterea sicut in vivis sine irreverentia inter divina officia tolerari non possunt, ita nec post mortem, juxta vulgarem regulam: *quibus non communicamus vivis, nec communicemus mortuis, c. sacris de sepulch. Man. Parochor. P. Ludov. Engel.*

At verò reliqui peccatores utcumque graves non censentur à divinis vel ab Ecclesia exclusi, ejus membra permanent quamvis arida, & sicut in corpore physico membrum aridum per nervos & pellem reliqui corporis sustinetur, nec non aliqui saltem calore fovetur, ita etiam isti peccatores adhuc de corpore Ecclesie ejusque meritis & suffragiis aliquid fomentum participant. *Covar. in vellel. c. alma mater. de sent. excom. in 6. in princ. n. 7. & in §. 6. n. 3.*

II. Polluitur Ecclesia per omne homicidium injuriosum in Ecclesia quocunque modo etiam per suffocationem aut occisionem sui ipsius factum *c. proposuisti de Consec. Eccl. & gl. in c. un. Eod. in 6. dico injuriosum*, unde per homicidium vel casu vel causa defensionis vel ab amente aut infante factum non censetur fieri pollutio, quia cum non sit delictum in occidente, non videtur fieri irreverentia Ecclesie. volunt tamen DD. cum Barb. *de offic. Episc. p. 2. alleg. 27. n. 15.* quod sicut Clericus & sacerdos qui templum Dei spirituale est, ex homicidio casuali ubi culpa intervenit, item & ex homicidio necessario, si modus inculpata tutela excedatur, pollutus & irregularis censetur, ita etiam templum materiale ob homicidium culpabile (quamvis non dolosum) reconciliatione indigeat.

7 Quid, si in generale bannum declaratum, in cujus vitam potestas omnibus data sit & quidem sub promissione præmij, in templo ab aliquo occidatur? Polluta censetur Ecclesia, licet enim respectu personæ occidentis & occisi tale homicidium supponatur licitum & non injuriosum, est tamen injuriosum respectu loci sacri, sicut de alio malefatore juste condemnato & in Ecclesia promerito supplicio affecto tradit Zoef. *ad tit. de Consec. Eccl. n. 5.* Barb. *d. l. n. 15.* Obiter hic adnotandum est, quod etiam monet Moli. *de I. & I. tr. 3. d. 7.* raro & non nisi ob gravem causam licere dare publicam potestatem cuilibet occidendi reum, tum ob alia incommoda, tum quod tales rei Sacramentis destituti in corpore & anima pereant, quod utique Christianæ manuetudini repugnat, ideo etiam data potestate à magistratu fori externi non videtur facile ejus usus in conscientia & foro interno admittendus, nisi ex vita malefactoris proscripti quotidianum periculum Reipub. immineret, tunc enim publica salus ab occisionis peccato sicut in quocunque hoste excusaret.

8 De occisione alicujus Sancti & justi viri in Ecclesia etiam queritur an exinde polluat Ecclesia? Affirmativa magis legitur apud Authores, eo quod licet sanguis sanctorum Martyrum consecret potius, quam scædet Ecclesias *tex. in c. fundamenta. de Elect. in 6.* ipsa tamen nefaria & sacrilega actio occidentis Ecclesie injuriosa est *gl. in c. un. de consec. Eccl. in v. sanguinis. Zoef. d. l. Vall. Eod. tit. n. 5.* At tamen Gl. in fin. locum ubi sanguis effusus est, non esse in reconciliatione abluendum.

9 Cæterum non polluitur Ecclesia si quis morbo correptus, aut extra Ecclesiam vulneratus in eadem moriatur. Non enim ipsa mors per se irreverentiam infert Ecclesie, sed causa sive occisio in ea facta.

Quid autem dicendum, si quis in Ecclesia existens foris prætereuntem vel è converso foris existens stantem in Ecclesia jaculo conficiat? Communius receptum est, ut posteriore tantum casu, quo consummative homicidium in Ecclesia contigit, censetur polluta Ecclesia, non priori, in quo non proprie verificantur textus Canonici *c. un. de consec. Eccl. in 6. c. tantum. de privil.* qui in pollutione Ecclesie loquuntur de morte aut sanguinis effusione in ipsa Ecclesia contingente. *Zoef. d. l. n. 6. Barb. d. l. n. 26.*

10 III. Non solum per mortem sed etiam per vulnerationem injuriosam, ex qua sequatur sanguinis humani effusio; Quod verbum *effusio* communiter DD. interpretantur de copioso fluxu sanguinis, unde concludunt non sufficere paucarum guttatam destillationem, vel si ex inflicto pugno ex naribus sanguis profuat (nisi ex gravibus verberibus id accideret) neque sola percussio quamvis gravis satis est, sed sanguis sequatur necesse est, quia de sanguinis tantum effusione textus Canonici loquuntur, qui in materia panali ultra propriam verborum significationem extendendi non sunt. Non tamen requiritur ut sanguis ipsam Ecclesiam contingat, dummodo intra Ecclesiam effusus, licet in vestimentis absorbtus vel in vase collectus sit. *vide Barb. d. l. Navar. in man. c. 27.*

11 IV. Polluitur Ecclesia per voluntariam feminis humani profusionem sive cum, sive sine complice factam, dummodo ea notoria & saltem per famam aut opinionem hominum publicata sit, non autem sufficit si v. g. solus Parochus ex confessione sciat vel aliqui tantum ex parochianis, penes quos non sit periculum divulgationis. *Sa. v. Ecclesia n. 19.*

Quid de copula conjugali in Ecclesia facta dicendum? Ratio dubitandi est, quod *c. si motum. de consec. d. 1. & c. significasti. de adult.* solum loquatur de profusione feminis illicita & adulterina, in panalibus autem termini sint stricte accipiendi,

S U M M A R I A.

- ut pro negativa sententia argumentatur Pont. de matrim. lib. 10. c. 10. n. 13. Sa. d. l. n. 14. Nihilominus apud authores receptius est pollui Ecclesiam, propter irreverentiam, quæ per talem actum loco sacro inferitur, ad eum modum, quo superius de executione facta in Ecclesia contra iuste condemnatum ad mortem diximus. gl. in c. un. in v. seminis. de Consecr. Eccles. in 6. Navar. in Man. c. 27. n. 252. Sanch. de matr. lib. 9. disp. 5. n. 7. posset vero contraria sententia obtinere in casu necessitatis, quo conjugati ab hostibus v. g. in templo obsessi aut conclusi alium locum exercendi copulam non haberent, & sine periculo incontinentiæ abstinere non possent, quia tunc necessitas facit licitum, quod alias foret illicitum. Covar. de spons. p. 2. c. 7. §. 2. n. 3. Zoef. d. l. n. 8. Barb. d. l. n. 48.
- 12 Est porò circa has pollutionis species, quæ fiunt per sanguinis aut feminis effusionem advertendum, non pollui Ecclesiam, si vel supra illam in tecto, vel intra eandem in aliqua Crypta, aut juxta eam in campanili vel sacristia (du modo hæc ab ipso interno corpore Ecclesiæ, quod censetur à tecto interiori usque ad pavementum, & à porta interna majoris Ecclesiæ, usque ad ultimum parietem internum nullo alio muro intermedio distinctum) pollutio contingat, quia, ut sæpius repetitum, in materia penali & odiosa termini sunt stricte accipiendi. Vid. Fagund. in 5. Eccles. præcepta p. 1. lib. 3. cap. 14. à n. 37. Sanch. d. disp. 15. à n. 27. Item si pollutio contingat in gradibus Ecclesiæ vel ante januam extra scilicet clausuram portæ internæ. Barb. d. l. n. 20.

Quod si polluta sit Ecclesia consebitur etiam pollutum committere tanquam accessorium, non verò è converso, quia accessorium non trahit ad se principale. c. un. de Consecr. Eccles. in 6.

- 13 Effectus pollutionis est, quod in Ecclesia polluta antequam ab Episcopo per aquam cum vino sale & cinere, benedictam reconcilietur, non debeant sacra vel divina officia fieri, neque mortuus sepeliri, qui tamen de facto hæc faceret, temerario quidem ageret & mortaliter peccaret, nullam tamen irregularitatem vel censuram incurreret. c. is qui. 18. de sent. excom. in 6.
- 14 Si contingeret durante missa pollutionem evenire v. g. per homicidium aut vulnerationem communiter distinguitur, an ante consecrationem vel postea id accidat, ita ut priori casu missa etiam capta deserenda sit, non vero posteriori. Ugol. de offic. Ep. c. 29. §. 7. n. 3. Fagund. d. l. c. 18.
- 15 Verum si de facto post pollutionem missa celebrata sit sive bona sive mala fide, jam Ecclesiam propter infinitam virtutem tanti sacrificii haberi pro reconciliata putant Sa. v. Ecclesia n. 19. Castro de lege pen. lib. 2. cap. ult. Cui opinioni videtur aliquantulum suffragari tex. in c. de fabrica. de Consecr. d. 1. ubi dicitur, aliquando totius Consecrationis sanctificationem per missarum solemnitatem implerit: tamen est vera reconciliatio uti, quam sacri Canones præscribunt. neque enim d. c. de fabrica. continet hunc casum, sed juxta communem interpretationem alium, quando nimirum parietes per partes reficiuntur & innovantur. ut priori cap. dictum.
- 16 Si reconciliatio Ecclesiæ fieri tam citò commode nequeat, poterit Episcopus ex multorum sententia interim dispensative concedere in ea fieri divina officia; sicut potest in casu necessitatis ad evitandum damnum, spirituale vel temporale in alio jure positivo dispensare. Sa. d. l. Fagund. d. l. c. 14. n. 2. Alii vero existimant, non esse facile ad istam dispensationem deveniendum, si interea in aliquo Oratorio cum Altari portatili possint divina fieri. cum sepultura tamè plurimque necessitas exigit dispensationē, neque alio modo facile evitari potest.
- 17 Delegare autem reconciliationem alicui sacerdoti simplici Episcopus non posset, quia est actus ordinis Episcopalis, per tex. expressum in c. aqua 9. de Consecr. Eccles. nisi fortassis is sacerdos alias ex privilegio Apostolico esset habitatus ad faciendam talem conciliationem, sicut superioribus Fratrum Minorum à Leone X. tale privilegium concessum refertur, ut possint suas Ecclesias reconciliare. Roderiq. tom. 1. reg. 99. 19. art. 6. Henric. L. 9. c. 27. n. 6. quo faciunt ea, quæ superius in cap. 3. ad fin. tradita sunt.

C A P U T V.

De Immunitate Ecclesiarum Parochialium.

Cum omninò deceat res ad divinum cultum destinatas, à profanis oneribus esse liberas, ideo hæc libertas immunitas dicitur & rebus ac locis sacris per jura divina & humana tribuitur.

Dividitur autem immunitas in localem, realem & personalem.

- 1 In quibus consistat immunitas localis, & qui actus profani prohibeantur in loco sacro.
- 2 Quo jure asylum sit concessum, & in quibus consistat?
- 3 An reus ab Ecclesia egressus vel dimissus possit corporaliter à Judice seculari puniri.
- 4 Quomodo Clerici confugam defendere debeant.
- 5 Judices seculares reo penam corporalem remittere tenentur, & quid si recitent?
- 6 Reus propria sponte Ecclesiam egrediens suo privilegio renuntiasset videtur.
- 7 Si crimen confugientis ad Ecclesiam sit mixti fori, datur locus preventionis.
- 8 An Judex prohibeatur custodire reum, ne clam aufugiat, & unde alimenta ei subministranda?
- 9 Quid faciendum, si reus Ecclesiastica immunitate non gaudeat?
- 10 Quinam censentur indigni immunitate Ecclesiastica?
- 11 Consuetudo in materia immunitatis attendenda est.

Immunitas Localis in duobus consistit, nimirum, ut actus profani & sæculares ab Ecclesiis arceantur. Deinde ut malefactores confugientes ad Ecclesias ibidem in vita & membris protegantur. Igitur imprimis in Ecclesiis & Cæmeteriis omnes negotiationes, nundinæ profanæ, societatum conventiones & consilia sub pena arbitrio ordinarii infligenda prohibentur. c. 2. de Immun. Eccles. in 6.

Specialiter verò ab Ecclesiis arceantur contentiones & sæcularium judiciorum strepitus, ad eum ut totus processus judicialis, & ipsa etiam sententia in loco sacro lata ipso jure nulla sit d. c. 2. §. ordinarii. Maximè autem immunitati Ecclesiarum nepugnat, si sanguinis forum efficiatur & absurdum ac crudele inquit Pontif. in c. cum Ecclesia 5. d. 4. ibi judicium sanguinis exercere, ubi est tutela refugii constituta, undè in eod. cap. 5. præter nullitatem processus etiam excommunicationis pena jubetur inferri illis, qui causas criminales in Ecclesiis vel Cæmeteriis agitant.

Præterea Comediæ profanæ & ludi theatrales, choreæ & convivia & similes actiones profanæ à locis sacris excludendæ sunt. c. cum decorem 2. de vita & honest. Cler.

Denique Concil. Trid. s. 22. in decret. de observ. & vit. in missa. statuit musicas eas, ubi sive organo sive cantu lascivium aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, profanæ colloquia, deambulationes, strepitus & clamores prohiberi, ut domus Dei vere domus orationis videatur. merito etiam Glossa in c. odi. 24. q. 1. invehitur in scholasticos & alios, qui intrant templa videndarum mulierum causa, cum potius deberent oculos & mentem ad Deum dirigere.

De Asylo Malefactorum.

UT Ecclesiæ in majori reverentia & veneratione habeantur hoc singulare privilegium non tantum in sacris Canonibus sed etiam legibus Imperatoriis. t. c. de his, qui ad Eccles. confug. iis est concessum, ut malefactores regulariter quoscunque (nisi speciali jure fuerint excepti) in suam protectionem recipiant.

Porò hæc protectio in duobus consistit. I. quod confugientes ad Ecclesiam violenter per judices sæculares abstrahi nequeant, & contra facientes incidant in excommunicationem reservatam. Bulla Greg. XIV. cum alias Quar. in summa Bull. v. casus reservat. 2. quod Rectores & Clerici Ecclesiarum debeant servare vitam & membra talium malefactorum, iique penam aliqua corporali affici non debeant, sed penam tantum pecuniariam vel Ecclesiasticam, utque Civiliter resarciant partibus damna, quæ intulerunt. c. reum 17. q. 4. inter alia 6. de immun. Eccles.

Verum non est satis expeditum, an reus postquam ab Ecclesia egressus vel dimissus fuerit, possit à Judice seculari in vita & membris pro merito suo puniri? negat Gl. in d. cap. reum in v. vel ad mortem. Panorm. in d. c. inter alia n. 9. eo quod reus hoc ipso, quod intra Ecclesiam se receperit, consecutus fuerit impunitatem. Alii econtra cum Henr. Zoef. ad tit. Decretal. de immun. Eccles. n. 38. existimant, hanc immunitatem præcise coherere loco, & reum tamdiu esse impunem, quamdiu in Ecclesia perseverarit.

Utraque sane opinio patitur suas difficultates, prior trahit post se malos effectus, si enim quilibet homicida aut malefactor ex hoc solo impunis evaserit, quod vel modicum ad Ecclesiam confugerit, quot erunt impunita delicta, & quam audaces evadēt delinquentes. Ex altera necessario cōsequetur alte-

alterutrum, ut vel sine fructu futurum sit Ecclesiarum privilegium, vel certe ipsis Ecclesiis onerosum, si delinquentem sine periculo vitæ dimittere, vel sine magno incommodo & quidem toto vitæ tempore reservare non possent.

4 Quare verbis Canonum & legum diligentius inspectis Dico I. Rectoribus Ecclesiarum incumbere servare vitam & membra confugæ, quod fiet, si pro ipso studeant apud sæculares Magistratus impetrare veniam & remissionem pœnæ corporalis. Dico II. Clerici tamdiu debent servare reum, nec eum ad examen vel inquisitionem Judicis sæcularis extradere quam ipse Judex prius etiam jurato de impunitate ejus promiserit: qui si juramentum violaverit, debet in ipsum excommunicatio fulminari. *c. id constituimus 36. 17. q. 4.*

5 Dico III. Cum hæc sit enixa voluntas Canonum & legum, ne reus ad Ecclesiam confugiens damnum in vita & membris sustineat, ideo Judices sæculares non tantum salva justitia poterunt, sed etiam tenebuntur pœnam corporalem remittere, ne hoc privilegium immunitatis inutile sit reo, aut Ecclesiis onerosum, si eundem tamdiu servare debeant. Si vero Judices de facto recusent, non videtur propterea in eos aliqua censura ferenda, cum jura solum innunt, ut negantibus impunitatem, negetur etiam rei extraditio; Et si inferior Judex recusarit, apud superiorem ejus instandum erit per rectores Ecclesiarum, utpote quibus absolute injungitur, ut vitam confugientis obtinere studeant. Imo non videtur facile acquiescendum promissioni alicujus inferioris Judicis, qui ex consuetudine vel privilegio & jure regalium jus aggrandi sive remittendi pœnam ordinariam non haberet, sed protinus superior ejudem adeundus foret, quod si Judex defacto aliquem dolo sub promissione impunitatis & multo magis si per violentiam extraxerit, debet ei servari fides, aut Ecclesia restitui. *Cov. var. ref. lib. 1. cap. 2. n. 16. in fin. Farin. de immun. Eccles. n. 301. Barb. in Collect. ad d. c. inter alia n. 34. Clarus lib. 5. sent. cap. 30. n. 1.*

6 Dico IV. Si reus propria sponte Ecclesiam egrediatur, videtur ultro deserere hoc locale privilegium, innunt illa verba in d. c. id constituimus. Si ipse reus de Ecclesia discesserit, à Clericis non queratur.

7 Dico V. Si crimen, ob quod reus ad Ecclesiam confugit, sit mixti fori, locus erit præventioni inter sæcularem & Ecclesiasticum judicem, prout alibi in Thef. de foro Comp. c. 3. §. 2. diximus, præsertim hoc casu ubi alias non pœna corporalis sed Ecclesiastica vel pœnaria ob privilegium immunitatis est reo infligenda. Quod si Judex sæcularis causam præoccupaverit, aut mere civilis sit (ut si debitor obætatus ad Ecclesiam confugerit) & reus non fidat personaliter, etiam habita impunitatis promissione, coram Judice comparere, poterit in Ecclesia remansens agere per procuratorem, & si nec huc destinavit, procedetur per decreta inmissionis in bona ipsius, sicut & alia executio tum ad obtinendam satisfactionem latorum, tum ad pœnam, contra bona fiet. *l. presentis. C. de bis, qui ad Eccles. confug.*

Quod si defacto reus vel ab Ecclesiastico Judice vel à sæculari pecuniariter punitus Ecclesiam egressus fuerit, non poterit postea amplius de eodem crimine accusari & puniri: ut per Gloss. in d. c. reum & Pan. in cap. 6. de immun. Eccles. nu. 9. ubi non immerito conqueritur, hæc frequenter à Judicibus sæcularibus violari.

8 Dico VI. Non quidem prohiberi posse Judici, si per custodiam militarem animadverti curet in reum forsitan clam de Ecclesia elapsurum, interim non posse impediri alimenta reo subministranda, quia hoc modo reus per indirectum ab Ecclesia extraheretur vel in ea fame neceretur. *L. presentis. C. de bis, qui ad Eccles. confug.* Alimenta autem desumenda sunt in primis ex bonis illius, qui ad Ecclesiam confugit, vel propinquorum ejus, his deficientibus reliqui fideles in Concione vel alio modo commonendi erunt, ut sciant se teneri ex lege charitatis extreme indigenti subvenire, si nemo succurat, Ecclesiæ *c. aurum 12. q. 2.* atque Ecclesiasticis, qui tenentur vitam & membra confugientis servare alimentatio incumbet.

9 Dico VII. Si reus sit de illis, qui Ecclesiastica immunitate non gaudet, docet quidem Covar. var. res lib. 2. cap. 20. sub. n. 18. reum tali casu per Judicem sæcularem propria auctoritate etiam absque licentia Episcopi abduci posse. Verum incognita erat Covar. constitutio Gregor. XIV. cum alias &c. ubi statuitur requirendam esse licentiam Episcopi vel ejus vicarii, qui personam aliquam Ecclesiasticam, quæ capturæ interfit, deputet & reum prius ad curiam Ecclesiasticam ejusque carcerem, sub custodia tamen si opus fuerit sæculari, duci debere, atque ibi per judicem Ecclesiasticum inquiri, an revera crimen ab immunitate exceptum commiserit, quo comperito tunc demum sæculari judici plene tradendum esse.

10 Consentur autem indigni Ecclesiastica immunitate publici

Man. Parochor, P. Ludov. Engel.

latrones & nocturni depopulatores agrorum *c. inter alia de immunit. Eccles.* qui spe immunitatis, aut in ipsa Ecclesia (etiam alia quam ad quam confugit) deliquit. Privilegium enim meretur amittere, qui abutitur, & indignus est Ecclesiæ patrocinio, qui offendit. *c. fin. d. 1.*

Rei in crimine hæresis, vel læsæ Majestatis, item assasini, vel quicumque hominem proditorie & per insidias (id est veneno, à tergo, de nocte aut alias nihil mali metuentem) occiderint. *d. Bulla cum alias.*

De jure quidem Civ. in Nov. 17. c. 7. etiam raptores virginum, adulteri & homicidæ quicumque immunitate privantur, sed communior DD. est sententia prævalere in hac materia jura Canonici dispositionem, ubi ultra specialiter exceptos isto jure, omnes reliqui gaudere immunitate dicuntur, quâ tuncque gravia delicta admiserint. *d. c. inter alia Cov. d. c. 20. n. 3.*

Dico VIII. In hac immunitatis materia etiam consuetudinem aliquid operari posse, dummodo non trahat secum inconvenientias & præjudicium Ecclesiarum. quia hæc immunitas magis humani, quam naturalis aut divini juris est, & licet sit ex una parte favorabilis Ecclesiæ, ex altera tamen præjudicat nonnihil Reipublicæ, cujus interest, ne scelera impunita remaneant.

Plura hac de re tradita sunt à me de privil. Mon. priv. 8. & prolixè tractat Barb. Jur. Eccl. univers. lib. 2. cap. 3. & Cov. var. res lib. 2. c. 10.

§. II.

De Immunitate Reali & Personali.

S U M M A R I A.

- 1 Qui sint effectus immunitatis realis, & personalis.
- 2 Hæc immunitas quo jure sit fundata.
- 3 Non valet contra hanc immunitatem ulla consuetudo vel prescriptio.
- 4 Per privilegium S. Pontificis laico potest tribui jurisdictio in res & personas Ecclesiasticas.
- 5 Quomodo collectæ Ecclesiæ imponendæ, & quid de bonis feudalibus sentiendum.
- 6 Sub pœna excommunicationis prohibetur, ne patroni & Advocati Ecclesiarum bona Ecclesiastica usurpent.
- 7 Ecclesia Patronum suum egenum secundum sui status conditionem alere tenetur.
- 8 Patroni muneris est, procurare, ne res Ecclesiæ male alienentur.
- 9 Res & ipsorum Parochorum & Clericorum sunt etiam exemptæ.
- 10 Clerici non nisi coram Judice Ecclesiastico conveniri, nec huic privilegio renuntiare possunt.
- 11 Quomodo & quando Clericus in Judicio seculari ad testimonium dicendum vocandus sit?
- 12 Judex secularis non potest punire Clericum testimonium falsum deponentem.
- 13 An Clericus coram Judice seculari reconveniri possit?
- 14 Familia Clericorum etiam gaudet immunitate Ecclesiastica & privilegio fori.
- 15 In causa evictionis Clericus defendere tenetur suum emptorem coram laico.
- 16 Clericus corveus in causa civili vel Criminali, coram Ecclesiastico judice conveniendus est.
- 17 Clericus heres laici coram quo judice actiones hereditarias instituire debeat.
- 18 Quid si lis cum defuncto jam contestata fuerit?

Hujus immunitatis is est effectus, quod res ad Ecclesias parochiales spectantes, & Parochi in personis suis à jurisdictione sæculari eximantur. Hæc quidem materia prolixior tractatum exigeret, sed quia libelli parvitas non capit, aliqua tantum principaliora subnotabo, ex quibus Parochus ad defendenda Ecclesiastica jura instruetur.

Not. igitur I. Quod immunitas ista, qua bona, & personæ Ecclesiasticæ à jurisdictione sæculari eximuntur non tantum jure Pontificio, & Cæsareo *tt. C. de SS. Eccles. C. de Episc. & Cler. C. de Episc. aud.* sed etiam jure divino statuta sit, ut probavimus in Libello de Priv. Monast. priv. 2. tex. sunt in c. nimis de Jurejur. c. quanquam de Cens. in 6. Trid. f. 25. de ref. c. 20. late deducit Martha de jurisd. p. 2. c. 6. Hinc

Not. II. Quidquid de facto practicetur, non valere consuetudinem, sed potius abusum & corruptelam esse, si domini & Magistratus sæculares jurisdictione in Ecclesias & personas Ecclesiasticas exercent. Nam sicut jus humanum divinum tollere non potest, ita nec consuetudo quæ tantum ab hominibus introducitur, & quidem tanto minus quanto actus contra jus divinum attentati magis sunt peccaminosi. *arg. c. cum tanto de Consuet. c. cum haberet. de eo qui duxit. &c.* & si ad omnem consuetudinem consensus legislatoris (saltem is, qui defacto in jure generaliter ad introducendam consuetudinem datus est) requi-

quiritur, quomodo enim alias populus, qui super leges præsertim Ecclesiasticas non est, easdem abrogare valeret? Quis credat S. Pontificem in talem consuetudinem consenturum, qui in *c. 1. de consuet.* tollit omnem consuetudinem Ecclesiis damnosam, & in Bulla cœnæ quotannis excommunicationem contra violatores hujus immunitatis fulminat.

Minus præscriptione tollitur hæc immunitas, præscriptio enim utpote privatis competens debilior est consuetudine publica, & sicut Laici jurisdictionem spiritualemente possidere non possunt, ita nec præscribere, *c. decernimus, de Judic. cap. 3. de I. R. in 6.*

4 *Not.* tamen III. Quod licet S. Pontif. non possit hanc immunitatem ex toto tollere utpote non tam à se, quam jure divino concessam, sicut tamen potest aliquem laicum ad jus spirituale habitare (veluti ad jus patronatus quod spirituale est & sine simonia vendi nequit. *c. de jure 16. de jure patr. omnes laici habilitati vendi*) & eidem causam spiritualemente delegare. *gl. in d. s. decernimus.* Ita etiam poterit per privilegium saltem in certis casibus Laico jurisdictionem in res aut personas Ecclesiasticas tribuere. Non obstante, quod privilegium contra jus divinum dari nequeat, quia non est contra jus divinum, si Laicus sibi vindicet jurisdictionem Ecclesiasticam autoritate Ecclesiastica, sed tantum si jure & autoritate propria & sæculari. Privilegium autem cum facti sit, probandum & exhibendum erit, nisi quod aliquando immemorialitas temporis accedente fama privilegii faciat aliquam præsumptionem.

5 *Not.* IV. Nequidem ex causa publicæ necessitatis v. g. ingruentis belli posse collectari Ecclesias nisi in defectum, ubi laicorum non suppetunt facultates, & tunc non ex autoritate Magistratus sæcularis, sed Ecclesiastici, imo & ipsius S. Pontificis nisi periculum in mora sit. *cap. non minus. c. adversus. 7. de immun. Eccles.*

6 *Not.* V. Licet ex non paucorum sententia, si ex bonis antequam ad Ecclesias pervenerint certa quædam & determinata onera vel tributa principibus sæcularibus fuerint pendenda solita, ea etiam imposterum solvi debeant, quod res transeat cum suo onere. *c. tributum. & seq. 23. q. 8. extraordinarias autem & arbitrarias collectas Ecclesiis indicare, non erit in potestate Principis.*

Not. VI. Si Ecclesia quædam bona in feudum à sæculari domino recognoscat, huic domino directo feudalis jurisdictio reservata intelligitur. *c. ex transmissa. de foro comp.*

Not. VII. Patronos & advocatos Ecclesiarum non posse bona Ecclesiastica usurpare, intercipere, aut in suos usus convertere, nec beneficiatos in perceptione fructuum & reddituum impedire, aut in distributione atque applicatione eorundem se ingerere sub pœna excommunicationis & amissionis juris patronatus, ipso facto *Trid. s. 22. c. 11. & s. 25. de ref. c. 9. atque in c. præter. 23. de jure patr.* sub pœna nullitatis contra factus & excommunicationis (saltem ferendæ sententiæ) prohibetur ne advocati vel patroni Ecclesiarum aut vicedomini jus advocatiæ vel patronatus alienent, Ecclesias aut subditos eorum exactioibus onerent, nisi specialiter antiqui & moderati redditus ipsis fuerint per Episcopum constituti. Nam tempore foundationis potest Episcopus patronis aut eorum liberis moderatum censum de redditibus Ecclesiæ reservare, quia in arbitrio fundatorum esse videtur, an res suas velint omnino libere donare Ecclesiæ, vel cum aliquo onere, dummodo Episcopi approbatio interveniat. *Pap. & DD. communiter in d. c. præterea n. 4. & 5.*

7 Sed & ex ipso jure Patronatus hoc commodum consequitur Patronus, ut egenus & ad inopiam lapsus ab Ecclesia alimentari petere possit, de his tamen quæ supersunt deductis necessariis ad cultum divinum & ministrorum sustentationem. Sed dices, de superfluis tenetur Ecclesia omnes pauperes alere, ergo hoc non est singulare Patroni privilegium? *R.* Quod Ecclesia debeat abundantius alere patronum quam alios pauperes, & debeat habere rationem status item & familiaris ejus domesticæ uxoris & liberorum, moderate tamen non ad luxum vel superbam ostentationem. Item pauperibus subvenit Ecclesia ex lege Charitatis, patrono ex lege Justitiæ, qui & præterea actionem contra Ecclesiam instituere potest. *tex. Pan. & Barb. in c. nobis 25. de jure Patron. Barb. Jur. Eccles. univ. lib. 3. num. 216. & seqq.*

8 *Not.* VIII. Patrono quidem incumbere, ut curam & inspectionem habeat quoad bona Ecclesiastica, ne male alienentur, aut dilapidentur, & siquid in detrimentum Ecclesiæ fieri deprehenderit, nec beneficiatus honesta monitione desistere velit, id Episcopo denuntiet. *c. filii 31. 16. q. 7.* utque Ecclesiam intra & extra judicium defendat tanquam proprius ejus advocatus, sicut appellatur in *c. cum autem de jure patron.* non tamen debere patronum veram aliquam jurisdic-

tionem in beneficiatum usurpare, neque visitationem aliquam instituere, vel in administrationem Sacramentorum se ingerere. *Trid. s. 24. de ref. c. 3.*

Not. IX. Quod non tantum bona immediate & proprie ad ipsam Ecclesiam spectantia sunt immunita & exempta à jurisdictione sæculari, lege divina hanc exemptionem præstante, sed etiam bona ipsorum parochorum & Clericorum. *c. quamquam. de Cons. in 6.* ut etiam in his nulla exactio fieri sine causa necessitatis publicæ & cum consensu Magistratus Ecclesiastici. *c. adversus. 7. de immun. Eccles.* Idemque ad bona patrimonialia (saltem exceptis oneribus realibus, talibus bonis ab antiquo imponi solitis & ad ipsas personas Ecclesiasticas transeuntibus, ne principibus sæcularibus hoc privilegium nimis damnosum sit) extendi juri conformius est. *arg. c. fin. cum gl. de vita & honest. Cler. c. siquis. de foro. comp. & d. cap. quamquam.* ibi: *personas Ecclesiasticas & res earum*, ubi non distinguitur inter bona, ergo nec nos distinguere debemus. *L. de pretio. ff. de public.* sequuntur etiam bona conditionem personæ, & magis dignum trahit ad se minus dignum. *c. 3. de consec. Eccles.* & quæ Religiosis adhærent Religiosa censentur. *L. que Religiosis. ff. de rei vind. vid. Marra. de Jurisd. p. 4. cap. 49.*

De Immunitate Personali.

Not. X. Quod ratione personalis exemptionis Parochus vel Clerici cum ipso viventes & alii coram nullo alio Judge, quam Ecclesiastico regulariter conveniri possint cui privilegio, cum non sit personale, sed pro honore totius Ordinis Clericalis concessum, Clerici etiam cum juramento renunciare non possunt. *c. si diligenti. de foro comp.* Neque etiam statutis aut oneribus Laicorum subjacent. *c. Eccles. de Constit. c. non minus de immun. Eccles.* non obstat. *c. 2. de immun. Eccles.* ubi dicitur neminem per Ecclesiæ nomen à murorum vigiliis excusari, &c. quia intelligitur de magna & communi necessitate ex hostili incurfu & obsidione, ut tunc etiam Clerici (saltem ex autoritate Magistratus Ecclesiastici, si periculum moram patiatur, interveniente) per sumptus, vel servos aut famulos suos vigiliis murorum procurari debeant. Imo in maxima necessitate & Laicis non sufficientibus, etiam ipsos Clericos ad vigilias & defensionem civitatis (utpote per quam juvantur ipsæ Ecclesiæ & proteguntur personæ miserabiles, adjuvatur proximus, defenditur Patria &c.) teneri docet *Pan. in eod. c. 2. n. 5.* neque ex tali defensione fieri irregulares, nisi propriis manibus & mortem aliter vitare valentes aliquem occiderint, *c. petito de homicid. clem. si furiosus eod. tit.* interim ad hanc personalem pugnam Clerici absque maxima necessitate non facile, quin potius tanquam Christi milites ad spiritualemente, orationes scilicet preces aliaque opera adigendi sunt. *c. reprehensibile. c. non pila. 23. q. 8.*

Not. XI. Quod Parochus vel Clericus necessarius pro teste in judicio sæculari non possit à Judge Laico vocari ad testimonium dicendum, sed ordinarius ejus Ecclesiasticus requirendus sit, ut vel jubeat eum in foro sæculari testimonium dicere, vel ipsemet judex Ecclesiasticus depositiones Parochi suscipiat, & clausas judici Laico transmittat. *Gaill. pp. Obser. lib. 1. c. 100. n. 16.* in causa autem criminali sanguinis non erit Clericus in testem adhibendus, nisi pro demonstranda rei innocentia, *Farinac. de test. q. 61. n. 57.* nec videtur hic processu vel ab irregularitate excusare protestatio, quod non feratur testimonium in ordine ad pœnam sanguinis, quia hæc protestatio est facta contraria, & excusat tantum eo casu, quo aliquis agit ob proprium interesse civiliter contra malefactorem, ne detur occasio depradandi Clericos, si suos malefactores metu irregularitatis accusare non possent. *c. 2. de homicidia. in 6.* notat quoque *Martha de jurisdict. p. 4. Cas. 128.* † quod Clericus testis falsum deponens coram judice sæculari ab eodem puniri non possit, sed à proprio suo Judge Ecclesiastico, sicut generaliter ratione delicti sortiuntur quidem etiam Clerici forum in loco ubi deliquerunt. *c. postlasti. & c. fin. de foro. comp.* non tamen coram judice sæculari illius loci sed Ecclesiastico *Cov. pp. 99. c. 11. n. 5.* in causis levioribus ubi juramentum non exigitur, tolerari potest consuetudo, si Parochus vel Clericus non vocatus sed rogatus testimonium in foro sæculari absque judicis Ecclesiastici autoritate deponat. *Laym. in Theod. mor. lib. 4. tr. 9. c. n. 9.*

Not. XII. Quod licet ex communi DD. sententia Clericus actor contra Laicum hujus forum sequi debeat; Maxima tamen sit controversia an Clericus coram eodem judice Laico reconveniri possit? Pro affirmativa quam tenet *Gl. & Barb. in cap. 1. de mat. petiti.* aliiq; quamplures, facit, quod jus reconventionis non tantum jure Civ. sed & jure Canonum permissum sit, ex causa æquitatis ad abbreviandas lites & litium

litium sumptus ac molestias. licet verò Clericus jurisdictionem Judicis incompetentis prorogare non valeat. *c. si diligenti de foro comp.* id tamen accipiendum est de prorogatione voluntaria non de prorogatione necessaria quæ fit ex autoritate Canonis. Excipiunt autem Gl. & Barb. n. 15. quod Clericus reconveniri non possit in causa criminali etiam civiliter intentata, neque in causa Ecclesiastica, neque si Laicus studio & dolo procurasset in se conventionem, ut tantum Clericum coram iudice seculari reconvenire posset. E contra pro negativa, quam tuerentur citati apud Martham *de Jurisd. p. 4. eent 2. cas. 107. n. 2.* non parum stringit *tex. in c. fin. de iudic. ubi Ecclesiastici agebant contra Laicos in possessorio & super re ac jurisdictione mere temporali,* (teste Gl. *ibid. in v. promulgavit*) coram Iudice seculari, & tamen non poterant coram eodem Iudice in petitorio reconveniri, respondet quidem Gl. *in eod. c. fin. in v. super proprietate circa fin. esse differentiam,* quod causa conventionis & reconventionis simul tractari debeant, non item causa possessionis & proprietatis. *L. ordinarii. C. de rei vind. sed protecto hæc responsio minime satisfacit.* etenim in *c. 2. Ec. cum dilectus de causa poss. & propr.* expressè habetur causam possessionis & proprietatis simul & commixtim posse tractari. Præterea sicut Canones & leges jubent causam conventionis & reconventionis coram eodem Iudice terminari *in c. 1. de mut. petis. ita id ipsum jubent circa causam possessionis & proprietatis in c. 1. de caus. poss. & propr.* ergo sicut in hoc posteriori casu est exceptio. *nisi actor sit alterius fori,* ut notat Gl. *in d. c. 1. de caus. poss. ita quoque in priori.*

Unde etiam non convincit, quod causa æquitatis ad minuenda incommoda litium faciat Clericum reconveniri coram Laico Iudice; nam hæc eadem ratio stat in causa possessionis & proprietatis, & tamen SS. Can. non tam hanc rationem, quam honorem ordinis Clericalis, ne per jurisdictionem Iudicis Laici ad solvendum compellatur, attendunt. prout etiam docet Martha *d. p. 4. Cas. 136. num. 10.* quod expensæ contra temere litigantem Clericum in foro seculari coram Ecclesiastico Iudice petendæ sint. Quod porro dictum est de prorogatione necessaria hoc ipsum in questione est, an Canones voluerint in causa reconventionis prorogari jurisdictionem Laici in Clericum, & verosimilius est, quod non: quia non solet prorogari iurisdicção de uno genere jurisdictionis ad totum aliud genus jurisdictionis, de Laicali ad Ecclesiasticam, sed intra idem genus jurisdictionis de uno Iudice ad alium. id quod præter exemplum *ex sepe dict. cap. 2. de caus. poss. & propr.* etiam satis probatur ex eo; quod licet ob causam quoque delicti necessari & legaliter prorogatur iurisdicção, ut delinquens fortiatum forum in loco delicti *L. 1. C. ubi de crim. agiop.* si tamen Clericus deliquerit in territorio Iudicis Laici, non ab hoc, sed à Iudice Ecclesiastico illius loci iudicabitur, ut omnes DD. fatentur.

Nec multum resistit huic opinioni, quod Clerico auctori possit compensatio obici coram Iudice Laico tanquam legitima exceptio peremptoria: nam compensatio supponit debitum liquidum, vel quod in continenti liquidari possit, & cum sit inter res fungibiles ejusdem generis v. g. pecuniæ ad pecuniam, vini ad vinum &c. ipso Jure per eam tollitur obligatio & actio. At vero reconventio vel supponit debitum illiquidum indigens sententia & decisione Iudicis, vel est circa corpora aut res diversi generis, quæ inter se non contribuantur vel compensantur, & consequenter debent specialis sententia Iudicis imperari, qualis sententia ex defectu jurisdictionis non potest ferri in Clericum. e. g. Clericus petit à Laico equum, Laicus à Clerico fundum vel domum, &c. certe cum equus & fundus ipso Jure inter se non compensentur, necesse foret per sententiam Iudicis Laici Clerico fundum abjudicare, quod sane satis durum videtur. Quare ponderatis utriusque sententiæ in hac controversia rationibus, ipse opinor hanc posteriorem magis ex Jure defendi posse, tandem enim stat possessio illius regulæ, quod Clericus coram Laico conveniri (est autem reconventio secunda conventio) non possit usquedum ab ea exceptio Jure aliquo expresso monstretur.

14 Not. XIII. Juri admodum conforme esse, ut etiam familiares & domestici Parochorum gaudeant hac immunitate Ecclesiastica & fori privilegio, sicut docet Martha *de Jurisd. p. 4. cas. III.* argumento à Scholaribus ducto (tanquam à minori ad majus, cum Clerici ordinarie soleant esse magis privilegiati) quorum nuncii & famuli gaudent coram fori privilegio. *aut. habita C. ne filius pro patre.* Idem dicit Bald. *in l. 1. C. ne uxor pro marito.* de servis necessariis & scutiferis militum. solet autem alias tolerari argumentum à militia armata ad spiritualem.

Attamen hanc sententiam Iudices seculares non semper observant, qui famulos delinquentes Clericorum ad suum Man. Parochor. P. Ludov. Engel,

forum trahunt. Verum circa hanc praxim recte monet Paul. Laym. *in Thzol. mor. lib. 4. tract. 9. c. 4. n. 10.* non posse aliqua consuetudine rationabiliter introduci, ut Iudices vel licitores per vim sine licentia Parochi vel Iudicis Ecclesiastici domum Parochialem ingrediantur & inde faminam aut famulum extrahant. injuriosum est enim per vim ingredi domum alienam, in quam non est iurisdicção. *§. sed & lex. 8. inst. de injuriis.*

Deinde & illam consuetudinem reprobatur Laym. *c. l.* ex qua petuntur per Iudices seculares à Clericis expensæ factæ in captura mulierum suspectarum, tanquam qui hujusmodi expensis causam dederint: quia expensas solvere nemo tenetur, nisi prius à legitimo Iudice citatus, auditus, & condemnatus, & Clerici dant quidem causam capturæ remotam, non autem proximam, proximam enim dicitur dare, qui instat & petit capturam.

15 Not. XIV. Quod in causa evicçãois probabilis sit, Parochum vel clericum venditorem teneri suum emptorem Laicum, si ipsi super re emptæ lis moveatur, coram Iudice seculari defendere. *juxta reg. Leg. venditor ff. de Iudic. Cov. pp. qq. c. 8. nu. 2. Gaill. 1. O. 37. n. 7.* nam tali casu Clericus non est reus principalis, sed rei defensor, & sicut alias potest Clericus in foro etiam seculari pro se & conjunctis ac miserabilibus personis postulare. *c. 1. & fin. de postul.* ita etiam in proposito, censetur enim etiam causam propriam agere, cum ipsius interit, ne res vendita evincatur.

16 Not. XV. Quod Parochus vel Clericus correns in causa civili vel socius criminis cum laico nihilominus coram proprio suo Iudice Ecclesiastico conveniendus sit *Martha d. p. 4. c. 118. Menoch. de arbit. cas. 37. n. 12. Cov. pp. qq. c. 34.*

17 Not. XVI. Quod, si Parochus vel Clericus sit heres Laici, tunc imprimis petitio hereditatis vel apertura testamenti debeat fieri coram Iudice Laico teste Covar. *pp. qq. c. 8. n. 1.* de cætero autem actiones passivæ hereditariæ instituendæ sunt coram Iudice Ecclesiastico contra heredem Clericum. *Cov. d. l. n. 4.* quia tamen heres regulariter conveniri potest in loco ubi defunctus potuisset. *L. bever. 19. ff. de Iudiciis.* Ideo heres Clericus declinare quidem potest Iudicem Laicum, sed non Ecclesiasticum illius loci, ubi defunctus respondere debuisset. *Jean. Hon. ad tit. decret. de foro comp. n. 17.*

18 Quid autem, si lis jam fuerit in Iudicio seculari contra defunctum cæpta, an Clericus hæres eandem in eodem Iudicio continuare debeat? non potest quis facile erroris argui, qui alterutram contradictionis partem sequitur, nam affirmantibus & negantibus suæ sunt rationes & autoritates apud Covar. *cit. cap. 8. n. 3. Panorm. in c. quia 11. de iud. n. 11. Bald. lib. 1. Conf. 207.* ego aliquando in Thesibus meis *de foro comp. 2. §. 5. n. 4. & 5.* existimavi distinctionis fœdere has contrarias opiniones conciliari posse: ut nimirum affirmativa procedat in actione reali, negativa in actione personali, & sane de hac distinctione sæpius cogitans, necdum eam erroream reperi.

Ratio vero, quod actio realis contra defunctum Laicum cæpta in Iudicio seculari transeat etiam in Clericum heredem, ista mihi videtur, quia tunc Clericus recte convenitur coram Iudice laico, quando res quæ petitur est sub jurisdictione Iudicis laici, sicut in causa feudali clarum est *c. ex transmissa de foro comp.* sed res in quam actio realis contra defunctum Laicum in foro seculari instituta est, etiam successore Clerico manet sub jurisdictione Iudicis Laici ergo &c. Minor probatur, quia cum litis eventus sit dubius, & per litis pendentiam possessor constituatur in ficta mala fide, ideo actio realis instituta dubium est, an res fuerit defuncti, & consequenter, an in Clericum heredem & jurisdictionem Ecclesiasticam ejus dominium transierit, nemo enim potest plus juris in alium transferre, quam ipse habet. *l. nemo potest ff. de R. I. jam subsumo,* in dubio melior est conditio possidentis, & non debet aliquis in dubio & lite pendente sua possessione privari, sed in nostro proposito Iudex Laicus est in possessione jurisdictionis contra defunctum exerceri cæpta super rem litigiosam, ergo ante decisionem causæ ea privari non debet.

Ex quo tamen non sequitur, quod generaliter actiones reales contra Clericum in foro seculari institui possint, nam quando res semel in pacificam possessionem Clerici devenit, tunc quantum ad jurisdictionem in eam, possessio stat penes Iudicem Ecclesiasticum. Nec etiam obstat, quod pro tali re litigiosa detur Clerico heredi actio & exceptio, & ideo censetur in ipsius patrimonio & consequenter de foro Ecclesiastico. Responderi enim potest, illam tantum rem esse de foro Ecclesiastico quæ in patrimonio Clerici ab initio pacifice & bona fide recepta est, post litem autem motam & ubi reus conventus in ficta saltem mala fide consti-

tutus est, non potuit iudex laicus possessione sua jurisdictionis privari.

Ratio posterioris partis & circa actionem personalem est quod principaliter ipsa persona conveniatur, & res quæ petitur, supponatur esse in dominio Clerici, ut si ab ipso petam 100. quos defuncto mutuavi, Clericus debitor est generis, & tenetur suos nummos meos facere, si agam ex vendito, ad tradendum equum à defuncto emptum, ante traditionem Clericus retinet equi dominium. *L. traditionibus C. de pact. &c.* proinde inconveniens videtur, ut actio personalis continuetur in hæredem Clericum, dum Iudex Laicus nec in personam quæ convenitur, nec in rem quæ petitur jurisdictionem habet. Quamvis autem preventio tribuat jurisdictionem, id tamen procedit in eodem genere jurisdictionis, non verò si fiat mutatio de laicali ad Ecclesiasticam.

CAPUT VI.

De Exactionibus Episcopalibus, quibus Ecclesiæ Parochiales subjacent.

SUMMARIUM.

- 1 Quæ sint exactiones Ecclesiasticæ.
- 2 Exactio primorum fructuum consuetudine introducta est.
- 3 Quid sit Cathedralicum? ad id tenentur omnia beneficia: non tamen monasteria.
- 4 Quid Charitativum subsidium.
- 5 Causæ petendi charitativum subsidium debent esse manifestæ & rationabiles.
- 6 A quibus exigendum charitativum subsidium.
- 7 Pensiones alumnaticas Episcopus exigere potest ab omnibus beneficiis suæ Diocesis.
- 8 Quid sit Procuratio.
- 9 Quid portio Canonica, & quarta decimarum.
- 10 Potest prescriptione vel consuetudine aboleri.

EXactiones quas Episcopi ab Ecclesiis Parochialibus facere solent hæc sunt. 1. Taxa, annata, seu primi fructus. 2. Cathedralicum. 3. Charitativum subsidium. 4. Pensio alumnatica vel alii census. 5. Procuratio. 6. Portio Canonica. 7. Quarta decimarum. Videamus de singulis.

De primis Fructibus.

HÆc exactio consuetudine magis quam jure fundata est, etenim in *c. un. ut Ecclesiast. benefic. sine dimin. confer.* in Concil. Trid. sess. 24. de ref. cap. 14. aperte statuitur, ne in collatione beneficiorum & Parochialium Ecclesiarum aliquid de fructibus subtrahatur, vel aliqua solutio exigatur & quia in d. Concil. etiam quæcunque consuetudines reprobantur, ubi hæc exactio viget, dicendum erit concilium in hoc loco receptum non esse, ut etiam advertit Paulus Laym. in *Theol. mor. lib. 4. tract. 9. cap. ult. § 5. n. 46.*

De Cathedralico.

Cathedralicum est exactio duorum solidorum sive duorum aureorum, qui de redditibus Ecclesiarum Episcopo annuatim persolvendi sunt in honorem, & recognitionem Cathedralis Episcopalis, *c. conquerente 16. & ibi Gl. de offic. jud. ord.* alio nomine hæc exactio etiam *synodaticum* appellatur, eo quod in synodo Episcopali olim persoluta sit: & hodie juxta Canonum consuetudinem in synodis decanalibus persolvatur. Hanc pecuniam (quæ de consuetudine augeri vel minui potest) Episcopus ab omnibus beneficiis suæ Diocesis petere valet, exceptis monasteriis, quæ regulariter à lege Diocesana (quæ in recipiendo consistit. *Gl. in c. dilectus 18. de offic. ord.*) sicut & propterea à Charitativo subsidio & aliis, ubi non probantur specialiter subiecta, exempta sunt, *c. inter cetera 10. q. 1. c. cum pro utilitate 16. q. 1. c. quam sit. 18. q. 2. Barb. de Offic. Episc. alleg. 86. in fin. & alleg. 87. n. 45.*

De Charitativo Subsidio.

Charitativum Subsidium est quædam exactio extraordinaria propter manifestam & rationabilem causam cum charitate à subditis postulata. *c. cum Apostolus 6. de cens. ubi prohibemus* inquit Concil. Later. *no subditor suos Episcopi gravare*

presumant, suscipimus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquoties superveniunt, ut si manifesta & rationabilis causa exiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium postulare. Verum hæc non ita accipienda sunt, quasi subditi pro suo arbitrio dare vel denegare possint charitativum subsidium, sed licet ab initio cum charitate & demonstrata necessitate à subditis peti debeat, ex postfacto autem propter eandem necessitatem ex naturali æquitate & jure concedente omnino ad præstandum auxilium obligantur, & per media compulsoria adigi possunt. *Pan. & Host. & communis. alii in d. c. cum Apostolus*, sicut in simili elemosynam largiri actus charitatis est, in necessitate tamen, iudex poterit cogere divites ad elemosynam dandam. *Barb. de offic. Episc. alleg. 87. n. 4.*

Porro juxta causam petendi charitativum subsidium, omnes & singulæ in specie exprimi facile non possunt, & textus tantum in genere manifesta & rationabilis causæ mentionem facit, ideo potissimum in judicio & conscientia superioris positum est, quanam talis rationabilis causa censeri debeat, teste *Pan. in eod. cap. 6. n. 4.* Interim tamen unam vel alteram causam præ cæteris rationabilem referunt DD. ita imprimis à Sac. Congr. declaratum referunt, novum Episcopum posse propter expensas in sui electione, confirmatione & consecratione factas charitativum subsidium exigere, præterea etiam sufficiens causa petendi charitativum subsidium communiter à DD. reputatur, si expensas fecit Episcopus in causis & negotiis totius Diocesis, item si debita pro bono communi Ecclesiæ vel totius Episcopatus ab antecessoribus contracta dissolvere velit, si ex causa publica & necessaria ad Papam vel Imperatorem aut Concilium generale vel provinciale venire debeat &c. *Barb. de offic. Episc. alleg. 87. n. 26. & seq. Tamb. de jure Abb. disp. 10. quest. 3.*

Exigitur autem Charitativum subsidium tantum à personis Ecclesiasticis ratione suorum beneficiorum, non verò à Laicis ut ex *c. conquerente de offic. ord. ex. cap. 6. & 7. 10. qu. 3.* satis colligitur: licet enim in *d. cap. cum Apostolus* generaliter dicatur, charitativum subsidium à subditis exigi posse, tamen in propria significatione Diocesani laici non dicuntur subditi Episcopo (scilicet quatenus Episcopo, nisi simul sit Dominus territorialis) quamvis quoad aliqua spiritualia suo foro subiciantur, ut recte notat *Gl. in Clem. 1. v. subditor de foro comp.* notanter dixi à personis Ecclesiasticis ratione beneficiorum postulari charitativum subsidium, unde Clerici qui beneficium non habent, licet habeant ampla bona patrimonialia vel qui beneficium quidem habent, sed ita tenue, ut præter congruam sustentationem nihil ipsis de fructibus superfit ad charitativum subsidium non obligantur, ut resolvit Navar. de *Cens. Conf. 5. Barb. d. l. n. 48. & seq.* ubi etiam istud notabile ponit, quod charitativum subsidium ab antecessore in beneficio petitur & non solutum possit à successore tanquamonus reale & tributum beneficio impositum exigi. *arg. L. Imperatores. 7. ff. de publicanis & vestig.*

De Pensione Alumnatica & aliis.

In Concil. Trid. sess. 23. de ref. c. 18. statutum est, ut in quolibet Ecclesia cathedrali seminarium aliquod erigatur in quo juvenes & adolescentes educantur ac in disciplina Ecclesiastica instruuntur, cum adolescentium ætas inquit Trid. *d. l. nisi recte instituat, prona sit ad mundi voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte ac sine maximo ac singulari DEI omnipotentis auxilio in disciplina Ecclesiastica perseveret.* ad hoc propterea seminarium erigendum, & conservandum poterit Episcopus omnibus quibuscunque beneficiis Ecclesiis suæ Diocesis (quæ tamen propria seminaria & scholas non habent) certam pensionem imponere ut in *d. c. 18.* latius habetur. Alias præterea pensiones (quæ & census in jure dicuntur) recte exigit Episcopus, nimirum tempore foundationis aut consecrationis cum consensu fundatorum & ex justa causa Ecclesiæ impositas. *jux. c. præterea 23. & ibi DD. de jure Patron. c. quanto de Cens. item & reservatas in recognitionem beneficii exemptionis, quam Episcopus cum consensu Capituli à sua jurisdictione Ecclesiæ dedit, quod facere potest teste Barb. de offic. Episc. p. 3. alleg. 89.* prout etiam S. Pontifex eximendo sibi reservat censum aut pensionem *c. constitutus. 6. de relig. dom. c. cum venerabilis. 21. de Cens. extat verò prohibitio Concilii Later. in c. prohibemus 7. de Cens. ne novi census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, &c. quod potissimum de censu perpetuo accipiendum est, temporalem autem censum ad unum vel plures annos ex justa causa v. g. pro reparatione Ecclesiæ Cathedralis, ad exsolvenda debita, pro alimentione pauperum scholarium & aliorum ab Episcopo imponi posse tradit Barb. *d. p. 3. alleg. 58. n. 3. & 11.**

De Procuracionibus.

CAPUT VII.

Procuratio nihil est aliud, quam victus & sustentatio debita Episcopo pro eo tempore, quo Ecclesiam suam Diocesim visitat, danda ex redditibus Ecclesiarum visitatarum. licet autem Episcopi aliunde largos redditus habeant, ut tamen eo facilius pemoveantur ad visitationem Ecclesiarum, jure constitutum est, ut suis sumptibus parcere, & ab ipsis Ecclesiis exigere possint: dignus est enim operarius mercede, & suis stipendiis nemo facile militat.

Circa istas procuraciones primitus quidem constitutum in c. 1. & 2. de Conf. in 6. ne earum nomine pecunia visitatori daretur, sed victualia in natura subministrarentur, id tamen ex postfacto Bonif. VIII. in c. 3. eod. tit. correxit, & liberum reliquit visitatis, utrum pecuniam aut victualia dare velint, quod ipsum deinde Concilium Trid. sess. 24. de ref. c. 3. confirmavit, adjiciens, ut in iis locis, in quibus consuetudo est, ut nec victualia nec pecunia nec quidquam aliud in visitationibus accipiatur, sed omnia gratis fiant, id omnino observetur.

Illud quoque, quod jam prius in d. c. 1. & 2. de Conf. in 6. prohibitum erat, repetit Concilium Trid. ne videlicet extra procuraciones pecunia aut munus quodcumque qualitercumque etiam oblatum à visitatoribus, vel iis quos secum habent, accipiatur, consuetudine quacumque etiam immemoriali non obstante, adeò ut accipiens præter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis insuper pœnis à synodo provinciali determinandis multari debeat. Advertit etiam Pan. in c. procuraciones. 23. de Conf. n. 4. quòd Episcopus sive visitator non possit computare expensas, quas fecit in emendis aut conducendis equis, minus æstimare equos mortuos, vestes detritas &c. cum tantum victualia aut eorum æstimationem accipere de jure permittatur.

Cæterum omnes quidem Ecclesie visitatæ (exceptis oratoriis privatis c. fin. de Conf. & ex quorundam sententia hospitalibus & similibus piis locis, quorum bona præcisè ad sustentationem pauperum collata sunt Zerola in praxi Episc. p. 2. v. visitatio. §. 6. dub. 7.) ad procuracionem tenentur, etiam Monasteria nisi speciali privilegio vel consuetudine immunita sint. Trid. c. 3. c. capit. 14. de Conf. Si tamen Episcopus una die plures Ecclesias visitaverit, non à singulis singulas procuraciones exigere, sed una tantum procuracione pro illa die sufficiente contentus esse debet, atque ad eam præstandam non una sola Ecclesia gravari, sed etiam reliquæ illa die visitatæ juxta proportionem suorum reddituum concurrere debent per tex. & DD. in c. cum instantia 16. §. sand. & c. procuraciones 23. de Conf. c. 3. in 6.

De Portione Canonica, & quarta Decimarum.

Portio Canonica est quarta vel tertia pars (juxta locorum consuetudinem) quam Episcopus de jure Canonum ex omnibus illis, quæ testator Ecclesiis vel piis causis reliquit exigere potest. c. officii c. requisivisti. de testam.

Ex iis verò quæ legantur pro fabrica Ecclesie, pro ornamentis, luminariis, pro anniversario septimo aut trigesimo die sive aliàs ad perpetuum cultum divinum portio Canonica non debetur, dummodo non studio in fraudem Episcopi sub tali titulo relicta sint, quod in dubio non præsumitur, dolus enim probari debet L. dolum C. de probat. c. fin. de testam. de donatione quoque facta Ecclesie inter vivos non deducitur Canonica portio. c. de his 4. de sepultur. c. 1. de statu Monach. Barb. de offic. Episc. p. 3. alleg. 86. n. 26.

De quarta Decimarum sciendum est, quòd tempore primitivæ Ecclesie, cum Episcopi essent pauperes, statutum fuerit, ut de oblationibus Ecclesie factis sumerent medietatem. c. antiquos. 10. q. 1. & procedente tempore tertiam partem ex fructibus Parochialium Ecclesiarum, cum onere tamen fabricæ, id est, ut illas ruinosas tenerentur reficere. c. 1. & c. unic. 10. q. 3. sed jure recentiori tantum concessum est Episcopis, ut de decimis ad Ecclesias parochiales & non ad alias pertinentibus quartam partem sine onere tamen fabricæ accipere possint. c. conquirento. de offic. ordin. c. de quarta de præscript. hodie autem magis auctis Episcopatibus istæ quartæ passim in desertudinem abierunt, & quòd præscriptione tolli possint tex. est in d. c. quarta & tradit Barb. d. alleg. 86. n. 4.

An & qualiter Bona Parochiarum alienari vel præscribi possint? Item & de Restitutione in integrum, aliisque Ecclesiarum Parochialium juris privilegiis.

SUMMARIUM.

- 1 Res immobiles & mobiles pretiosa Ecclesiarum alienari prohibentur.
- 2 Quid per nomen alienationis intelligatur.
- 3 Quis nomine superioris veniat, cujus auctoritas in alienatione requiritur.
- 4 Alienatio injusta ipso jure est nulla.
- 5 Bona Ecclesiastica non nisi spatio 40. annorum præscribuntur.
- 6 Ecclesia per præscriptionem vel aliàs intra aut extra judicium læsa, datur beneficium Restitutionis in integrum.
- 7 Quenam alia jura competant parochiis.

Certum & indubitatum est de jure, quod omnes res immobiles sive solo cohærentes, sine causa necessitatis, utilitatis, vel pietatis alienari prohibeantur tit. de reb. Eccles. non alien. ut prædia, fundi, domus &c. quibus etiam annumerantur jura incorporalia ut jura piscandi, venandi, aliaque jurisdictionalia. c. 2. de reb. Eccles. non alien. in 6. & Clem. 1. Eod. sicut & census annui; si ex fundatione vel aliunde in perpetuum constituti sint pro sustentatione ministrorum Ecclesie vel ipsius Ecclesie conservatione. Clem. 1. §. cumque annui redditus de V. f.

Item etiam alienari prohibentur Mobilia pretiosa, qualia censentur, quæ sunt de thesauro Ecclesie, vel quæ propter pretium, ætem aut antiquitatem singularem splendorem Ecclesie conferunt: sicut & reliquiæ Sanctorum præsertim ubi perpetuæ sepulturæ mandata sunt. teste Ricc. p. 1. resolut. 60.

Nomine autem alienationis intelliguntur imprimis omnes contractus quibus dominium utile vel directum transfertur, ut donatio, venditio, permutatio, feudum & Emphyteusis &c. Deinde etiam omnes contractus, quibus non quidem dominium, sed tamen possessio aut jus percipiendi fructus ex re Ecclesiastica ad longum tempus transfertur, cujusmodi sunt oppignoratio specialis, ususfructus & locatio facta ultra triennium. c. nulli c. ad audientiam. Extravag. ambitiosa. de reb. Eccles. non alien. nisi sint res ab antiquo alienari solite, quæ etiam ad Ecclesias reversæ (antequam reincorporentur bonis apud Ecclesiam manentibus) denuò sine nova solemnitate alienari poterunt. uti sunt prædia quæ rusticis in feudum vel Emphyteusum aut vitalitium dantur. d. Extravag. ambitiosa. & c. 2. de feud.

Nomine verò superioris, cum cujus auctoritate alienatio feri debet. licet in d. Extravag. ambitiosa. tantum veniat S. Pontifex, tamen usu magis recepti sunt antiquiores Canonum, ex quibus proximus superior & Ordinarius loci intelligitur. c. Abbatibus. 12. q. 2. Clem. 1. de reb. Eccles. non alien. ubi est Gl. notab. quòd etiam Abbates præsertim exempti in Ecclesiis pleno jure sibi subiectis possint auctoritatem in alienatione rerum ad dictas Ecclesias pertinentium præstare.

Alienatio sine justa causa & superioris auctoritate est nulla ipso jure, & res alienata una cum fructibus etiam per ipsum alienantem, restituito tamen pretio saltem quatenus Ecclesia læsæ plenior est facta, repeti potest & debet, atque alienator, & is in quem facta est alienatio sententiam excommunicationis incurrit. d. Extravag. ambitiosa. quia tamen teste Nav. in Man. c. 27. n. 150. d. Extravag. non est ubique & quoad omnia recepta, præsertim verò quoad Gensuras, quæ scientiam & contumaciam requirunt, idèò magis putarem pœnæ arbitrariæ locum fore, & etiam censuris saltem per sententiam inferendis, si in parendo vel restituendo contumacia appareat.

Plura hæc de re tradidi in libello de privil. Monast. Privileg. 32. sed quæ ibi de Prælatibus dicta sunt, non possunt statim omnia Parochis accommodari, utpote qui longè restrictiorem potestatem habent, & magis in occurrentibus dubiis & casibus ad Episcopum vel ejus Consistorium recurrere debent.

Ad Præscriptionem quod attinet notorii etiam juris est, bona Ecclesiarum immobilia non præscribi nisi lapsu 40. annorum

norum *c. illud c. de quarta. de prescript. c. 1. eod. tit. in 6. Nov. III. in princ. Nov. 131. c. 6.* idemque ad res mobiles, (saltem pretiosas & alienari prohibitas) extendendum existimo eum Pan. & Host. in *c. 1. de in integr. rest. si eum res hujusmodi quoad alienationem comparantur immobilibus, planè etiam quantum ad prescriptionem non erunt separandæ. alienationis enim verbum etiam usucapionem continet. l. alienationis 28. de verb. sign. non obstat aut. quas actiones C. de SS. Eccles. ubi dicitur, quod triennalis prescriptio (quæ est rerum mobilium) etiam contra Ecclesias procedat, nam præterquam quod authenticæ ab Irnerio ex Novellis transumptæ, eatenus obligent, quatenus in Novellis reperiuntur, sed in Nov. 131. c. 6. ex qua d. aut. quas actiones desumpta est nihil exprimitur de triennali prescriptio, sicut posuit Irnerius in d. aut. quas actiones & forsan Imper. ibidem dum in initio d. c. 6. Nov. 131. generaliter dixit, pro temporalibus prescriptionibus & c. prescriptio decennale & vicennalem tantum exempli (quod non restringit sed declarat) causam subjecit: potest etiam responderi quod constitutiones Imperatoris non ligent Ecclesias, nisi quatenus à jure Canonico receptæ sunt, de quo jure nulla fit inter res mobiles & immobiles distinctio saltem si loquamur de mobilibus pretiosis, ut dictum.*

6 Præterea si Ecclesia ex prescriptio, vel contractu, aut in judicio per omissionem exceptionis, probationis aut appellationis &c. læsa fuerit, datur ei ad instar minoris & pupilli in integrum restitutio qua in eum statum reponitur, in quo fuit ante læsionem *c. 1. de in integ. rest. l. un. C. si advers. prescript. l. minorib. C. si tutor vel Curat. interven.*

7 Dummodo petatur restitutio intra quadriennium, quod aliqui præcisè à die læsionis, alii favorabilius pro Ecclesia à die scientiæ seu cogniti læsionis computant: nisi insuper post diem læsionis 40. anni elapsi fuissent, & sic non tantum actioni principali, sed & ipsi restitutionis beneficio prescriptum censeretur. *vid. Arnold. Rath. in tract. de usucap. cap. 3. assere. 45. Decius in Cons. 62. Everb. vol. 2. Cons. 50. n. 21. Jaf. in d. aut. quas actiones. de hoc restitutionis beneficio etiam dictum est in libell. de privileg. mon. priv. 31. bonis autem Patrimonialibus Clericorum non dari privilegium prescriptiois quadragenariæ aut restitutionis in integrum (nisi Clericus minorennis foret aut in minorennitate læsus & tempora restitutionum scil. 29. ann. nec dum excessisset) quamvis interim talia bona immunitate ex probabiliori sententia gaudeant, notatur apud March. de Jurisd. p. 4. c. 49. & Dec. in c. Ecclesia, de constit.*

8 Alia insuper quamplurima privilegia Monasteriis aliisque piis causis competentia etiam Ecclesiis Parochialibus rectè applicantur. quæ in sæpè d. Libello de Privil. Monast. tradita videri poterunt. Ut

I. Quod aliquis possit cogi ad vendendam domum vel fundum pro erectione vel ampliacione Ecclesiæ vel cæmeterii *pag. 1. & 291.*

II. Ecclesia etiam secularis habetur loco filii, & facit deficere conditionem, si sine liberis &c. si Clericus bona restitutioni obnoxia velit relinquere Ecclesiæ. *pag. 100. & 307. Barb. jur. Eccles. univ. lib. 2. cap. 13. n. 24.*

III. Ecclesia heres non conficiens inventarium non tenetur ultra vires hereditatis. *pag. 101. & 309.*

IV. Quod relinquunt Ecclesiæ in testamentis non requiritur Juris Civ. sollemnitates, dummodo constet de voluntate defuncti. *pag. 105. & 311.*

V. Ex legatis & fideicommissis Ecclesiæ relictis non detrahitur Falcidia vel Trebellianica. *pag. 107. & 314.*

VI. Donatio ultra 500. solidos absque insinuatione, item & donatio omnium bonorum facta Ecclesiæ valet, nec revocatur ob ingratitudinem Parochi, vel supervenientiam liberorum ex parte donatoris. *pag. 110. & seqq. & pag. 317.*

VII. Pollicitatio facta Ecclesiæ irrevocabiliter obligat etiam nemine acceptante. *pag. 119. & 320.*

VIII. In Ecclesiam transfertur dominium sine traditione. *pag. 121.*

IX. Delictum Parochi non nocet Ecclesiæ. *c. delictum 76. de R. l. in 6. pag. 122.*

X. Tempore interdicti Generalis possunt in Ecclesia Parochiali fieri divina officia submissa voce & januis clausis. *jur. c. alma mater de sent. excom. in 6. pag. 126.*

XI. Pro Ecclesia est actio popularis. *pag. 128.*

XII. In Processu Edictali prioritas adjudicanda est Ecclesiæ. *pag. 329.*

XIII. Ecclesiæ participant privilegia fisci, libertatis, militum, alimentorum, dotis, minorennium & Reip. dummodo casus sit applicabilis & in jure contrarium non sit dispositum. *pag. 205.*

XIV. Legata Ecclesiæ relicta in multis sunt privilegiata ut *pag. 210.*

XV. Mandatum factum in favorem Ecclesiæ non expirat re integra morte mandantis. *pag. 215.*

XVI. Pactum super viventis hereditate valet in favorem Ecclesiæ. *pag. 216.*

XVII. Pro favore Ecclesiæ tenetur reus edere sua instrumenta. *pag. 219.*

XVIII. Judex in causa Ecclesiæ debet officium suum impertiri etiam non imploratus. *pag. 222.*

XIX. In dubio pro Ecclesia est judicandum. *pag. 223.*

XX. Ecclesia non obligatur ex mutuo nisi probetur verum in ejus utilitatem. *pag. 223.*

XXI. Potest exceptionem non numeratæ pecuniæ etiam ultra biennium opponere. *pag. 224.*

Hæc & alia quoque videri poterunt apud Barb. *Jur. Eccles. univ. lib. 2. cap. 13. & Tiraquell. in tract. de Privileg. pia causa.*

P A R S I I.

De Parochis, eorumque Institutione, Qualitate & Obligatione.

C A P U T I.

De Parochorum Institutione & Qualitate.

S U M M A R I A.

- 1 Quid sit institutio Canonica & an laico competat.
- 2 Laicus nec per prescriptionem potest acquirere jus instituendi, vel conferendi beneficia.
- 3 Institutio est nomen generale.

Constat ex Reg. 1. *Juris in 6.* nullum beneficium sine institutione Canonica obtineri posse. Est autem institutio Canonica quæ fit autoritate superioris Ecclesiastici, nimirum Episcopi, vel inferioris etiam Prælati, cui id ex privilegio vel prescriptio competat. *c. 3. & c. cum venisset. de inst.*

Laicus verò (nisi speciali S. Pontificis privilegio habilitetur) nullo modo institutionem in beneficio facere potest, *c. 3. de inst.* sed solum ex jure Patronatus præsentare debet Episcopo Clericum ab ipso Episcopo instituendum, ut mox dicemus. imò si aliquis Laicus in certo altari Missas legendas ita fundasset, ut ipse vel heres ejus sine autoritate Episcopi possit sacerdotem constituere ad illas Missas legendas, talis fundatio non est beneficium dicendum, nec sub dispositionibus Juris de beneficiis Ecclesiasticis loquentibus comprehenderetur. quia de natura beneficii Ecclesiastici est, ut personæ Ecclesiasticæ & à persona Ecclesiastica conferatur.

Sed neque prescriptio Laicus acquirere potest jus instituendi vel conferendi beneficia, cum id utpote Jus spirituale possidere nequeat, sine possessione autem nulla curat prescriptio, *c. causam de prescript.* idque etiam de immemoriali accipiendum est. licet enim immemorialis prescriptio habeat vim privilegii per not. *Gl. in c. super quibusdam de verb. sign.* hic tamen rectè negatur suppositum quod in persona Laici dari possit immemorialis prescriptio, datur quidem immemorialis detentio vel usurpatio facti, sed non possessio juris & consequenter nec prescriptio.

Quamvis porò in possessione decimarum Laicus ex sola immemorialitate temporis presumptionem pro se habere possit, usque dum de vitioso initio convinctur, per ea quæ docet Gilk. *de prescript. p. 3. C. 8. m. 23.* diversa tamen videtur ratio inter jus decimandi & conferendi beneficia, quia jus decimandi tum ex Privilegio Papali, tum ante Concilium Later. per Episcopos sæpè Laicis concessum fuit, jus autem conferendi beneficia dari Laicis, profus insolitum est, consequenter facile præsumi non potest, sed potius, quod via facti per intrusionem forsan tempore grassantis hæresis, aut vacantis sedis Episcopalis ex bellorum injuria &c. occupantur.

Cæterum institutio est nomen generalius & habet sub se institutionem in specie, quæ fit ad præsentationem patroni, & liberam collationem, quæ fit arbitrio Episcopi vel alterius

rius ordinarii collatoris *Gloss. in d. c. de R. J. in 6.* ut ergo hic libellus deserviat in quotidianis occurrentiis & ipsis etiam secularibus, qui frequenter in parochiis & beneficiis jus patronatus obtinent, utilis evadat, sit

S E C T I O I.

De Jure Patronatus

Quid sit Jus Patronatus, quis ejus effectus, & quotuplex?

S U M M A R I A.

- 1 *Definitio juris patronatus, & qui sint ejus effectus.*
- 2 *Patrono Ecclesia debetur honor precedentia & presentatio.*
- 3 *Quid in Ecclesiis, in quibus per electionem assumitur Prælatus.*
- 4 *Onus & emolumentum Patroni in quibus consistant.*
- 5 *Divisiones juris patronatus.*
- 6 *Quid sit jus patronatus Ecclesiasticum & laicale, & quomodo differant.*
- 7 *Jus patronatus laicale donatum Ecclesia sit Ecclesiasticum.*
- 8 *Patrono ignoranti non currit tempus ad presentandum.*
- 9 *Quid sit jus patronatus hereditarium, & familiare sive gentilium.*
- 10 *Quid activum & passivum.*
- 11 *Quid personale & reale.*
- 12 *Ex tribus causis jus patronatus acquiritur.*
- 13 *An dicte tres cause copulative requirantur, inter DD. controversatur?*
- 14 *Per reedificationem Ecclesia collapsa etiam acquiritur jus patronatus.*
- 15 *In donatione juris patronatus, an & quando consensus Episcopi sit necessarius.*
- 16 *Jus patronatus spirituale est, per se vendi nequit, bene tamen accessorie.*
- 17 *An conductor vel debitor simul cum bonis acquirat jus patronatus.*
- 18 *Ad quem devolvatur jus patronatus, si bona patroni confiscentur.*
- 19 *Quibus modis jus patronatus amittatur.*
- 20 *An Episcopus jus patronatus extinctum possit de novo alicui laico donare?*
- 21 *Quinam dicantur Advocati Ecclesie, & quomodo à patronis differant.*

Jus Patronatus describit Barb. juris Ecclesiastici universi lib. 3. c. 12. n. 2. quod sit, Jus honorificum, onerosum, & utile alicui competens in Ecclesia, quam de ordinarii consensu construxit, fundavit vel dotavit. Brevius definit Hostiensis, quod jus Patronatus sit potestas presentandi Clericum ad beneficium vacans.

Porrò effectus omnes juris patronatus duobus vulgatis verbis comprehenduntur:

Patrono debetur honor, onus, emolumentum.

Presentat, præst, defendat, alatur egenus.

2 Honor Patroni consistit in duobus, videlicet in precedentia & presentatione: debetur enim patrono honor processionis, *cap. nobis fuit 25. hoc tit.* quo nomine non tantum in Litanis & similibus processionibus precedentia intelligitur, sed etiam, quod patronus in Ecclesia patronata precedentia dignioris sedis, & loci prioritate in suscipienda Pace honorari debeat, Barb. *dicto loco n. 225.* Ex presentatione illum honorem habet Patronus, quod beneficium Ecclesiasticum sine ipsius consensu & voluntate conferri valide non possit, sed si de facto collatum sit alteri quam illi, quem Patronus presentavit Episcopo, collatio annullari, & beneficiatus amoveri debeat, *cap. ex infirmatione 14. b. tit.* se ipsum tamen patronus, licet Clericus sit, ad beneficium presentare non potest: debet enim esse distinctio inter dantem & accipientem, nec convenit, ut aliquis se ingerat proprio motu Ecclesiasticæ prælationis officio, poterit tamen supplicare Episcopo, ut sibi conferat beneficium, quia supplicando non dicitur aliquis ambitiosus, & se ingerere Ecclesiasticis officiis, cum supplicatio respiciat gratiam; presentatio autem justitiam. *Paronm. & Barb. in d. c. 26. b. tit.* filios tamen suos vel alios sanguineos ex communiore sententia patronus presentare non prohibetur, ne sint deterioris conditionis quam alii, quorum parentes nullum beneficium Ecclesiæ præstiterunt, & hoc ipsum jus patronatus, quod in favorem fundatoris, ejusque hæredum introductum est, in eorundem

odium retorqueatur. Nec obest *c. consultat hoc tit.* ubi prohibetur, ne patronus vel sibi ipsi reservet vel filio concedat beneficium, quia intelligitur non de presentatione, sed de ipsa concessione sive usurpatione beneficii, quæ sit sine auctoritate Episcopi, ut ex textu satis apparet. Item si plures sint patroni ejusdem beneficii, illi unum ex se ipsis nominare possunt, & nominatus licet non possit seipsum sive solus, sive cum aliis presentare, potest tamen presentationem aliorum acceptare & ipse pro ea vice omnino a presentatione cessare. *Gloss. in d. c. consultat hoc tit.*

Circa Monasteria & Ecclesias collegiatas in quibus per electionem assumitur Prælatus, illud singulare est, non posse fundatorem seu Patronum nominare aut eligere Prælatum nisi Clericus sit, & in fundatione cum consensu Pontificis jus eligendi sibi expresse reservaverit, vel aliunde per consuetudinem aut prescriptionem acquirerit. *Glossa & Barb. n. 3. in C. nobis 25. b. tit.* neque etiam ad electionem instituendam sed primum post factam electionem ejus assensum requirendum esse, prout in nostris partibus usitatum est, ut Imperatoris vel alterius Principis terræ post electionem perfectam consensus sive placet requiratur, *dicto cap. nobis b. tit.* idque non tantum procedit in casu, quo ab initio Ecclesia collegiata vel conventualis fundata est, verum etiam, si illa Ecclesia proprie patronata, in qua fundator hæcenus potestatem presentandi habuit, cum ipsius voluntate erigatur in Ecclesiam conventualem, ita ut hoc ipso Patronus jus patronatus non aliter retineat, quam quo ad alias precedentias & consensum electioni jam factæ præstandum. Præterea iste consensus patroni & approbatio electionis juxta veriorum sententiam magis de honestate & in obsequium ac reverentiam patroni, & quasi in recognitionem fundationis, quam de necessitate requiritur, ad eum principaliter effectum, ut si patronus rationabilem contradicendi causam habeat, eam proponere possit. De cætero autem, si nihil aliud obstat electioni, quo minus canonica censeri debeat, etiam invito patrono valida & per superiorem confirmanda erit: videtur enim inconveniens, ut confirmatio Prælati potius a voluntate patroni præsertim Laici, quam ab electione Capituli vel judicio superioris dependeat, & frustra daretur libera electio Capitularibus, si res tota in arbitrio Patroni consisteret. *Paron. in c. sacrosancta de elect. n. 6. Barb. d. l. n. 4.*

Onus incumbit Patrono, ut curam aliquam & inspectionem, non tamen jurisdictionem habeat, super rebus Ecclesiæ, item ut ad reparationem Ecclesiæ concurrat *juxt. Trid. s. 21. c. 7. Emolumentum*, ut egenus alatur, & census in fundatione sibi constitutos percipiat, de quo onere & emolumento dictum est superius *p. 1. c. 5. §. 1. n. 7.*

Dividitur jus Patronatus primo & principaliter in Ecclesiasticum & Laicale, secundo in hereditarium & familiare, sive gentilium tertio: in activum & passivum, quarto in reale & personale, sed cum istæ divisiones propter speciales effectus, quos habent, plenioris indaginem desiderent, ideo de singulis agendum.

De singulis speciebus Juris Patronatus. De Jure Patronatus Ecclesiastico & Laicali.

Jus patronatus Ecclesiasticum dicitur, quod personæ Ecclesiasticæ nomine & ratione Ecclesiæ, Capituli vel Monasterii competit quamvis fortassis a Laico primitus originem habeat, qui deinde id Ecclesiæ concesserit, e contra Laicale dicitur, non tantum, quod Laico competit, sed etiam, quod a Clerico ex patrimonio & successione paterna vel alio titulo seculari obtinetur, *Barb. & Gloss. in c. cum dilect. 28. §. nos igitur b. t.* regulariter autem (excepto tempore ad presentandum, ut infra dicemus) semper magis privilegiatum est jus patronatus Laicorum quam Ecclesiasticum, ut Laici habeant remunerationem aliquam fundationum suarum, & ad eas faciendas tanto magis invitentur. Ecclesiastici vero, cum raro jus patronatus habeant ex fundatione, sed frequentius ex privilegio, vel donatione, ideo tantum favorem non mereri videntur. Differt igitur in effectu jus patronatus Laicale ab Ecclesiastico primo, quod patronus Laicus non tantum unum Clericum, sed plures simul aut successive ad idem beneficium presentare possit, non quidem private, scilicet revocando illum, quem primo presentavit, sed accumulativo ut Episcopo relinquatur electio, quemnam ex istis pluribus presentatis instituere velit, at vero patronus Ecclesiasticus unum tantum presentare potest, qui, si fuerit idoneus, non attentata alia presentatione instituendus erit. Imo nec eo casu quando patronus Ecclesiasticus indignum presentavit ad beneficium, alium presentare permittitur, sed potius libera beneficii collatio pro ea vice Episcopo relinquatur *c. inter dilectus*

Etor 11. de excessibus Prelatorum, quod aliter se habet in patrono laico, qui uno indigno presentato alium dignum per accumulationem presentare potest, dummodo tempus presentationis elapsum non sit. *Panor. & Barb. in d. c. 24.*

Quid autem si primus presentatus per Laicum revera fuerit dignus, & inique vel malitiosè per Episcopum rejectus, seuque iniquitatem rejectionis coram superiore Episcopi per viam appellationis vel querelæ demonstraverit, interim vero secundo presentatus de facto institutus sit, an prior ille rejectus vel iste institutus beneficium habebit? Respondeo, hanc questionem esse decisam in *cap. quod autem 5. & cap. pastoralis 29. b. iii.* ubi Pontifices rescripserunt, meliorem esse possidentis conditionem, adeoque de facto institutum in beneficio relinquendum, ita tamen, ut priori presentato & per malitiam rejecto Episcopus alia via providere teneatur.

Secundo differt jus patronatus Ecclesiasticum & sæculare circa concursum, qui ad parochiales Ecclesias faciendus est, *jux. Trid. s. 24. de ref. c. 18.* de quo sed. seq. dicemus.

Tertia differentia est, quod si summus Pontifex sive per jus commune, sive per Regulas Cancellariæ aut Concordata Germaniæ certa beneficia specialiter suæ collationi reservet, tales reservationes & aliæ quæcumque non intelligantur de beneficiis, quæ pertinent ad jus patronatus Laicorum, dummodo Laici illud jus habeant ex fundatione, dotatione aut constructione, & non ex privilegio vel prescriptione, quia Pontifex nunquam vult derogare juri patronatus Laicorum, ne à foundationibus absterreantur, & cum summus Pontifex id facere non soleat, Legatus ejus de latere facere non potest, ut sibi & suæ liberæ collationi reservet beneficia ad jus patronatus Laicorum spectantia. Secus autem est in jure patronatus Ecclesiastico, cui Pontifex & legatus per reservationes præjudicare solent & possunt, quia ut supra notavimus, jus patronatus Ecclesiasticum tantum favorem in jure non habet, *c. cum dilectus 28. b. i. Barb. de offic. Episc. alleg. 57. n. 26.*

Quarta demum differentia est ratione temporis, quia patronus Ecclesiasticus intra 6. menses, Laicus autem intra 4. presentate debet, aliàs jus providendi Ecclesiæ ad Episcopum, sive eum, qui jus instituendi habet, liberè devolvitur, *c. unico §. finali hoc tit. in 6.* Ratio fortassis hujus differentiæ est, cum patronus Ecclesiasticus in eo gravetur, quod unum tantum presentare possit ad beneficium, in eo saltem relevetur, ut plus temporis habeat ad inquirendum de Clerico aliquo digno & habili.

7 Si jus patronatus à Laico fuerit donatum Ecclesiæ vel monasterio, efficietur prorsus Ecclesiasticum, & tempus presentandi 6. mensium erit *d. c. unico hoc tit. in 6.* unde ista est specialis exceptio à generalibus regulis, quod *subrogatum sapiat naturam ejus, in cuius locum subrogatur, & qui in jus alterius succedit, ejus jure uti debeat, juxta regulam 46. juris in 6.* cuius specialis exceptionis ratio dari potest, quod favor juris patronatus laicalis consideratione fundationis introductus cesset in Ecclesia, utpote quæ idem jus patronatus non ex fundatione, sed donatione acquisivit.

Quid autem, si ex pluribus patronis unus tantum suum jus donaverit Ecclesiæ, & ita jus patronatus incipiat esse mixtum, scilicet partim Ecclesiasticum, partim laicale. R. tali casu etiam laicis patronis competiturum tempus 6. mensium, eo quod in una eademque re, quæ commodè dividi non potest servanda sit paritas, & magis dignum trahat ad se minus dignum, in odiosis autem patronus Ecclesiasticus non trahit ad se Laicum, qui non debet suo jure sine culpa aut causa privari, unde si ejusdem Ecclesiæ duo sint patroni, unus Ecclesiasticus, alter sæcularis, iique diversos presentarint, licet patrono sæculari variare & per accumulationem alium presentare. Notanter dico, si diversos presentarint, nam si ab initio uterque patronus presentaverit unum eundemque, hic presentatus necessario instituendus erit, licet Laicus velit deinde alium in super presentare, quia cum jam semel obtinuerit amoborum Patronorum & sic majora vota, plus juris habet ad beneficium, quam ille, qui ab uno tantum patrono presentatus est, sicut generaliter, quando plures patroni presentant, ille presentatur, qui plurimum patronorum calculum obtinuit, videatur *Panor. in c. cum autem 24. n. 4. & in c. cum propter 27. in fine hoc tit.*

8 Caterum tempus ad presentandum non currit patrono ignorantæ vel alias legitime impedito, imo in dubio potius ignorantia patroni, quam scientia præsumitur, nisi concurrentes circumstantiæ, ut vicinitas loci, patroni presentia aliud suadeant. Ad evitandam omnem disputationem usu apud nos receptum est, ut de beneficio vacante patronus certioretur, & ad presentandum per Episcopum moneatur, si patroni inter se discordes fuerint, & de ipso jure patro-

natus inter se litigent, currit eis tempus, & nisi aliquis ex eis intra legitimum tempus presentarit, revolutio fiat ad Episcopum, salvo tamen jure illius, qui evicerit, ut proxima vacatione libere presentare possit, quod si unus ex litigantibus in possessione presentandi fuerit, & alter de proprietate contendat, possessor presentabit etiam pendente lite proprietatis, nec removebitur presentatus, licet de proprietate contendens victoriam in judicio obtinuerit, quia pendente lite non debet aliquis privari commodo suæ possessionis, *c. 2. ut lite pendente nihil innovetur*, tum quia in presentando solum attenditur possessio juris patronatus, *cap. cum Ecclesia, de causa possessionis & proprietatis, & cap. ex litteris c. consultationibus hoc tit.* & hanc sententiam, quod etiam lite pendente presentatio possidentis admittenda sit, docent Joan. & alii de quibus attestatur *Gl. in d. c. ex litteris*, & in specie Innoc. in eodem *cap. ex litteris in v. suborta.* Non obstat, quod evincenti in petitorio fructus restitui debeant. *L. certum 22. C. de rei vind.* nam in primis hæc regula fallit in illis fructibus, qui ex sua natura sunt tales, ut salvo usu possessionis (qui per litem auferri non debet) restitui nequeunt: ut ecce pendente lite super matrimonio potest maritus eo uti, *cap. 1. & 2. ut lite pend.* quomodo hi fructus restituentur? Deinde recte etiam respondet Joan. Hon. *hoc tit. num. 58. cum Ripa in capit. cum Ecclesia, numer. 93. in fine de caus. poss. & prop.* quod circa fructum juris patronatus deficit ratio æquitatis, ex qua restitui debeat, cum jus patron. non producat alios fructus, quos possessor lucretur. Adde, si presentatio lite pendente est valida & admittenda ex sententia Innoc. Joan. Hon. *dd. ll. Joan. Andr. in cap. quoniam sub num. 7. hoc tit.* ergo acquiritur jus presentato ad petendam & obtinendam institutionem, eamque omnino suadet æquitatis ratio, cum diuturnior vacatio Ecclesiis præsertim parochialibus dispendiosa sit, *c. quam sit 6. de elect. in 6. cap. 36. de præb. in 6.* nullumque sit vero patrono præjudicium imposterum. *cap. consultationibus hoc tit.* acquiritur autem possessio per unum actum presentationis cum bona fide & secuta institutione, Joan. Hon. *d. l. num. 59.*

De aliis Divisionibus Juris Patronatus.

9 **S**ecunda divisio juris patronatus est quod aliud sit *hereditarium*, & aliud *familiaire* sive *gentilitium*. *Hereditarium* dicitur, quod transit ad quoscunque hæredes etiam extraneos, *gentilitium* vero, in quo tantum succedunt illi, qui sunt de sanguine & familia fundatoris. Res tota ex prima constitutione juris patronatus dependet, est enim in potestate fundatoris, an velit omnino remittere jus patronatus, vel sibi tantum aut familiæ suæ vel etiam aliis hæredibus reservare. In dubio autem, quando non satis constat de mente fundatoris, omne jus patronatus censetur hereditarium, neque tantum ad filios vel consanguineos patroni, sed alios etiam heredes extraneos devolvitur, nisi in fundatione aut per consuetudinem vel prescriptionem aliud introductum sit. Licet vero, ut jam dictum, in dubio jus patronatus præsumatur hereditarium, eliditur tamen hæc præsumptio, & censetur potius gentilitium, si in constitutione juris patronatus semper fuerit mentio familiæ & descendendum, nunquam vero hereditariæ qualitatis, quamvis expresse heredes extranei exclusi non sint *Barb. juris Ecclesiastici universi dicto lib. 3. c. 12. n. 20. & 23.* ubi etiam notat, quod ad probandum jus patronatus gentilitium leviores probationes sufficiant, videtur addi posse ratio, quod qualitas gentilitia magis sit pro libertate Ecclesiæ, cum facilius extingatur familia quam hereditas.

Præterea de istis heredibus & successoribus in jure patronatus notandum est, quod eorum successio non fiat in capita sed in stirpes, ita ut si ex pluribus patronis unus mortuus fuerit, relictis e.g. tribus heredibus, si tres heredes unum tantum votum in presentando habeant, adeoque inter se convenire debeant, ut in unum Clericum presentandum conspirent, vel ut alternis vicibus singuli eorum presentent. *Clem. 2. b. i.*

10 Tertia divisio est, quod jus patronatus aliud sit *activum*, aliud *passivum*. *Activum* est, ex quo patronus potest presentare beneficium. *Passivum* vero, per quod certi de aliqua familia (si idonei adsint) exclusi extraneis debent ad beneficia presentari & admitti *Barb. d. loc. num. 25.*

Quarta demum divisio est in *jus patronatus personale & reale*. *Personale* dicitur, quod coheret personæ fundatoris, vel heredis ejus, ubicunque locorum is existat: *Reale* vero, quod coheret

11 coheret loco scilicet castro, prædio & similibus bonis, idque transit non tantum ad heredem fundatoris, sed etiam ad quemcumque possessorem talis boni. De quo reali jure patronatus in sequentibus sæpius mentio fiet.

Quibus Modis acquiratur & amittatur
Jus Patronatus.

12 **T**Res sunt causæ, ex quibus originaliter jus patronatus descendit, nimirum Ecclesiæ Fundatio, Constructio & Dotatio. Reliqui vero patronatus omnes & facultates si ve privilegia quæcumque nominandi vel præsentandi Clericos per Concilium Trid. penitus abrogantur, exceptis tamen illis privilegiis, quæ magnis Principibus vel in favorem studiorum generalium & universitatum concessa sunt. Insuper in eodem Concilio requiritur, ut is, qui jus patronatus præten dit, ejus titulum scilicet fundationem aut dotationem per authentica documenta probare debeat, nisi possit tantum temporis probare possessionem, quæ hominum memoriam excedat. Imo si prætendentes jus patronatus sint personæ potentes, in quibus id jus plerumque ex usurpatione & injusta occupatione quæsitum præsumitur, exactior probatio ad ostendendum verum titulum requiritur, nec immemorialitas temporis eis aliter suffragatur, quam si præter reliqua ad eandem immemorialitatem probandam necessaria, præsentationes per 50. annos continuatas, quæ omnes fortitæ sunt effectum, authenticis scripturis demonstrare valeant. videatur textus Concil. Trid. *sess. 14. de reformatione c. 12. & sess. 25. de reformat. c. 9.*

13 Querunt autem hoc loco Doctores, an copulative requiratur, ut unus idemque Ecclesiam & fundaverit (id est, fundum dederit) & construxerit & dotaverit? Ratio dubitandi est, quia in *dicto c. 12. Trid.* dicitur: neminem posse obtinere jus patronatus, nisi qui Ecclesiam fundaverit & construxerit. Nihilominus probabilius & magis communiter receptum est, fundationem, constructionem & dotationem non copulative sed disjunctive requiri, adeoque dari jus patronatus etiam illi, qui tantum fundaverit, vel tantum construxerit, aut tantum dotaverit. Ita enim in *cap. 3. hoc tit. solius fundatoris: & in cap. nobis 25. tantum constructoris* mentio fit, ac idem Concilium Tridentinum *dicto c. 9. non copulative loquitur*, ex quo posteriori Concilii textu illud *caput 12. recte declarari potest. Barb. in eod. c. 12. n. 16. Abb. in c. ad audientiam n. 10 & 11. de Eccles. adif. Host. in summa hoc tit. n. 2. Rota p. 1. decis. 598. & p. 4. decis. 565. num. 2. quare si alius fundaverit, alius dotaverit, alius construxerit, tres ejusdem Ecclesiæ diversi patroni erunt, & nisi inter se ultro convenire velint, ut alternis vicibus unus tantum semper ex illis præsentet, omnes tres ad præsentandum admitti debent, & si diversos præsentent, prævalebit is, qui majora vota habuerit, vel si paria sint, quem Episcopus elegerit. Item qui in Ecclesia Altare vel Capellaniam erexerit, ipsam Ecclesiam (ejusque nomine Rectorem vel Prælatum) habere debet pro compatrona, tanquam quæ fundum erigendo altari dederit, nisi consuetudine vel præscriptione aliud introductum sit. Panorm. in *c. 3. de Eccles. adif.* præterea notabile est, quod docet idem Panorm. in *cap. 1. hoc tit. n. 6. si plures ad fundi collationem vel ædificationem aut dotationem concurrant, ita ut singuli suas portiones sive æquales, sive inæquales, conferant, omnes isti patroni futuri sint.**

14 Poterit non tantum ex prima constructione vel dotatione Ecclesiæ acquiratur jus patronatus, sed etiam si Ecclesia collapsa reparatur, vel si post primam dotem constitutam novi fundi vel pecunia adiciatur. Verum hoc non indifferenter de quavis nova reparatione vel dotatione accipiendum est, sed de ea, quæ Ecclesiam quasi ad non esse redactam rursus ad esse produxit, ut si prius tota vel majori parte collapsa sit, ut reparata nova consecratione indigeat, vel si prior dos injuria belli aut quacunq; ex causa interierit. Cæterum autem, qui Ecclesiam tantum ad ruinam præservat, vel in modica sui parte reparat, aut etiam extante prima dote novas divitias adjicit, talis pius benefactor tantum, non vero patronus dicitur. Patronus enim proprie dicitur quasi pater Ecclesiæ, à quo habet, ut sit Ecclesiæ, sicut in jure civili patronus dicitur, qui servum antea quasi pro non homine habitum liberum & aliis hominibus in jure parem fecit. *Garcias de beneficiis p. 5. c. 9. n. 50.*

Hactenus de prima & originali constitutione juris patronatus locuti sumus, quod id ex tribus tantum enumeratis causis nascatur. At vero, ubi jam semel per unum ex fundatione, dotatione aut constructione constitutum est, ad alium deinceps variis modis transferri potest, non tantum

per successionem hereditariam, de qua in præcedentibus dictum, sed etiam per contractum & actus inter vivos. Circa quam proinde juris patronatus translationem.

Not. I. Quod patronus Laicus libere jus suum Ecclesiæ vel Monasterio donare possit, etiam irrequisito consensu Episcopi, *cap. unico hoc tit. in 6. per quod corrigitur c. nullus 17. extra eodem tit. ubi prohibetur, ne Laicus aliquid Ecclesiastici juris irrequisito Episcopo præsumat Monasteriis donare.* Quod vero ulterius in *dicto cap. unico* additur, per talem donationem juri Episcopi, qui eidem assensum non præbuit, non derogari, intelligendum est juxta *cap. passorilis 7. de donationibus*, ubi deciditur, si Episcopus cum consensu patroni viris religiosi aliquam Ecclesiam simpliciter concedat, per talem concessionem non tantum jus Patronatus, sed etiam, quidquid prius Episcopus de fructibus illius Ecclesiæ percipere potuit, transferri.

Not. II. Quod Laicus alteri Laico jus patronatus sine consensu Episcopi vel ejusdem vicarii ad hoc speciale mandatum habentis donare non possit, ut ex decisionibus Rotæ Romanæ & aliis Doctoribus tradit *Barb. sæpe cit. cap. 12. nu. 246. nisi alter Laicus fuerit compatrofus: tunc enim, sicut ad evitandam discordiam præsentationis valet inter plures patronos compositio, ut unus tantum alternis vicibus præsentet. Clem. 2. hoc tit. ita ex eadem ratione valere debet, si unus ex patronis in favorem alterius suo juri plane renunciare velit. Piasc. in praxi Episc. p. 2. c. 5. n. 9. Zerola p. 1. v. jus patronatus §. 2.*

Not. III. Quod Ecclesia vel Monasterium obtinens jus patronatus non possit alteri Ecclesiæ, minus Laico illud jus donare sine ordinariis solemnitatibus ad alienationem rei immobilis Ecclesiasticæ requisitis, quia jura ista incorporalia rebus immobilibus accenseri *in sit. de rebus Ecclesiæ non alienandis*, demonstratur.

Not. IV. Jus patronatus, quamvis Laicis competat, nihilominus esse spirituale, aut spirituali annexum & tantum personam Laici ex privilegio Pontificis ad id esse habitatam, adeoque sine vitio simoniæ vendi aut pro re aliqua temporali permutari non posse. *cap. de jure 16. hoc tit. quod si aliquis de facto jus patronatus vendere, aut alio contractu improbatum in alium transferre præsumat, præter excommunicationem à Judice Ecclesiastico infligendam jus patronatus ipso facto amittet, & Ecclesia deinceps libera erit. Trident. sess. 25. de reformat. cap. 9. pretium quoque neque venditori, qui jus patronatus vendere non potuit, neque emptori, qui in mala fide fuit, simoniæ emendo, sed potius Ecclesiæ, quæ per talem venditionem injuriam passa est, applicandum erit. Panorm. in dicto c. 16. hoc tit. n. 3.*

Not. V. Licet jus patronatus tanquam spirituale per se vendi nequeat, si tamen reale sit & annexum certis bonis, vel etiam certæ hereditati recte accessorie cum ipsis bonis aut hæreditate vendi poterit, dummodo in venditione de jure patronatus specialis conventio & propter id augmentum pretii non interveniat. *textus & interpretes in cap. ex litteris 7. & cap. cum seculum 13. hoc tit. Sum. de simonia c. 28. n. 13. Bonac. de simon. q. 4. §. 11. n. 5. ut autem jus patronatus censetur reale, debet vel ex prima fundatione vel succedente consuetudine aut præscriptione ita esse introductum, ut semper possessoribus talium bonorum præsentatio competat, alias personale censetur.*

Not. VI. Etiam per contractum feudalem & Emphyteuticum cum universitate bonorum vel certis bonis transferri jus patronatus, ita ut ille, cui bona jus patronatus annexum habentia in feudum vel Emphyteusim data sunt, libere præsentare valeat. Item si maritus hujusmodi bona in dotem acceperit, non uxor ejus, sed ipse præsentationem exercebit, cum ad maritum dominium civile dotis, & jus percipiendi fructus ex re dotali pertineat. *Menoch. Con. 66. n. 27. Manic. decis. 140. n. 2. & 13. Barb. sæpe dicto c. 12. n. 223.*

Verum quid de conductore talium bonorum dicendum sit, 16 multum dissentiunt Doctores propter textum ambiguum in *c. ex litteris 7. hoc tit.* ubi quidem dicitur, jus patronatus transferri in illum, qui bona ad firmam tenet, sed non satis explicatur, qualis contractus per ista verba denotetur. Quidam enim de locatione, quidam de contractu emphyteuco accipiunt. Omnium probabilior videtur sententia Panorm. in *eodem c. 7. n. 5. & Bartoli in l. 1. Cod. de jure Emphyteusor nu. 8. Menoch. Consil. 90. esse distinctionem faciendam inter locat ionem ad longum tempus v. g. 10. annorum, & inter locat ionem quæ fit ad brevius tempus: in locatione ad tempus longum dicendum est, jus patronatus transferri in conductorem, non autem in locatione ad tempus modicum: tum quia conductor ad longum tempus habetur pro possessore. *L. 1. §. 3. ff. de superficiesibus.* & fructus regulariter omnes, qui specialiter excepti*

excepti non sunt, percipere potest, quod secus est in conductore modici temporis, in quem non transit possessio, & qui non omnes omnino, sed ordinarios tantum fructus percipiendi jus habet: tum etiam quod illa verba ad firmam, sint termini linguæ Anglicanæ, ex quibus locatio ad tempus longum intelligitur, ut notat Bart. dicto loco, & colligitur ex eodem cap. 7. & ex cap. 2. de locato, item ex cap. querelam. Ne Prælati vices suas &c. quæ Capitula Anglis scripta sunt, ut ex eorum inscriptione patet.

Not. VII. Quod Creditor, cui castrum aut bonum aliquod, habens annexum jus patronatus oppignorum est, non possit uti illo jure patronatus, prout satis aperte deciditur in c. cum Bertholdus 18. de sententia & re judicata. Ratio redditur à Panor. in dicto cap. 7. hoc tit. num. 9. & Glossa in eodem cap. 18. in fine. Quod creditor fructus pignoris aliter percipere non possit, quam si velit debitori restituere, vel in fortem imputare, atqui, si præsentaret Clericum, & isque institueretur, perciperet fructum, quem nec debitori restituere, nec in fortem imputare valeret.

17 Not. ultimo. Quod publicatis & confiscatis bonis patroni propter delictum ejus, etiam jus patronatus ad fiscum referatur, ex generali regula, quod cum universitate bonorum etiam transeat jus patronatus, sed hoc, si jus patronatus reale sit, si verò sit personale, extinguetur, & Ecclesia libera erit: si gentilitium, devolutio fiet ad alios consanguineos, quibus delinquens in jure quæsito per suum factum præjudicare non potuit, juxta regulam, quod factum cuique suum, non alteri nocere debeat. Barb. dicto loco n. 238. Zosius eodem tit. n. 26. argumento etiam possunt esse, quæ de fideicommissio familiæ non confiscando docet Fachin. l. 4. contror. cap. 50. & de feudo lib. 7. c. 20.

18 Amittitur jus patronatus. I. Si Ecclesia totaliter destruat, vel etiam dos & redditus penitus deficiant. Neque reviviscet, licet Ecclesia rursus ædificetur, vel dotetur, nisi prior patronus ad reedificandum vel dotandum concurrerit. II. Si patiatur patronus ex Ecclesia patronata fieri collegiatam aut Monasterium, ex tunc enim cessabit præsentatio, & succedet electio, sine consensu autem patroni status Ecclesiæ in ejus præjudicium mutari non potest. Mager. de Auctor. cap. 10 num. 372. Burr. in cap. nobis 25. hoc tit. numer. 26. III. Deficientibus successoribus aut extincta familia patroni. IV. Per non usum amittitur jus patronatus, si duabus saltem vicibus patronus non præsentarit: cum enim jus patronatus sit Ecclesiæ aliquo modo grave, & Episcoporum libera collationi præjudicans, eontra vero libertas Ecclesiæ favorabilis, ideo per omissionem duarum præsentationum censetur patronus suo juri renunciasse, sicut alias privilegia onerosa per non usum aut usum contrarium facile amittuntur. Barb. dicto loco num. 227. V. Si patronus beneficiatum vel quemcumque Clericum Ecclesiæ patronatæ sine casu necessarii defensionis occiderit aut mutilarit, cap. in quibusdam §. sacri, & cap. ad aures de penis. VI. Si patronus fiat hereticus, apostata vel schismaticus, ut notatur in cap. finali, de hereticis. VII. Si patronus se ingererit in perceptione fructuum beneficii, eos vel in proprios usus convertendo, vel saltem impediendo, ne ad beneficiatum, aut eum, ad quem de jure spectant, perveniant. Tridentinum sess. 22. de reform. cap. 12. VIII. Denique ex eodem Concilio Tridentino sess. 25. de reform. cap. 9. statutum est, ut qui jus patronatus sibi competens contra Canonicas sanctiones per venditionem vel alium titulum & modum prohibitum in alium transferre præsumperit, ipso facto eodem privatus existat.

19 Utrum autem Episcopus valeat jus patronatus extinctum de novo alicui laico donare? videatur Riccius in praxi aurea p. 3. de ref. 483. ubi negative respondet, quia certis tantum modis constituitur jus patron. & Episcopus non potest Ecclesiis novum onus imponere.

Non videtur tamen negandum, quin aliquando Laico præsertim minorenni, si v. g. ob non utum amiserit jus patronatus, possit Episcopus per restitutionem in integrum succurrere.

Sed & istud notabile est, quod privatio juris patron. ex causa delicti, tunc effectum habeat, si sententia Judicis declaratoria secuta fuerit, tametsi delictum notorium extiterit. Mager. de advocatia, cap. 15. n. 875. Gail. 2. O. 51. num. 6. Grammatic. dec. 15. n. 8.

20 Demum pro coronide breviter adnotandum est, quod licet, ut superius dictum, patrono incumbat onus defendendi Ecclesiam, & propterea etiam Advocatus Ecclesiæ nuncupetur in cap. prætorca, & cap. cum autem hoc tit. in quibusdam tamen Europæ partibus, præsertim vero in Germania & Gallia receptum sit, ut quidam Advocati Ecclesiæ (germanice Dogtherrn) dicantur, qui patroni non sunt, ne-

que ex hoc solo titulo Clericum ad Ecclesiam vacantem præsentare possunt, nisi aliunde, puta ex fundatione &c. id ipsis competat. Munus igitur istorum Advocatorum præcipuum est, Ecclesias contra violentas oppressiones defendere, curam & inspectionem habere, ne bona Ecclesiæ male dissipentur, aut alienentur: & propterea etiam illis nunquam cum consensu Episcopi constituitur jus, aliquam partem de fructibus Ecclesiarum sive deinde in pecunia frumento vel avena percipiendi d. cap. prætorca. Advocatia & ea suprema competit Imperatori in suo Imperio respectu omnium Ecclesiarum tam majorum, quam minorum. Item Principibus & Dominis territoriorum circa Ecclesias in suis territoris sitas. Inferiores quoque Domini uti Comites, Barones & Nobiles hoc jus advocatiæ vel ex antiqua consuetudine, vel speciali contractu cum certis Ecclesiis autoritate superioris inuito sibi vendicant.

Amittitur jus advocatiæ iis ferme modis, quibus jus patronatus, & in specie (quod nostris temporibus sæpe contingit) si Advocatus eo jure abutatur ultra censum sibi constitutum usurpando bona, fructus aut jura Ecclesiæ, in personas Ecclesiasticas dominando &c. cap. in quibusdam 12. de penis, cap. generali de elect. in 6. junct. Constit. Frider. in tit. de pace tenend. & ejus viol. §. publici, larrones, vers. quicumque advocatiam. Gail. lib. 2. obs. 54. num. 6. De isto jure advocatiæ videri poterit insignis tractatus, quem edidit Martinus Magerus, ubi rem totam latissime exponit, & cap. 14. & cap. 16. prolixius tractat qualiter ob non præstitam defensionem jus advocatiæ, & exigendi censum amittatur.

SECTION II.

De institutione, Collatione & Concursu.

SUMMARI A.

- 1 Quis possit instituere Clericum in beneficio, & quid sit institutio.
- 2 Investitura alia est verbalis, alia realis.
- 3 Quam jurisdictionem habet S. Pontifex in collatione parochiarum, & quæ beneficia speciali ter eidem reservantur.
- 4 Sede Apostolica vacante omnes Parochie per ordinarios conferri possunt.
- 5 Beneficia ad jus patronatus laicorum spectantia non reservantur.
- 6 In Germania menses Papales ex consuetudine non attenduntur.
- 7 Quam potestatem Legati de Latere & Cardinales habeant in collatione beneficiorum.
- 8 Quibus de jure, vel privilegio competat beneficia conferre.
- 9 Intra quod tempus beneficia conferenda & ad quem superiorem devolutio fiat, si tempus non observetur.
- 10 Parochie post Trident. per concursum conferenda, & quid circa examen observandum sit.
- 11 Quotnam admittendi ad concursum, si jus patronatus pertineat ad laicum, vel Ecclesiasticum.
- 12 Si Parochia sine concursu confertur, collatio est nulla, & ad sedem Apostolicam devolvitur.

Quando Patronus Episcopo Clericum præsentavit, ad ipsum pertinet cognoscere & judicare de illius aptitudine, & si idoneum repererit in parochia vel beneficio instituere.

Est autem institutio alia, per quam titulus beneficii alicui confertur, quod sit, quando litteræ confirmationis super facta præsentatione patroni de mandato Episcopi aut Consistorii ejus expediuntur: & alia, per quam ipsius beneficii actualis possessio datur, quæ magis proprie investitura vel missio in corporalem & actualem possessionem dici potest. Neque enim institutus beneficium ejusve possessionem propria autoritate sine licentia vel introductione superioris apprehendere debet, alias pena saltem arbitraria ab Episcopo puniendus. Covar. var. resol. lib. 3. cap. 16. numer. 7. & 8. imò si in tali possessionis apprehensione violentia uteretur priorem possessorem expellendo &c. etiam omne jus ex collatione quæsitum ipso facto perderet, res. & DD. in cap. eum qui 18. de præb. in 6. quod si præsentatus tantum & necdum confirmatus vel institutus (qui jus tantum ad rem, non in re habet) propria autoritate beneficium occupet, fructus colligat &c. etiam nemine contradicente, amittit jus ex præsentatione acquisitum, cap. avaritiæ de elect. in 6. Garc. de benef. p. II. c. 10. n. 217.

Est verò investitura in beneficiis sicut in feudis alia verbalis,

balis, quæ fit per traditionem alicujus signi v. g. byreti, clavium &c. una cum verbis investituræ exprimentibus, & alia realis, scilicet ipsa actualis in possessionem introductio five installatio de jure ad archidiaconum pertinens *cap. ad hæc de offic. Archidiacon. prior enim verbalis investitura ex plurium sententia non ipsam actualem possessionem, sed obligationem solum ad traditionem actualis possessionis, vel ad summum licentiam propria autoritate possessionem vacuam occupandi inducit. Clarus § feudum q. 36.*

De Collatione.

3 Circa Collationem Ecclesiarum parochialium imprimis sciendum est, quod ea competat S. Pontifici, qui habet concurrentem jurisdictionem cum quolibet Ordinario, *cap. 2. & cap. dudum de præb. in 6. imo de jure Regularum Cancellaria & Extravag. ad regimen de præbend. beneficia quædam specialiter & soli Pontifici reservantur, ut vacantia per promotionem ad alterum cujus collatio ad Papam spectat, item & Cardinalium, Curialium & familiarium Papæ; nec non & accedentium ad curiam vel recedentium ab ea, si in curia vel intra duas dioceses moriantur: ea quoque, quæ vacant per depositionem, privationem, aut translationem auctoritate Pontificis factam: Denique ex Concord. German. quæ in Bullario inter Bullas Nic. V. novissimo loco ponuntur, beneficia curata & non curata alternis mensibus vacantia, unde dicuntur menses Papales Januarii, Martius, Majus, Julius, September, November.*

4 Verum in parochialibus Ecclesiis hoc est speciale, quod si quomodoque reservata vacaverint sede Apost. vacante, per Ordinarios conferri possint, ne ipsarum diuturnior vacatio periculum animabus adferat, idem quoque, si quidem parochia vivente adhuc Pontifice vacaverint, sed is ante mortem suam nihil de iis disposuerit, *cap. si Apostolica 35. de præbend. in 6.*

5 Deinde reservationes quæcunque locum non habent in beneficiis spectantibus ad jus patronatus Laicorum, dummodo Laici habeant ex fundatione, constructione aut dotatione, quia S. Pontif. nunquam intendit juri patronatus Laicorum derogare, ne à foundationibus absterreantur. *Covar. pp. 99. cap. 36. Garc. de benefic. p. 5. cap. 1. n. 571. Barbos. de offic. Episc. alleg. 57. num. 26. si intra tres menses à die notæ vacationis in loco beneficii S. Pontifex non contulerit, redit collatio ad Ordinarium, ut in Concord. habetur, quibus addenda est Bulla Greg. XIII. quæ in Ecclesiam &c.*

Promittit etiam S. Pontif. in Concordat. German. quod in mensibus Ordinariorum & beneficiis non reservatis, nolit eorundem collationem impedire. Unde in Germania non procedit *tex. in cap. dudum 4. §. non igitur de præb. in 6. & subreptitia judicaretur provisio Papalis in mense Ordinarii sine clausula derogatoria.*

6 Consuetudine quoque in quibusdam Germaniæ & remotioribus locis receptum videtur, quod menses Papales præsertim in beneficiis parochialibus non attendantur, quæ consuetudo ob animarum periculum imminens tum ex longiori vacatione, tum si alienigenæ & ignoti pastores de parochiis provideantur, satis rationabilis redditur. Consuetudinem autem vel præscriptionem rationabilem adversus leges pontificias & jura Ecclesiæ Romanæ procedere constat, *c. fin. de consuetud. & c. ad audientiam de præscript.*

7 Præter S. Pontificem etiam legati ejus, qui de Latere & Cardinales sunt (non item Nuntii Apostolici nisi ex speciali privilegio) potestatem conferendi beneficia suæ provincie habent, & cum Ordinariis concurrunt, *c. dilectus de offic. Legati c. 3. & 4. eod. in 6. Clem. si de benefic. de præb.*

Attamen in Germania propter dicta Concordata non poterit Legatus collationem Ordinariorum impedire, & ita uti majore potestate, quam ipse S. Pontifex, siquidem receptum est apud DD. *quod S. Pontifex facere non solet, id Legatus facere non potest*, alias enim plenitudo potestatis etiam Legato competere, quod nemo admisit. Neque sine speciali privilegio facere aliquid potest Legatus, quod tendat in violationem juris communis, *Barb. Jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 5. n. 80. ad summum igitur Legatis in Germania jus remanet conferendi beneficia ad sedem Apostolicam devoluta ex negligentia inferiorum collatorum, non item beneficia reservata, nisi ex speciali privilegio. Gloss. in cap. 1. in v. ampliori de offic. Leg. in 6. Barb. Jur. Eccles. univ. lib. 1. c. 5. n. 42.*

8 Inter ordinarios Collatores, S. Pontifice, ejusque Legato inferiores primus est Episcopus, qui quoad omnia beneficia suæ Diocesis fundatam intentionem in jure habet, *c. cum & planare, §. in Ecclesiis de privileg. cap. cum ex injuncto, & ibi Pan. n. 2. de heret.*

Episcopis similes sunt alii Prælati exempti speciale territorium & jurisdictionem quasi Episcopalem habentes. *Gl. in c. 1. de Capell. Mon. Pan. in c. in Lateranensi de præb. n. 4.*

Sed & inferioribus Prælatibus & Abbatibus jus conferendi parochias & beneficia ex speciali privilegio aut præscriptione competere potest. Capitulo tamen sede vacante, neque vicario generali sine speciali mandato beneficia ad collationem Episcopi spectantia conferre conceditur, est enim collatio species donationis, quam regulariter rei alienæ administrator facere non potest, *cap. fin. de offic. vic. in 6. Gl. in cap. his que de major. & obed. præsentatos tamen a patronis capitulum & vicarius instituere non prohibetur: cum enim ex præsentatione jus acquiratur præsentato ad petendam institutionem, non potest institutio species donationis censi, utpote quæ nullum jus petendi in accipiente supponit: sed potius actus justitiæ, cap. 1. de instit. in 6. c. ex frequentibus 10. eod. Barb. de offic. Episc. alleg. 54. n. 70.*

9 Porro Ecclesiæ parochiales, sicut & alia beneficia conferenda sunt, intra sex menses computandos à die cognitæ vacationis *cap. 2. & c. quia diversitatem de concess. præb. quo termino elapso jus conferendi in Ecclesiis cathedralibus ab Episcopo devolvitur ad Capitulum, ab hoc ad Archiepiscopum & demum ad S. Pontificem. In Ecclesiis regularibus, non ad Conventum, sed ad Episcopum devolutio fiet, qui in non exemptis, sua, in exemptis vero Apostolica auctoritate negligentiam supplebit, ita tamen, ut beneficia per regulares administrari solita Regularibus conferat. Clem. univ. de suppl. neglig. Prælat.*

Si de factis post lapsum terminum beneficium collatum sit, potest de æquitate tolerari, quamvis de rigore non subsistat, utpote collatore jam tunc potestate conferendi privato. *cap. litteras 10. de suppl. neglig. Prælat.*

In parochiis quoque & beneficiis Monasteriis pleno jure seu ad mensam incorporatis non observatur hic terminus cum nunquam vacare censeantur, ex quo principalis rector est Abbas, *d. Clem. un. Joan. Honor. in tit. de præb. n. 60.*

De Concurfu.

Hodie Conc. Trid. *sess. 24. de ref. c. 18.* Novam formam conferendi parochias præscripsit nimirum per concursum.

Vacante igitur Ecclesia parochiali idoneum vicarium cum assignatione congruæ portiones Episcopus in ea deputabit, donec ei de Rectore provideatur.

Interim ab Episcopo per Edictum publicum aut alio modo vocandi sunt, quicumque ad parochiam vacantem aspirant, præstituta die comparentes examinentur ab Episcopo vel ejus vicario generali, atque ab aliis examinadoribus non paucioribus, quam tribus.

Examinatores autem singulis annis in diocæsana synodo ab Episcopo vel ejus vicario ad minus sex proponantur, qui à synodo approbentur ex quibus Episcopus ad singula examina semper 3. eligere poterit. Sintque hi examinatores Doctores aut Licentiati in Theologia aut Jure Canon. vel alii Clerici seu Regulares etiam ex Ordine mendicantium, qui videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad SS. Evangelia, se quacunque affectione postposita fideliter munus executores: dantes & accipientes aliquod occasione examinis ob simoniæ vitium graviter puniendi, & beneficiis etiam ante habitis privandi, *ut in textu*, non tamen prohibetur Episcopus istis examinadoribus aliquod stipendium constituere, de suo tamen, non ex fructibus beneficii vacantis & multo minus ex contributione examinadorum. *Barb. in collect. ad d. c. 18. Trid. n. 107. & seq.*

Peracto examine qui digni fuerint reperti, Episcopo denunciandi sunt, ex quibus Episcopus illum eligit, quem ceteris magis dignum judicaverit. Neque Episcopum adstringi ad vota Examinadorum ex *Garcia p. 9. c. 2. num. 59. refert Barb. de Parocho, p. 1. c. 2. n. 91. & 93. ubi etiam n. 109. refert, quod ceteris paribus inter concurrentes præferendus sit senior præ juniore: originarius vel conterraneus præ extraneo, ille enim magis præsumitur diligere & curare suos patriotas, Doctor præ non Graduato, Sacerdos præ alio in inferioribus ordinibus constituto, &c. sed hæc omnia arbitraria sunt, & potius ad morum & rerum gerendarum aptitudinem respiciendum erit.*

Si parochia pertineat ad jus patronatus Laicorum, solus presentatus vel presentati à Patrono, examinabuntur. Si vero fuerit de jure patronatus Ecclesiastico, etiam alii ad examen vocari poterunt, & inter dignos repertos unum Patronus Ecclesiasticus Episcopo presentabit, si ad Episcopum spectet institutio; si ad inferiorem Prælatum, tunc prius examinatus debet approbati ab Episcopo, & deinde primus inferiori

feriori Prælati præsentari, resolvunt enim DD. apud Barb. in Collect. ad d. c. 18. Trid. n. 45. & seqq. quod inferiores Prælati, nisi habeant jurisdictionem quasi Episcopalem, & jus congregandi synodum ac proprium territorium non possint facere concursus, sed id spectet ad Episcopum.

12 Quod si collatio Parochialis Ecclesiæ aliter facta fuerit quam per concursus, est nulla, & ad sedem, Apostolicam devoluta juxta Motum proprium S. Pii V. anno 1566. 5. Kal. April. Barbos. in collect. d. l. num. 158. in Germania hæc tam salubris constitutio necdum quidem ubique recepta est, optandum tamen foret magnopere, ut in singulis diocæsi- bus (quemadmodum ex mandato Celsissimi nostri Princ. & Archiep. in hac Salisburgensi factum) reciperetur. Inde enim fieret ut Clerici in litteris & moribus ad curam se se aptiores redderent.

Parochiæ vero Monasteriis vel aliis Ecclesiis incorporatæ, in quibus non proprie parochus sed tantum vicarius ponendus est, per concursus non conferuntur. Bulla S. Pii V. ad exequendum. Barb. de Parocho p. 1. c. 2. n. 18 usque ad 22.

In permutationibus etiam parochiarum concursus non est necessarius Barbos. dist. lib. num. 23. Garc. de benef. p. 9. cap. 2. num. 165.

CAPUT II.

De triplici Qualitate Ætatis Morum & Scientiæ in Parocho requisita.

SUMMARI A.

- 1 Regimen animarum ars artium.
- 2 Ætas 25. aunorum inchoatorum requiritur in Parocho, & ut intra annum recipiat Sacerdotium.
- 3 Negligenter emittens suscipere ordines elapso anno est ipso Jure privatus Parochus.
- 4 Fallit in Ecclesiis Collegiatis.
- 5 Quidquid sit, an de rigore extra casum præsentationis & mandati Apostolici possit parochia conferri Clerico in minoribus, Episcopus poterit dispensative id facere.
- 6 Dispensatio concessa in Jure impersonaliter intelligitur data Episcopis.
- 7 Nomine Episcopi veniunt etiam Inferiores Prælati habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem.
- 8 Parochus bono exemplo sui debet præluere.
- 9 Quæ mulieres permittantur cum Clericis habitare.
- 10 Ob periculum perjuri non sunt cogendi Clerici ut concubinas abjurerent.
- 11 Pæne Concilii habent locum etiam in suspensis sine qualitate concubinatus.
- 12 Ad eas incurvendas in foro conscientie requiritur sententia declaratoria.
- 13 Actualis lapsus carnis qualiter puniendus.
- 14 Concubinariis non est suspensus, suspensio proprie dicta.
- 15 An & quando in divinis vitandus.
- 16 Scientia quæ requiratur in Parocho.

1 CUM sit ars artium regimen animarum, ut dicitur in cap. cum sit de etat. & qualitat. utique non debent id suscipere & in Parochos constitui nisi qui fuerint idonei. Dicuntur autem idonei, in quibus tria concurrunt: nimirum, ætatis maturitas, morum gravitas, & debita scientia, c. cum in cunctis 7. §. inferiora de elect. c. licet Canon. 14. eod. in 6.

2 Quod attinet ad ætatem in Parocho requisitam, ea est 25. annorum inchoatorum, d. §. inf. & c. licet Canon. Neque tamen parochus statim eo tempore, quo sibi parochia conferretur, Sacerdos esse tenetur, dummodo sit Clericus in minoribus constitutus, & intra annum numerandum à die adeptæ pacificæ possessionis suæ parochiæ in Sacerdotem promoveretur. c. 2. de instit. in 6. c. si pro Clericis 8. de præb. in 6.

3 Si vero talis parochus intra annum ad sacerdotium promotus non fuerit, tunc elapso anno (non prius, quamvis tantum jam temporis spatium effluxerit, ut promotio amplius impossibilis sit, cap. commissio 35. de elect. in 6.) ipso jure Parochia privatus erit, nisi justo aliquo impedimento ab Ordinibus retardatus fuisset, d. cap. licet Canon. & cap. commissio.

4 † In Ecclesiis tamen collegiatis, etiam si alias Parochiales extiterint, & iis, qui ad earum regimen assumuntur, non

habere locum hanc constitutionem, ut quis elapso anno ipso Jure sit privatus, sed requiri, ut juxta antiquiores Canones, monitio Episcopi præcedat, & si monitus aliquis non ordinatus fuerit, tum demum per sententiam privari possit, declaratum est in c. statutum de elect. in 6.

Non ignoro, quod aliqui cum Gloss. in d. c. 2. de Instit. in 6. & d. c. si pro Clericis doceant, tantum duos casus esse exceptos, in quibus non requiratur, ut promovendus ad Parochiam sit in Sacris constitutus, videlicet I. Si præsentetur à Patrono ut in d. c. 2. II. Si ad mandatum Papæ alicui de parochiali Ecclesia provideatur ut in d. c. si pro Clericis. Si vero de libera collatione agatur, tunc non esse admittendum, qui saltem Subdiaconus non sit jux. lex. in cap. præterea 5. de etat. & qual.

Sed hanc doctrinam non recipiunt Archidiacon. Joan. Andr. 5 & alii de quibus attestatur Gl. in d. c. si pro Clericis censentes d. c. præterea per posteriores Canones in texto decretalium existentes indifferenter correctum esse. Quidquid sit de hac doctrina theoretice in utranque partem disputabili, in praxi res non habet magnam difficultatem, cum Episcopus possit etiam ex autoritate illius cap. præterea dispensare cum aliquo ad parochialem Ecclesiam, si adhuc in sacris non sit. Dico Episcopum dispensare posse. Nam licet in dist. cap. præterea. Episcopo hæc dispensatio expresse non concedatur, hoc ipso tamen, quod Pontifex dicat dispensative posse admitti ad Parochias constitutos in minoribus, eam dispensationem concessisse Episcopo intelligitur; Atque idem generaliter tenendum esse, quoties in aliquo Canone dispensatio permittitur, quamvis Episcopi mentio non fiat, tradit Panor. in cap. fin. de post. Prælat. n. 10. Felin. in c. nuper de sent. excom. Barb. de offic. Episc. p. 2. alleg. 34. n. 22. Ratio est, quod potestas data dispensandi in aliquo Canone, non possit rationabiliter intelligi data S. Pontifici, utpote qui alias eam potestatem habet, cap. proposuit §. licet de concess. præb. nisi ex sermone connexo vel stylo & consuetudine aliud appareat, ut in Trid. sess. 24. de ref. Mat. c. 5. Sanch. de mat. l. 8. disput. 6. n. 19.) Consequenter ut leges accipiantur de casibus dubitatis. jux. l. 1. §. 2. ff. ad municip. & verba Papæ aliquid operentur, c. si Papa 10. de privileg. in 6. debeat intelligi illa potestas data Episcopis, quibus alias non competeret.

Sed quid, si Abbas vel alius Prælati inferior Episcopo, habeat jus conferendi parochiam, an & is eandem Clerico in minoribus tantum ordinibus constituto conferre poterit? † 7 R. Affirmative, quia tex. dum in d. c. præterea, dispensationem ordinariis Collatoribus permittit, non distinguit inter Collatores, Episcopos & inferiores, nec nos distinguere debemus, arg. l. de pretio de publiciana. Accedit, quod inferiores Prælati circa hujusmodi parochias, quas conferre possunt, Jurisdictionem quasi Episcopalem habere censeantur, jux. Gl. not. in Clem. 1. in v. proprii de reb. Eccl. non alien.

Circa morum gravitatem verissime monet Concil. Trid. sess. 22. de ref. cap. 1. Nihil esse, quod alios magis ad pietatem & DEI cultum assiduo instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se divini ministerio dedicaverunt, &c. Et Gregorius lib. 34. mor. c. 30. Non debet, inquit, hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene vivendo præire, ne qui ad hoc eligitur, ut aliorum culpa corrigat, quod rescare debuit, ipse committat. Quapropter omnia illa, quæ generaliter de vita & honestate Clericorum, videl. de luxu vestium & capillorum, erapula & compotationibus in tabernis publicis, lusu immoderato, ac negotiis secularibus vitandis in SS. Canonibus statuta sunt, tanto magis Parochi observare debent, quanto ipsis cum cura animarum arctius incumbit, ut aliis bono exemplo præluceant.

Specialiter vero ut incontinentiæ vitium declinetur, sub gravibus pænis jubet Concil. Trid. s. 25. de ref. cap. 14. Quam turpe, inquit Concil. at Clericorum nomine qui se divini cultui addixerunt sit indignum, in impudiciæ sordibus immundoque concubinato versari, satis res ipsa communi omnium fidelium offensione testatur, ut igitur ad eam quam decet, continentiam ac vitam integritatem ministri Ecclesiæ revocentur, populusque hinc eos magis discat revereri, quo illos vita honestior cognoverit, prohibet S. Synodus quibuscumque Clericis, ne concubinas aut alias mulieres de quibus possit haberi suspicio in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin pænis à SS. Canonibus vel Ecclesiarum statutis impostis puniantur.

Femina quidem ob ætatem vel primi aut secundi gradus consanguinitatem tolerantur, c. cum omnibus, dist. 81. c. pen. de cobab. Cler. & mul. Si tamen etiam istæ vel propter se vel pedissequas earum suspectæ forent, protinus removendæ essent, quia etiam in his scelus contigisse compertum est c. 1. de cobab. Cler. c. legitur d. 18. Addit quoque Concilium pænas, & certum modum procedendi contra hujusmodi Concubinos, ac inter alia statuit, ut si à Superio-

rioribus moniti à fœminis suspectis se non abstinerint, tertia parte fructuum beneficiorum suorum quorumcumque sint ipso facto privati: sin autem in delicto eodem perseverantes secundæ monitioni adhuc non paruerint, fructus omnes ac
10 proventus suorum beneficiorum eo ipso amittant &c. † Non vero cogendi sunt Clerici, ut consortium fœminarum abjurerent, ne instigante diabolo in idem peccatum redeuntis perjurii reatum incuriant. c. 3. d. 1. de cohab. &c.

11 Cæterum licet aliqui apud Barb. in Collect. ad d. c. 14. Trid. n. 16. teneant has pœnas Conciliares tantum habere locum in suspectis de concubinato scilicet cum fœmina domi retenta, nihilominus ex textu Concilii magis apparet, quod etiam de aliis delictis carnis sine qualitate concubinatus (ut si extra domum frequententur suspecta consortia) procedant. Navar. Consil. 1. d. 1. de cohab. &c.

12 Sed hic quæri posset, an hæc pœnæ Concilii quæ ipso facto incurruntur statim in conscientia locum habeant, ita ut Parochus fructus ita amissos sine alia condemnatione ultro restituere teneatur? R. Benigniore esse sententiam, quod pœnæ quæ etiam ipso jure irrogantur non aliter obligent in conscientia, quam si sententia declaratoria sequatur, per quam Judex declarat tales pœnas solvendas esse, per ea quæ docet Covar. de matrim. p. 2. c. 6. §. 8. num. 13. arg. eum secundum 19 de hæret. in 6. ubi videtur supponi regulariter ad pœnas ipso jure irrogatas debere accedere sententiam declaratoriam, nisi specialiter ob gravitatem criminis aliud statuatur. Maxime verò in nostro proposito hanc sententiam declaratoriam requiri non obscure ex ipso Concil. Trid. d. f. 24. c. 14. colligitur: dum ibi fructus à Clerico concubinario ipso jure amissi non per ipsum Clericum, sed arbitrio Episcopi fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco jubentur applicari.

13 Dices, si pœnæ Concilii tantum post præmissam monitionem locum habent, ergo ante monitionem Clericus impune peccabit? R. Quod pœnæ Concilii eum potissimum casum respiciant, si Clerici de incontinentia suspecti nolint consortium fœminarum devitare. Si verò Clericus de actuali lapsu carnis sive ante sive post monitionem convictus fuerit, variæ contra ipsum pœnæ in jure dicuntur, scilicet suspensionis ab officio & beneficio, incarcerationis, nonnunquam etiam depositionis. cap. Maximianus & ibi Gl. d. 81. quales pœnæ arbitrio Judicis Ecclesiastici pro circumstantia facti temperari vel aggravari possunt. Pan. in cap. si Clerici de judic. n. 35. Farin. de delict. carn. q. 137. n. 17. illum verò ab usum reprehendit Garc. de benef. p. 11. cap. 10. n. 188. quod quidam Judices Ecclesiastici ex delictis quodammodo quæstum faciunt, & multas pecuniarias sibi applicant, quam pœnam divites parum pertimescunt. c. 3. de pœnis. regulariter etiam multæ pecuniariæ piis causis applicandæ sunt, ne videatur punitio ex radice avaritiæ procedere. Trid. c. 2. vers. in causis §. 25. de ref.

14 Alia est disputatio utrum sacerdos concubinarium incurrat ipso jure suspensionem proprie dictam juxta c. præter. dist. 32. ita ut si celebret ante absolutionem fiat irregularis, cum quo tantum per S. Pontificem dispensari possit. c. 1. de sent. & re jud. n. 6. De concubinario occulto satis conveniunt DD. quod non sit suspensus proprie, sed tantum eo modo suspensus, quo quilibet in peccato mortali existens usque dum peniteat. c. fin. de cohab. Cler. & mul. At vero de concubinario notorio (qui scilicet talis est per confessionem factam in judicio, sententiam, aut evidentiâ rei, quæ nulla potest tergiversatione celari d. c. fin.) magna est dissensio apud Garc. de benef. p. 7. c. 14. n. 11. & segg. Sane consuetudine, quæ quæ est optima legum interpres, L. si de interpretation. ff. de ll. videtur recepta sententia Covar. in rol. Clem. si furiosus p. 1. §. 1. n. 5. Innoc. Spec. & aliorum, quod Canones qui de suspensione concubinarij notorii loquuntur, sint intelligendi de suspensione impropria seu de simplici prohibitione celebrandi divina, non autem de ea, quæ sit censura, & cujus transgressio irregularitatem inducat. quia nec antiqui Canones, nec Concilium Trid. unquam de tali irregularitate mentionem faciunt, quamvis dum talibus Clericis celebrationem interdicunt, supponant eos sapius celebrare. multo minus in praxi videmus, quod Clerici concubinarij post penitentiam dispensationem super irregularitate à S. Pontifice petant, imo in c. si qui sunt. dist. 81. & c. fin. de cohab. Cler. & mul. satis insinuat, quod post penitentiam & concubinae expulsionem hoc ipso alicuius celebrandi restituitur, neque ibi dispensatio super irregularitate requiritur. Porro non est insolitum in nostro jure, ut suspensio non semper sit censura, sed aliquando tantum de simplici prohibitione celebrandi accipiatur: ita enim in c. dilecta. major. & obed. dicitur, quod Abbatisa possit suos Clericos ab officio beneficioque suspendere, quod profecto de censura intelligi non potest, cum ea pertineat ad claves Ecclesiæ, quæ fœminis traditæ non sunt, sicut nec B. Virgini licet esset di-

gnior omnibus Apostolis. c. nova. de pœnit. & remiss. Gl. in d. dilecta.

Præterea statuitur in SS. Canonibus, quod Clericus notorie concubinarium in divinis officiis vitandus sit, neque licite ab eo sacra audiantur. c. nullus. & saq. d. 32. non quidem, quod ab eo Sacramenta non recte conficiantur, cum quantumcumque pollutus divina polluere non possit, quæ purgatoria cunctarum contagionum existunt. cap. vestra. 7. de cohab. Cler. & mul. sed ut per populi contemptum ad penitentiam trahatur, & aliis peccandi licentia auferatur. Attamen etiam hic cum pluribus censet Barb. Jur. Eccles. Un. lib. 1. c. 40. m. 44. Extrav. Martin. V. ad vitanda. prodesse fidelibus, ut non teneantur evitare concubinarium notorium ante denuntiationem vel actualem suspensionem Episcopi.

Quoad scientiam in Parocho requisitam, optandum quidem foret, ut non nisi optime instructi in Theologia & SS. Canonibus assumerentur: quia verò id in tenuioribus præsertim parochiis haud facile haberi potest; Ideo saltem in Parocho desideratur, ut sciat ea, quæ plebi sunt ad salutem necessaria, nempe ut sciat articulos Fidei, & Decalogum, & sufficienter sciat ea, quæ pertinent ad Sacramentorum administrationem. Sotus in 4. dist. 25. art. 4. Can. 3.

C A P U T III.

An Regulares sint capaces Beneficiorum Curatorum etiam sæcularium.

S U M M A R I A.

- 1 Beneficia regularia regularibus, secularia secularibus conferenda procedit in simplicibus.
- 2 Regularis potest fieri Episcopus Ecclesiæ secularis.
- 3 Etiam Præpositus vel Decanus Ecclesiæ Collegiatae.
- 4 Vicarius quoque generalis Episcopi.
- 5 Etiam Parochus in Ecclesiæ seculari.
- 6 Quid observandum in promotione Regularium ad parochias.

Certa quidem Regula est, quod beneficia regularia regularibus & secularia secularibus conferenda sint. cap. cum de beneficio. 5. de præb. in 6. Clem. 1. de suppl. negl. Præb. Eaque de beneficiis simplicibus Canonicatibus Cathedralium vel Collegiatarum Ecclesiarum satis recepta est, ita ut similibus Religiosi sine dispensatione (extra unionem factam Monasteriis per Episcopum ut infra c. 4. n. 5.) incapaces censentur, ut notant Barb. & DD. in c. super eo. de Regular.

Attamen quoad beneficia curata hæc regula non æque procedit. Nam in primis, si beneficia habeant Curam fori externi, eorum capaces esse Regulares, † exinde manifestum redditur, quod Religiosus etiam possit eligi in Episcopum, quamvis Ecclesia sit secularis. per tex. expressum in Clem. 1. de elect. cap. nullus Religiosus. 28. & cap. si Abbatem 38. eod. tit. in 6.

Idque complures extendunt, ut Religiosus etiam possit eligi in Prælatum seu Præpositum aut Decanum Ecclesiæ Collegiatae secularis. Gl. in cap. 2. de statu mon. in v. parochiales. Abb. in c. quod DEI timorem. de statu mon. n. ibidem Zachar. q. 7. Graffius in aur. decis. p. 2. lib. 3. cap. 2. n. 1. Azor. Instit. mor. p. 1. lib. 12. cap. 16. q. 13. Lessus de I. & I. l. 2. c. 14. dub. 12. num. 99. Sylv. v. Religio 7. q. 4. & 6.

Vicarium quoque Episcopi generalem posse esse Religiosum cum licentia sui Prælati, dummodo sit natus legitime (illegitimi enim per ingressum in Religionem legitimantur quidem quoad Ordines, sed non dignitates. c. 1. de filiis presb.) & habeat secum socium sui Ordinis, ex communi DD. sententia tradit Barb. de offic. Episc. alleg. 54. n. 12.

Quod si beneficia habeant solum curam fori interni uti Ecclesiæ Parochiales, an tunc ad ea promoveri possunt Regulares? Jam olim prolixè tractavit Gratianus in caus. 16. q. 1. ubi in primis multas auctoritates pro sententia negativa adducit, quas deinde incipiendo à c. doctos. 21. per contrarias revellit, inter quas insigne est illud decretum Bonifacii Papæ relatam in cap. sunt nonnulli. 25. ead. causa 16. q. 1. in hæc verba: Sunt nonnulli nullo dogmate subiti audacissime quidem zelo magis amaritudinis, quam dilectionis inflammati asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt & de Deo vivunt, sacerdotalis officii potentia indignos neque penitentiam neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per sacerdotalis officii divinitus sibi injun-

injunctionem potestatem, sed omnino labuntur. Neque enim B. Benedictus Monachorum Praeceptor aliusque hujus rei aliquo modo fuit interdictor: sed eos secularium negotiorum edixit exper-
tos fore tantummodo, quod quidem Apostolicis documentis, & omnium SS. Patrum institutis non solum Monachis sed etiam Canonici maxime imperatur. Nos vero tantorum Patrum instituti exemplis (quibus periculosissimum est refragari) credimus à Sacerdotibus Monachis ligandi solvendique officium Deo operante digne administrari, si eos digne contigerit hoc ministerio sublimari. & sane si cura fori externi multas curas & distractiones à vita religiosa habens annexas potest committi Religioso, vix apparet cur non etiam imò multo magis cura fori interni. Experientia quoque comprobatur, à fidelibus Laicis Sacramenta apud Religiosos multo libentius frequentari, de quorum spiritualitate & doctrina magis confidunt. In Concilio quoque Trid. sess. 23. de ref. cap. 15. & s. 25. de Reg. cap. 11. aperte supponitur Regulares posse secularibus in cura animarum praesistere. Unde communis est DD. sententia Religiosos de jure generaliter capaces esse beneficiorum secularium curatorum. & ita ob favorem curae & utilitatem spiritualium animarum, esse exceptionem ab illa regula, quod secularia beneficia tantum secularibus conferenda sint. per tex. Et Pan. in cap. quod Dei timorem. 5. de statu Monach. Less. & Azor. dd. ll. Navar. de statu Monach. conf. 11. & 12. & plures alii quos refert Tamburin. de jure Abbatum. 3. disp. 9. q. 8. nu. 4. Garc. de benef. p. 7. c. 10. n. 17. & arguitur ex Concil. Trid. sess. de ref. cap. 12. ubi specialiter de Religiosis translatis ab uno ordine ad alium decernitur, quod in Monasterio manere debeant, & omnium beneficiorum secularium etiam Curatorum incapaces sint: unde cum exceptio firmet regulam in casibus non exceptis, recte inferitur alios Religiosos non translatis beneficiorum secularium Curatorum capaces esse. Non obstat cap. 2. de statu Mon. quia ibi Concil. Later. tantum prohibet ne singuli Monachi, id est, sine socio in Parochiis habitent, & sic magis pro nobis facit. Nec etiam c. 1. de Capell. Mon. quia ad evitandam jurium correctionem explicari potest, vel de antiquo statu Monachorum, quando plerique erant Laici conversi, & pauci Sacerdotes, neque studiis eruditi, c. ex multa. de voto. & in perpetua clausura vivebant sicut Carthusiani: vel quod sine consensu Episcopi populus per Monachum regi non debeat, Glos. in eod. cap. 1.

6. Ratio autem est, quia utique non est inconveniens, ut quod Religiosi per exercitia spiritualia in Monasterio didicerunt, de eodem etiam alios instruant, juxta illud Matt. 5. Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Caelorum, & si teste Hieronymo in c. sic vive. Ec. seq. 16. q. 1. multo tempore discendum est quod postmodum doceatur, ne prius Magister esse debeat quam discipulus, eamque ob causam lata est sanctio Concil. Trid. sess. 23. de ref. c. 11. & seqq. de interstitiis temporum bonis moribus & probitate ordinandi observandis, (neque enim intra quadrantem anni intra quem hodie in Sacerdotes promoveri solent prius toti mundo immeris tam facile relinquuntur mores saeculi & vitia, & experientia docet, quam cito revertantur ad vomitum) sane non parum expectandum est à Religioso, circa doctrinam Christianam, consolationem fidelium, praesertim in mortis articulo, qui per multos annos à vitiis saeculi purgatus, nonnunquam à puero inter mera pietatis exercitia, ac sanctas meditationes enutritus est. Sunt quidem non pauci ex Recentioribus, qui dicunt, per quandam novam constitutionem Gregor. XIII. item per declarationem Cardinalium obtentum esse, ut Religiosi absque dispensatione sed. Apost. non possint ad curata beneficia secularia promoveri, ut docet Garc. Sanch. & Gonzalez apud Tambur. d. l. sed idem Tamburin. in d. q. 8. n. 11. & seqq. dictam constitutionem Gregor. XIII. nunquam fuisse usu receptam testatur, cum post eam contrarium praedicatum & per Rotam decisum, atque per Cardinales declaratum fuerit.

7. Verum generaliter circa promotionem Religiosorum ad Parochias tria sunt animadvertenda I. Ne ad Parochias exponantur illi, qui indisciplinatis moribus sunt, & in Monasterio contineri nequeunt, qui enim domus suae praesentis nescit quomodo Ecclesiae Dei diligentiam habeat? 1. ad Tim. 3. per tales enim, qui jam habita occasione qua data porta ruunt, scandalizatur Parochia, Praetorum conscientiae onerantur, Monasteriorum & Religionis fama gravatur. II. Ut ii, qui in Parochiis collocantur si fieri possit cum socio sui ordinis sint. c. 2. & 5. de statu Monach. 3. ne in perpetuum ibidem relinquuntur, sed ne nimis secularibus curis & negotiis immergantur, quandoque pro renovatione spiritus, ad Monasterium revocentur, alio interim substituto. Non tamen ideo minus Religiosus erit Parochus, quod, sicut Clericus secularis, ipse vel ejus nomine Praelatus (in quem omnis Religiosi vo-

luntas collata censetur) parochiam resignet. Optimus textus in Clem. un. vers. praemissa de suppl. neglig. Prael. ubi dicuntur constitui posse speciales Rectores Ecclesiarum & beneficiorum non ad mensam unitorum, qui possunt libere ad claustrum revocari.

C A P U T I V.

De Vicariis Parochialium Ecclesiarum.

S U M M A R I A.

- 1 Vicarii alii perpetui, alii temporales.
- 2 Vicaria perpetua est beneficium.
- 3 Institutio auctorizabilis potest praescriptione acquiri.
- 4 Quis possit erigere Vicarias.
- 5 Parochiales Ecclesiae hodie prohibentur uniri. fallit, ut ibi.
- 6 Incorporatio antiqua praesumitur facta fuisse legi me.
- 7 Notabiles declarationes Concil. Trid. s. 7. c. 7. circa potestatem Episcoporum instituendi Vicarios perpetuos in Ecclesiis uniris.
- 8 Cura animarum an sit penes Vicarium, vel exponentem?

Vicarii dicuntur qui beneficio alicui non tam suo quam alieno nomine praesunt, iique vel perpetui sunt, vel temporales.

Vicarii perpetui sunt, qui potissimum in Parochiis unitis & incorporatis Monasteriis, Collegiis, Canonicatibus aliisque piis locis per Episcopum instituuntur ad praesentationem Praelati vel Rectoris loci cui talis Parochia incorporata est. Ideoque etiam Vicaria perpetua beneficium proprie dictum est. cap. postulasti. 26. de rescript. & quae in jure de beneficiis & beneficiatis statuuntur, ceteris paribus etiam de Vicariis perpetuis accipienda sunt.

Vicarii temporales dicuntur, qui ad beneplacitum Praetorum vel Rectorum exponuntur, & deponuntur, unde & Vicarii ad nutum annuiviles vocantur. Idque conceditur cum unione beneficii pleno jure quoad spiritualia, & temporalia, ubi Episcopus non habet institutionem vel investituram, sed ad summum tantum institutionem auctorizabilem sive approbationem quoad curam animarum, juxta Trid. sess. 23. cap. 15. & s. 25. de Reg. cap. 11. nisi & haec ipsa approbatio vi privilegii aut praescriptionis ad inferiores Praelatos pertineat. Par. norm. in c. cum non liceat. circa fin. de praescript. Barb. de offic. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 185. & alleg. 127.

Erectio Vicariarum de jure communi quidem, cum ex potestate univrsali dependeat, non tantum S. Pontifici sed etiam Episcopo competit, qui regulariter omnia beneficia suae Diocesis inter se vel cum aliis piis locis ex rationabili causa & saltem cum consensu Capituli unire potest, c. sicut unire de excess. Prael. ¶ At in Concil. Trid. sess. 24. de ref. cap. 13. prohibetur, ne parochiales Ecclesiae uniantur dignitatibus vel praebendis Ecclesiae Cathedralis aliisque beneficiis vel piis locis. Nihilominus etiam stante hac constitutione Trid. facere potest Episcopus uniones parochiarum pro fundatione, dotatione, augmento vel conservatione Collegiorum, Monasteriorum & aliorum piorum locorum ad fidei Catholicae defensionem, bonarumque artium cultum, ut post Gonz. gl. 5. §. 7. n. 46. tradit Barb. in collect. ad d. loc. Trid. & Jur. Eccles. univrs. l. 3. c. 16. n. 34. non est tamen dubitandum, quin consuetudine aut praescriptione jus antiquum retineri aut recuperari poterit, secundum vulgata consuetudinis jura, quae potestatem habet leges humanas vel abrogandi & antiquandi, vel abrogatas & antiquas renovandi, aut novas inducendi. prout Interpp. passim ad tit. de consuetudin. exponunt, sed & in beneficiis simplicibus vel curam tantum habituales habentibus nihil immutatum legitur, Barb. ad d. loc. Trid. n. 10. sicut ergo olim, etiam secularia, potuit Episcopus loco Religioso unire. Joan. Hon. ad rit. decret. de praeb. p. 4. n. 63. ita etiam hodie; exceptio enim Tridentini tantum de Parochialibus Ecclesiis firmat regulam in aliis Ecclesiis non exceptis, neque plus censetur de jure veteri mutatum quam expressum. L. praecipimus 32. §. 6. C. de appellat.

Potest etiam hic adnotari, si in antiquis litteris incorporationis non sit expressus consensus Capituli, non tamen invalida debeat reputari incorporatio, cum enim ex diuturnitate temporis omnia praesumantur legitime acta fuisse. Dec. & alii in l. 1. C. qui admittit. Bald. Vol. 2. Conf. 511. recte

rectè etiam hoc casu præsumi potest, vel consensum intervenisse, vel Episcopum consuetudine aut præscriptione non requirendi consensum contra Capitulum munitum fuisse.

Porrò in Concilio Tridentino *sess. 7. de reform. cap. 7.* potestas datur Episcopis, in beneficiis curatis, quæ Cathedralibus vel aliis Ecclesiis aut Monasteriis unita sunt, ponendi Vicarium perpetuum, cum tertiæ partis fructuum aut majoris vel minoris arbitrio ipsorum Ordinariorum portionis assignatione. Verùm circa hanc Concilii constitutionem.

Not. est I. Non esse Episcopum pro suo libitu, absque iusta & necessaria causa instituire Vicarium perpetuum, maximè si per talem institutionem turbaretur bonum pacis, & lites subnascerentur, alias dabitur appellatio contra Episcopum, *Garc. de benef. p. 11. c. 2. n. 8. Sanch. in præcepto Decal. to. 2. lib. 7. cap. 29. n. 191.*

Not. II. Ex vi hujus decreti non posse Episcopum deputare Vicarium perpetuum, quando unio facta est per viam pacis & concordie à Sed. Apoll. approbatæ cum clausula de ferviendi beneficio per Vicarium ad nutum amovibilem, quia ex clausula derogatoria in d. decreto Concilii posita non derogatur pacis, quæ specialem mentionem requirunt, *Sanch. d. l.*

Not. III. Quòd neque in illis locis possit institui Vicarius perpetuus, ubi ab immemoriali tempore per Vicarium ad nutum amovibilem deserviri solitum fuit, ut iterum docet *Sanch. d. l. & Barb. in Collect. ad d. l. 1. rid. n. 16.*

Not. IV. Neque in Parochiis Monasteriis incorporatis, ubi per regularem deservitur, posse poni Vicarium perpetuum, juxta Bullam Pii V. *ad exequendum §. 5.* de qua etiam testatur *Barb. c. l. n. 17.* Vel enim Episcopus deberet ibidem exponere pro Vicario perpetuo Clericum sæcularem, vel regularem; non primam, quia privaret Monasterium suo jure quod habet exponendi Religiosos, qualem potestatem privandi nec Concil. nec alii Canones Episcopo tribuunt. Non secundum, quia non potest Episcopus nec debet Religiosum ab obedientia, & revocatione sui Prælati absolvere. Quod etiam Papa non facit, *cap. ad nostram, cap. porrecta de confir. unil.*

Not. V. Ne Episcopi abutantur potestate sua in assignanda congrua portione Vicariis, idè post Concilium constitutum esse à Pio V. in d. Bulla ad exequendum, quòd cujuscunque valoris vel oneris parochia fuerit, non debeat Vicario pro sua portione major quàm centum, nec minor quàm 50 scutorum annuorum summa computatis omnibus obventionibus assignari, nisi prius Vicarius majorem portionem percipere solitus fuerit.

Quæri etiam posset penes quem sit cura animarum in unitis Ecclesiis, an penes Vicarium, vel Rectorem loci cui unita est Ecclesia, vel penes utrumque? *R.* Distinguendum esse inter Vicarios perpetuos & temporales, nam in Vicarios perpetuos censetur tota cura translata, adeò ut Rector loci principalis in dictam curam se ingerere audiendo ibidem confessiones, alive Sacramenta administrando, non possit. In Vicarium autem temporalem seu ad nutum amovibilem tantummodo exercitium curæ transfertur, & ipsa cura adhuc penes Rectorem loci principalis residet, & si per eum exerceatur, intelligitur Vicarius tantisper revocatus, *Barb. de Parocho p. 1. c. 1. n. 53.*

Alia quædam de Parochiis incorporatis Monasteriis tradita sunt in libell. de Privil. Monaster. *priv. 46.*

C A P U T V.

De Obligatione, quæ incumbit Parocho residendi in sua Parochia.

S U M M A R I A.

- 1 Ad residentiam de jure divino obligantur habentes curam animarum.
- 2 Sine licentia Episcopi & relicto Vicario ab Episcopo approbato Parocho abesse non possunt, secus facientes perdunt fructus.
- 3 Controversa, an Parocho per duos menses abesse sine licentia possit.
- 4 Negativa verior.
- 5 Hæc non potest amplius Episcopus dare licentiam, ut Parocho absit studiorum causa.

Man. Paroch. r. P. Ludw. Engel.

- 6 Consuetudo, ut Parocho notabili tempore ultra duos menses abesse, est corruptela.
- 7 Quid possit consuetudo circa residentiam Parochorum.
- 8 In necessitate repentina quid faciendum Parocho.
- 9 Non sufficit Parochum esse presentem si nunquam per se ipsum Sacramenta & curam administraret.
- 10 Parocho qui totam curam per suos Cooperatores exercet, tenetur ad restitutionem fructuum, arbitrio tamen boni viri.
- 11 Pestis non excusat à residentia.
- 12 Excusat tamen ab administratione Sacramentorum, si idoneus Vicarius substituat.
- 13 Regula quedam notabilis observanda ab administrantibus Sacramenta pestiferis.
- 14 Qualiter residere tenetur, qui Canonatum cum parochia habet.
- 15 Quis possit remittere obligationem residentie?

Omnium illorum, qui curam animarum gerunt, residentiam instantissimè urget Concil. Trid. *sess. 6. de reform. c. 1. & 2. & sess. 23. c. 1.* Præcepto enim divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa (verbis utitur Concil. *d. sess. 23.*) oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab eis præstari & impleri possunt, qui grægi suo non insigilant, neque assistunt, sed more mercenariorum desierunt, &c.

In specie autem de Parochis seu curatis inferioribus statuit Concil. *d. sess. 23. cap. 1.* *§. eodem omnino*, ut quandocunque eos causa prius per Episcopum cognita, & probata abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquunt, discedendi autem licentiam in scriptis, gratificque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa non obtineant. Pœna quoque, quam idem Concil. in dict. *cap. 1. §. si quis autem*, contra Episcopos non observantes illud decretum constituit, statim in seq. *§. eodem omnino* ad curatos inferiores extendit, itaut & isti præter mortalis peccati reatum, pro rata temporis absentia fructus suos non faciant, nec iura conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi retinere possint, sed teneantur fabricæ Ecclesiarum aut pauperibus loci erogare, &c. quòd si major fuerit contumacia, liberum erit Episcopo per censuras, ut subtractionem fructuum etiam usque ad privationem procedere, *dict. sess. 23. cap. 1.* Porrò ex allegatis Concilii textibus.

Quæri I. Utrum Parocho saltem per duos menses in anno possit abesse sine licentia Superioris, sicut concessum est Episcopis & Canonicis in eodem *sess. 23. cap. 1.* Non est paucorum sententia cum Navar. *in man. cap. 25. sub num. 121.* constitutionem Concilii ita intelligendam esse, quòd Parocho si ultra duos menses abesse velit licentiam Superioris impetrare debeat, cæterum per duos menses singulis annis ex aliqua causa, quæ ipsi Parocho bona fide iusta videtur, sine licentia abesse possit. Tum quòd Concil. *d. l. in §. eodem omnino*, inter obligationem residendi, quæ est in Parochis, comparisonem faciat, tum etiam quòd id de jure antiquo licuerit, *ex c. præsentium 7. q. 1.*

Alii contra censentes illam comparisonem inter residentiam Episcoporum & Curatorum tantum quoad pœnas factam, negant, Parochum unquam sine licentia discedere posse, pro quibus melius facit text. Concilii, qui vult à Parochis licentiam exigi, quandocunque eos abesse contigerit, & mox subjungit, quòd nec cum licentia Episcopi debeant ultra duos menses nisi ex gravi causa abesse, atque hanc posteriorem sententiam confirmavit declaratio Card. apud Garz. *de benef. p. 3. c. 2. nu. 23.* & quidem sub eo rigore, ut nec per hebdomadam liceat parocho sine obtenta licentia abesse, quod verò *authoritate d. cap. præsentium*, dicitur, de jure antiquo licitum fuisse absentiam duorum mensium sine licentia Episcopi, rectè negari potest *ex cap. si quis in Clerico 7. q. 1. & c. rotarum 4. de Cler. non resid.* Unde in *d. c. præsentium*, nil aliud disponitur, quàm quòd ob absentiam duorum mensium subexistente causa ægritudinis aliquis beneficio privati non debeat: nihil autem ibidem dicitur, quòd Parocho sine licentia ad duos menses discedere possit, videatur *Garc. d. c. 2. nu. 19. & seqq. Barb. de Offic. Par. p. 1. c. 8. n. 58. & seqq.*

Præterea quamvis olim Parocho cum licentia Episcopi poterint studiorum causa etiam per septem annos abesse, *cap. cum ex eo 34. de elect. in 6.* hodie tamen post dict. decretum Concil. Trid. id non amplius per Episcopum rectè concedi à S. Congregatione Cardinalium decimus refert *Gonzal. ad reg. 8. cancell. Gloss. 6. nu. 351. Barb. in collect. ad d. c. 1. Trid. sess. 23. nu. 55.*

6 *Quer. II.* Utrum consuetudo alicujus loci valeat residentiam Parochorum immutare? Resp. Circa residentiam duo consideranda esse, nimirum I. Obligationem *residenti*, & II. Obligationem *petendi licentiam*, si justa causa absentiae subsit. Obligatio *residenti*, in genere, penes eos qui curam animarum gerunt, nulla consuetudine tolli potest, cum sit jure divino præcepta Concil. Trid. *sess. 23. de reform. cap. 1.* contra quod jus consuetudo nihil operatur. At verò obligatio *petendi licentiam discedendi* supposita justa causa discessus, cum sit mere jure humano pontificio introducta, absolute quidem loquendo per contrariam consuetudinem tolli potest; si tamen ex tali consuetudine liceret Parocho notabili tempore ultra duos menses abesse sine licentia Superioris, illa (*just. text. in Concil. Trid. dist. cap. 1. §. eodem omnino*) corruptela, & consequenter invalida foret propter multa inconvenientia, quæ inde nascerentur. Nam Parochi nulla petita licentia ab Episcopo nullum etiam ab eodem sui loco peterent Vicarium, & sic persæpè cuicumque obviam curam animarum per longius tempus cum multis periculis committerent. Deinde successu temporis eò res deveniret, ut Parochi non tantum sine licentia, sed multoties etiam sine justa causa oves suas desererent, & mercenariis committerent.

7 Sed ut consuetudine licitum sit Parochis per unam vel alteram hebdomadam ex justa, & rationabili causa, & sine periculo damnificandi gregem substituto interea idoneo Vicario abesse, non improbare audeo, maximè si propter distantiam loci difficilis ad Episcopum aditus pro obtinenda licentia habeatur, & ad modicum tempus 6. vel 7. dierum substitui posse Vicarium pro suo arbitrio etiam sine præscitu Episcopi vel vicinum Parochum ex recepta consuetudine tradit Barb. *de Parocho par. 1. cap. 8. num. 52.* Imò amplius dico, si de consuetudine in aliquo loco Parochi etiam per duos menses continuo abessent ex justa tamen causa, posset satis tolerari, quia per talem consuetudinem videretur declarata illa controversia, quam in priori quæstione tradidi. Constat enim, quòd in dubio jure optima legum interpret sit Consuetudo *l. si interpretatio. 37. ff. de LL. consentit Laym. in Theol. mor. lib. 4. tit. 2. c. 6. n. 7.*

8 *Quer. III.* Quid faciendum Parocho, si necessitas tam repentina sit, ut pro obtinenda licentia Episcopum nequeat adire? R. Parochum debere post discessum suum, quàmprimum potest Episcopum de causa absentiae certiorare, ut is de justitia causa cognoscere, & tempus revertendi determinare possit, *Garc. de benef. p. 3. c. 2. n. 34.*

9 *Quer. IV.* An Parochus satisfaciat suæ obligationi, si quidem in Parochia præsens, sed omnia per suos Capellanos exerceat? R. Parochum teneri saltem aliquoties, & maximè si Parochiani ipsum in specie petierint per semetipsum curam, & Sacramenta administrare, *cap. relatum 4. de Cler. non resid. cap. extirpanda 30. quia verò de præb. Cum enim Parochus pro animabus sibi commissis rationem reddere teneatur, sanè ipsemet experiri debet, qualiter in via salutis instruat sint. Unde notanter Joan. Sanch. in Sol. disp. 47. num. 7. Hinc inferes, pro dolor! inquit, quàm malè aliqui Parochi se gerant, Sacramenta nunquam aut fermè nunquam administrantes, & suarum ovium curam mercenariis committentes, qui cum ut plurimum Sacerdotes inopes, & egentis sint, timeri non imprudenter potius rationem habituros quærendi ab ovibus videtur, quàm curam medendi infirmitatibus animæ, complacere eis studentes, quando respuenda & reprehensionis gladio feriendæ, &c.*

10 *Quer. V.* An Parochus ad restitutionem teneatur, si totam curam per Cooperatores exerceat? Negativè respondet *Garc. de benef. par. 2. cap. 2. num. 53.* eò quòd in jure cautum non reperiatur, penalia verò extendenda non sint. Contrarium tenet *Sylv. v. Residentia num. 1. & 6. Joan. Sanch. d. l. num. 6. Jac. de Graf. in decis. aur. l. 2. cap. 92. num. 5.* nam ex horum doctrina non intelligitur residere, nisi qui Sacramenta administrat, cum verba accipiendæ sint cum effectu. Ego hanc posteriorem sententiam judico verbis (*cap. 4. de Cler. non resid. & Cov. Trid. sess. 23. cap. 1.*) menti ac rationi legis esse conformiorem, & propterea amplectendam, sub hac tamen moderatione: ut ex sola residentia personali, præcisa ab administratione, credam Parochum saltem medietatem fructuum lucrari, quia experientia constat, quòd Parochiani ex soli etiam præsentia personali magnam utilitatem percipiunt, dum in quacunque necessitate recursum ad Parochum habent, & Sacramenta per Capellanos præsentem Parocho ipsis diligentius administrantur. Præterea in illa parte fructuum, quæ restituenda est, judico intervenire debere arbitrium boni viri, ut plus vel minus pro qualitate & gravitate negligentiae restituatur; Imò non dubitaverim,

quandoque Parochum etiam rariùs per se administrantem Sacramenta, ad nullam restitutionem teneri, si reverà compariat suos Parochianos sufficienter, & fortè melius per Capellanos, quàm per se ipsum instrui.

Quer. VI. An causa grassantis contagionis excuset Parochum à residentia? Negativè fuisse decisum instante Sancto Carolo Borromæo licet Parochus pestem fugiens alios idoneos Ministros sui loco substituere vellet, ex Selva refert Barb. *in d. c. 1. Trid. sess. 23. num. 60.* quia utique in calamitoso illo statu Parochiani ex præsentia proprii Parochi magnam consolationem habent; is enim cum optimè noscat conditionem suorum subditorum, sine dubio in quotidianis occurrentiis tum circa Sacramentorum administrationem, tum circa alias necessitates repentinas melius per se vel per alium disponenda disponere poterit, quàm si ipso absente novus Vicarius ad tam quotidiana pericula constitueretur. Illud nimis durum esset dicere, quòd Parochus eòsque obligeatur, ut etiam per se ipsum Sacramenta tempore pestis administrare teneatur, si idoneum Vicarium vel aliquos viros Religiosos habere possit. Non enim videtur mens fuisse Concilii, ut Parochus, qui fortè multum est utique Parochiæ, cogatur sine necessitate præsentissimum vitæ periculum subire: dico, sine necessitate, nam si Parochus alios per quos administrare habere non possit, tenebitur tanquam bonus pastor vitam suam corporalem, pro vita spirituali ovium sibi commissarum exponere.

Sed advertendum est Parocho, ut tempore pestis in administrandis Sacramentis cautè se gerat, ne ex ipsius præmaturo obitu plures alii spirituale damnum patiantur. Quare in eum finem aliquas bonas regulas ex Consiliis Medicorum & Theologorum collectas Parochis & Confessariis pestiferorum tradidit Hen. Manigatt. *in suis floribus selectis ad fin.* quarum potiores pro utilitate aliorum, quibus is libellus forsitan incognitus est, hic subnotare volui.

I. Curandum ut ex præscripto Medici bona præservativa ad manum habeantur.

II. Tempore pestis non utendum longa veste quæ protendatur infra genua, nec quæ sit ex materia pilosa, ad quam venenum faciliùs recipitur.

III. Non visitentur ægroti in cænâ, vel saltem non nisi sumpto jentaculo. Si necessitas urgeat jejuno stomacho ægrum adire (quia is morbus dilationem non patitur, nocet parvula mora) apponatur ad nares parùm Theriacæ, strophilium aceto unctum vel aliud præservativum applicetur.

IV. Cauterium à chirurgo factum & Medici experientia, optimum esse præservativum docent.

V. Confessarius audiat ægrum à longè, & si fieri potest, curet ut accedat ad fenestram, vel ad portam, aut ad hortum, & semper stet ab illa parte, ubi ventus fiat versus ægrum.

VI. Si æger non possit se movere, & pastor seu Confessarius domum ingredi cogatur, stet quinque aut sex pedibus à lecto ægri retrò caput ipsius, jubeat ut æger vertat faciem versus aliam partem: nec moveantur tegumenta lecti: curet super lateres vel lapides accensos igne in medio cubiculo positos infundi acetum ad fumandum, & inter ipsum & ægrum sit aliquis ignis vel carbones accensi; caveat autem ut nunquam stet inter ignem & ægrum.

VII. Si æger non possit altè loqui, sed Confessarius debeat propè accedere, & ita se majori periculo exponere, non erit necesse, ut omnia peccata audiat, sed potest rogare ægrum, ut statim de uno vel altero peccato in particulari & de omnibus aliis in genere se accuset, quia in tanto periculo non requiritur confessio materialiter integra.

VIII. Si plures jaceant in eodem cubiculo ægroti, qui propter instans mortis periculum singuli separatim confiteri non possint, debent omnes simul absolvi (sicut etiam fit in consilio vel naufragio) forma plurali: *Ego vos absolvo, &c.* dummodo singuli unum vel alterum peccatum palam confiteantur, quòd sine scandalo vel notabili sui infamia confiteri possunt, vel si nullum in specie exprimere valeant, generalem Confessionem faciant aut signa penitentiae edant.

IX. Confessarius recedens à pestiferis purget se & vestimenta sua, Albam quoque & Stolum & corporale per ignem & fumum aliquem, vel per aspersionem & lotionem aquæ frigida, quæ veneno plurimum inimica dicitur.

X. Pro cautela Parochorum placuit adscribere verba Pauli Laym. *lib. 2. tract. 3. cap. 3. num. 3.* quæ etiam habentur apud Joan. Major. *in 4. dist. 23. qu. 1. Barb. de Parocho. par. 2. cap. 17. num. 15.* Cavere, inquiunt, debet Parochus, ne dum pestis tempore unius non graviter indigentis, spirituali utilitati consulere intendit, plures alii ex ipsis, occubitu graviorem jacturam spirituales patiantur. Quare

Quare si scilicet sit, non facile debet cum vitæ suæ periculo sacramenta, quæ non admodum necessaria sunt, vel secundum se, ut extrema Unctio (quæ qualiter tempore pestis conferenda sit dicam ipse infra in cap. de Extrema Unct.) vel respectu personarum, quarum bonum statum Confessarius probabiliter cognovimus, quia nuper earum confessiones exceperat. Denique quotiescumque ab aliqua persona, quam verisimilibus conjecturis Sacerdos credit non habere conscientiam peccati mortalis, vel per contritionem rectè ad moriendum dispositam esse, probabilissimè timetur periculum contagionis, in tali casu magis bonum publicæ necessitatis præferendum privatæ alicuius utilitati.

14 *Quer. VII.* Qualiter residere teneatur, qui præter canonicatum Cathedralis Ecclesiæ etiam Parochiam obtineat? Resp. Nisi simul legitime obtentum sit, ut in Parochia per Vicarium deferviat, personalis residentia faciendâ erit in Parochia ob favorem curæ animarum, *constit. Pii Quinti cupientis*; & Canonicus taliter curam exercens, habebitur præsentem etiam quoad distributiones quotidianas, *Trid. sess. 22. de reform. c. 3.* si tamen Parochia fuerit Canonicatui unita; si autem ex dispensatione (quæ utpotè contra jus est strictioris interpretationis) acquisita, habebitur Canonicus curam exercens solum pro præsentem quoad fructus annuos, non distributiones, *d. Bull. cupientis, Barb. de offic. Episc. alleg. 53. nu. 127. Garc. de benef. p. 3. cap. 2. n. 179.*

15 *Quer. VIII.* Cum residentia curatorum de jure divino sit, quomodo relaxari valeat? Resp. esse tantum juris divini in thesi & regulariter, in hypothesei verò & singulis circumstantiis frequenter dari hæc regula exceptionem, si modò per idoneum Vicarium curæ provideatur? & quidem circa absentiam perpetuam vel diuturnam, exceptionem legitimam declarare ad S. Pontif. pertinet, circa brevem v. g. aliquot mensium, etiam ad Episcopum, vide *Laym. in Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 6.*

est. Eamque restitutionem hoc modo fieri debere declaravit Pius V. ut si aliquis totum Breviarium omiserit, teneatur ad restitutionem omnium fructuum, qui si singulis diebus dividerentur, proportionaliter pro una die cederent: si verò omiserit Matutinum, teneatur ad dimidiam partem unius diei, si alias omnes horas præter matutinum, ad alteram dimidiam, si unam tantum horam, ad sextam partem fructuum restituendam. Sed

Quer. I. An sub hac dispositione, & distributione Pii V. etiam Parochi comprehendantur, ut si per unum diem Breviarium non oraverint, teneantur ad omnes fructus illius diei restituendos, vel potius possint sibi aliquam partem propter onera Parochialia retinere?

Plerique ob textus generalitatem inter Parochos, & alios beneficiatos non distinguunt, *Azor. Instit. mor. par. 1. lib. 10. cap. 14. quest. 5. Barb. de Offic. Paroch. par. 1. cap. 10. num. 32. Suarez de Hor. Canon. cap. 30. num. 6.* Verum non desunt alii celebres Authores, qui magis æquitatem considerant, censentes quòd illa verba, *omnes fructus*, in Parochis (imò etiam in aliis beneficiatis, quibus onus residendi, dicendi Missas, &c. incumbit) limitari possint ad omnes fructus correspondentes Breviario. † Nam fructus non tantum deberi existimant propter Horas Canonicas, sed potius propter onera alia, præsertim verò Parochialia Sacramentorum administrationem, idèque restitutionem eorum propter non oratum Breviarium debere fieri proportionaliter arbitrio boni, & prudentis viri, ita ut duas partes fructuum possit Parochus computare pro labore Parochiali, & unam pro Horis Canonicis: & consequenter si verbi gratia portio reddituum Parochialium unius diei fortè sint 3. floreni, propter totum Breviarium omissum tantum teneatur unum florenum restituere, cujus opinionis sunt Lopez, Toletus, Sa, Sanchez, & alii cc. à *Barbof. dict. cap. 10. num. 33.* Ego hæc posteriore sententiam magna æquitate nixam satis tutè practicari posse opinor, secundum vulgatas juris regulas, † quòd æquitas sit rigori juris præferenda, si salva ratione recti sermonis lex aliqua ex bono & equo interpretationem recipere possit. *L. placuit C. de judiciis, Facin. lib. 1. cap. 3.* Maxime in penalibus & odiosis, in quibus semper benignior est interpretatio faciendâ, ut *pena potius molliantur, quàm exasperentur, L. ponit. ff. de pen. c. odia, & cap. in penis de reg. jur. in 6.*

Quer. II. Quandonam incipiat obligatio restituendi propter non oratum Breviarium? Resp. Primum post sex menses numerandos à die adepti Beneficij, sicut in d. Bulla Leonis expressè habetur, & in Bulla Pii V. nihil hac in parte immutatur, sed solum declaratur, quòd per primos sex menses non orans Breviarium sine justo impedimento graviter peccat. Licet autem Sotus apud *Navar. de oratione c. 21. num. 60.* videatur dubitare, utrum Pontifex potuerit tanto tempore non orantibus Breviarium restitutionem relaxare? nihilominus cum eodem *Navar.* rectius hic scrupulus rejicitur, cum oratio Breviarii, & propter ejus omissionem consequens restitutio tantum Jure humano introducta sit, quòd S. Pontifex pro suo arbitrio vel omnino renittere vel certo modo temperare potest. In illis tamen beneficiis, in quibus fundator obligavit beneficiatum ad recitandas quotidie Hor. Canon. procedere potest opinio Soti, ut etiam primis sex mensibus nascatur obligatio restituendi, quia in talibus beneficiis obligatio orandi Breviarium descendit ex Jure naturali, & etiam omittens peccat contra justitiam commutativam tanquam stipendiarius, qui non facit id, pro quo stipendium accipit, prout intelligendus videtur *Suarez de Hor. Canon. cap. 29. nu. 7.*

Quer. III. Qualis attentio, vel intentio requiratur ad solvendas Horas Canonicas? R. Non aliam requiri, quàm ut orans verba integrè proferat, & id faciat ex proposito tali modo Deum colendi, licet interim parum curet de intellectu verborum quæ pleraque mysticum sensum habent, & ne quidem à viris doctis satis intelliguntur. Et propterea sufficit, ut illa intentio colendi Deum virtualiter perduret, quamvis ex humana infirmitate variæ distractiones interveniant, dummodò illarum distractiones omnino voluntariæ non sint. *Paul. Laym. de orat. & Horis Canonicis, cap. 5. num. 9. & seqq.* Docent quidem aliqui magni nominis DD. ut Durandus Paludanus, S. Antoninus, Medina, Sylv. & alii cc. apud *Laym. d. cap. 5. num. 10. v. contrariam*, non requiri aliquam internam attentionem sed solum externam circa verba integrè proferenda sufficere. Verum cum leges debeant accipi secundum verisimilem intentionem legislatoris *cap. secundò 41. de appell. contra legem 29. ff. de LL. cap. fin. de reg. jur. in 6.* prior sententia utique probabilior, eò quòd non sit credibile, Ecclesiam voluisse solum illam materiam & externam prolationem verborum quacunque men-

CAPUT VI.

De Obligatione Parochi recitandi Horas Canonicas.

SUMMARI A.

- 1 Beneficiatus etiam curatus omittens Horas Canonicas teneatur ad restitutionem.
- 2 Controversia an Parochus ad omnes fructus restituendus teneatur ex omissione Breviarii.
- 3 Equior est sententia ut propter onera Parochialia possit aliquam partem deducere.
- 4 Equitas rigori Juris quando præferenda.
- 5 Beneficiatus in primis 6. mensibus omittens horas non tenetur ad restitutionem, sed tamen videtur, si obligatio orandi incumbat ex fundatione.
- 6 Qualis attentio requiratur in orando Breviario.
- 7 Sine interna attentione recitans probabiliter potest excusari a restitutione.
- 8 Qui Psalmos unius horæ interruptim dicit sine causa, peccat quidem venialiter, satisfacit tamen præcepto.
- 9 Similiter qui ex errore unum officium pro alio dicit.
- 10 Capellani Parochorum non tenentur ad restitutionem, si Breviarium omittant.
- 11 Parochus regularis quando teneatur ad restitutionem.
- 12 Quid de Vicariis perpetuis dicendum?
- 13 Quid veniat nomina pauperum & fabricæ Ecclesiæ, quibus faciendâ est restitutio.
- 14 Causæ excusantes ab oratione.
- 15 Quandonam is, qui potest partem orare, sed non totum, teneatur ad partem orandam.

Inter omnes convenit Clericos beneficiatos teneri ad solvendas Horas Canonicas, prout text. sunt in *cap. fin. dist. 92. cap. 1. de Celebr. Missar. cap. quia per ambitiosam de rescript. in 6.* Id quòd etiam de obtinentibus beneficium curatum clare expressit Leo X. in Concil. Later. in sua Bulla, quæ incipit *Superna dispositionis 5. §. 38.* Et Pius V. in illa Bulla, quæ incipit *Ex proximo, &c.*

Porro omittentem Horas Canonicas non tantum graviter peccare, sed etiam ad restitutionem fructuum pauperibus vel fabricæ beneficiorum faciendam teneri, in dd. Bullis statutum *Man. Parochor. P. Ludov. Engel.*

re vel intentione factam præcipere, quia in c. 1. de celeb. Miss. proficitur, se velle explere illud Davidis: *Septies in die laudem dixi tibi*, & illud: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi*. Ac in c. dolentes 9. de celeb. miss. præcipit, ut siuatose pariter ac devotè Horæ Canonice persolvantur. Dicente item S. Hieron. *Audiamus, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce tantum sed corde psallendum*, & S. Bened. in Reg. cap. 19. sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ. Quidquid enim sit, an actus merè internos, qui in sola animi cogitatione consistunt, Ecclesia directè percipere valeat, quod aliqui non improbabiler affirmant, quamvis ob scrupulos conscientiarum non semper expedit, nec Ecclesia ob defectum probationis transgredientes punire possit, cap. cogitationis de penis distinct. 1. potest tamen præcipere actus mixtos partim internos, & partim externos, quatenus interna præparatio animi ad operis externi moralæ perfectionem & substantiam necessaria est, v. g. intentionem consecrandi in Missa, absolvendi in pœnitentia, &c. nam homo non tantum quoad directionem externarum actionum, sed etiam quoad directionem animæ subiectus est, juxta illud Apost. ad Rom. 13. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, & paulò post: *non solum propter iram* (id est pœnam fori externi) *sed etiam propter conscientiam*.

Quar. autem IV. An ad restitutionem teneatur, qui omni interna attentione voluntariè neglecta Horas recitaverit. R. Videri quidem tali casu restitutionem pro tutiori consulendam, quia eam imponunt cum Suar. de Horis Canonice, cap. 26. num. 25. alii quoque DD. si tamen pœnitens difficulter persuaderi possit, non esset, meo iudicio, nihil urgentius. † Enim verò in proposita quæstione negativa sententia admodum probabilis est: cum Bullæ in principio hujus S. allegata tantum imponant restitutionem non dicentibus Horas Canonice, at is, qui sine intentione vel interruptim dixit non possit omnino haberi pro non dicente, alias autem odia restringenda sunt, neque peccato merè interno regulariter à jure pœna infligatur, L. cogitationis, de penis, Layman. d. cap. 5. sub num. 10. Mezir. Cod. de orat. qu. 15. & ibi Corduba lib. 4. quæst. Theol. qu. 13. circa fin. Henric. lib. 9. cap. 25. num. 5. Non obstat quod quidam in contrarium adducunt cum Suarez de Hor. Canon. cap. 26. num. 25. & seqq. videlicet omittentem internam attentionem non satisfacere præcepto, teneri ad repetitionem Breviarii, &c. nam R. Non satisfacere præcepto eo perfecto modo, quo deberet, adedque ad evitandam culpam; satisfacere autem ad evitandam restitutionem, quia non constat, quòd Ecclesia obligationem restituendi etiam ad eam partem præcepti extenderit, ex qua tenetur recitans internam attentionem adhibere. Nam & sola externa attentio non est sine omni fructu: si enim in choro psalmodia decens fiat, ædificat audientes; si privatim recitetur Breviarium, præbet saltem occasionem devotioni, & plerumque fit, ut vel incidenter interveniat bonus affectus, vel saltem piæ meditationes aut instructiones ex psalmis, & lectionibus memoriæ hæreant, & quasi præter intentionem in animum irrepant.

Quod verò de necessitate repetendi Breviarium dicitur, si interna attentio omissa sit, illud non est usquequaque certum; negant enim Medina & Corduba ec. II. sed licet concesserimus non tamen statim sequitur, quòd omittens repetitionem, teneatur ad restitutionem, vel hoc ipso quòd præcepto in quantum non dicentibus injungit restitutionem jam satisfecerit, quamvis non satisfecerit præcepto in quantum etiam vult internam attentionem adhiberi, sed id sub nulla expressa pœna vel obligatione restituendi.

Quar. V. An satisfaciatur præcepto, qui Psalmos unius Horæ interruptim recitaverit vel officium ex errore mutaverit unum pro altero dicendo? R. Quòd interruptio Psalmorum sit quidem aliqua irreverentia, & propterea peccatum, sed ex communi sententia tantum veniale, & idcirco interruptum etiam per unam vel alteram horam non tenebitur ad repetitionem, quia quilibet Psalmus continet perfectam orationem. Quòd si alicui quædam occupatio incidat, quam commode differre nequeat, interruptio planè culpabilis non erit, Less. de I & I lib. 2. cap. 37. dub. 15. num. 57. † Similiter etiam satisfecit præcepto, & ad repetitionem non tenebitur, qui unum officium præsertim ex errore pro alio dixit, quia substantia præcepti consistit in eo, ut septem Horæ Canonice quotidie dicantur, ut verò dicatur, officium v. g. de Sancto, pertinet solum ad ritum & accidentalem Ceremoniam, Less. d. c. 37. dub. 12. nu. 77. Sylv. v. Hora qu. 12.

Quar. VI. An Capellani seu Cooperatores Parochorum propter non oratum Breviarium teneantur ad aliquam restitutionem? Negandum: quia suum salarium non accipiunt

tanquam ex beneficio Ecclesiastico, sed propter personale servitium & functiones Parochiales, Suar. de Horis Canonice c. 22. n. 7.

Quar. VII. An regularis qui est Parochus teneatur ad restitutionem si Breviarium omittat? Puto distinguendum, an Parochia sit Monasterio incorporata, & eam habeat Regularis tanquam administrator, & Vicarius temporalis ad nutum superioris amovibilis, vel utrum non sit Monasterio incorporata, & eam habeat Regularis tanquam beneficium? In priori casu propterea non erit facienda restitutio, quia Regularis tantum percipit suam congruam sustentationem, & quidem non tanquam ex beneficio, sed propter administrationem Curæ, ipsum verò beneficium, ejusque fructus ratione incorporationis ad Monasterium spectare censentur; altero autem casu, Regularis est propriè beneficiatus, & consequenter, juxta naturam omnium beneficiorum, fructus non aliter percipere potest, quam cum onere recitandi Horas vel restituendi.

Quar. VIII. Utrum Clerici sæculares vel regulares, qui in Parochiis, Canonicatibus v. g. incorporatis Vicarii perpetui constituuntur, teneantur ob neglectum Breviarium ad restitutionem? Sanè de rigore affirmativa evinci potest ex eo, quòd Vicaria perpetua dicatur beneficium, cap. pestulasti 26. de rescript. attamen si congrua portio talis Vicarii sit valde tenuis respectu onerum Parochialium, quæ subire cogitur, tunc supposita illa sententia quam supra in quæstione I. tradidi, vel ad nullam vel modicam tantum restitutionem ob neglectum Breviarium tenebitur.

Quar. IX. Quid veniat nomine pauperum & fabricæ beneficiorum, quibus facienda est restitutio? R. Pauperum appellatione etiam venire Monasteria, Ecclesias, & alia pietatis opera. Nominè autem fabricæ beneficiorum non tantum venire fabricam Ecclesiæ, sed etiam domus in qua beneficiatus habitat, vel alterius domus ipsius beneficii pro fructibus colligendis & conservandis extructæ & generaliter quidquid in perpetuum fructuum beneficii augmentum infumitur, Barbosa de offic. Par. p. l. c. 10. in fin.

Quar. X. Quænam sint causæ excusantes ab oratione Breviarii & consequenter restitutione? R. Esse I. naturalem obligationem. II. infirmitatem corporalem, ex qua vel ipsa rei evidentia vel iudicio medici oratio sine magna difficultate aut corporis periculo fieri nequit. III. gravem & repentinam occupationem, quæ sine scandalo vel notabili damno proprio aut alieno intermitteri non potest. IV. dispensationem Pontificis. V. defectum Breviarii & impossibilitatem illud hic & nunc acquirendi, prout hæc causæ deducit videri possunt apud Suar. de Hor. Canon. c. 27.

C A P U T VII.

De Obligatione Parochi dicendi
Missam.

S U M M A R I A.

1. Ante Missam debet præmitti Matutinum cum Laudibus, sed non est gravis obligatio.
2. Parochus diebus festiuis tenetur Missam de præcepto, diebus autem feriatis, tantum de honestate, nisi habeat amplios redditus & sit Parochus populose civitatis.
3. Quid faciendum si populus ita numerosus sit, ut ad unam Missam convenire non possit, vel solus Parochus ad administranda Sacramenta non sufficiat.
4. Propter necessitatem moribundi potest Parochus alteram Missam eodem die celebrare, & probabiliter etiam post sumptam abluitionem.
5. Leges non extenduntur ad casus insolitos.
6. Votum non bibendi vinum, non violatur si in Missa sumatur abluio.
7. Particula consecratae reportæ post abluitionem possunt sumi.
8. An liceat aliquando sine paramentis celebrare.
9. Qualiter Parochus pro suis Parochianis Missam offerre teneatur, & an pro una Missa possit à duobus stipendium accipere.
10. Parochus ex fundatione obligatus ad plures Missas in hebdomade dicendas, si modico tempore impeditus fuerit, non tenetur illas Missas persolvere per Vicarium.
11. Parochus substituens Vicarium ad legendas Missas non tenetur ei tantum dare, quantum ipse ex fundatione percipit.

1. Post Horas Canonicas recitatas ad Missam procedere potest Parochus, ita enim habent notæ regulæ missalis, ut propter meliorem dispositionem saltem Matutinum cum Laudibus ante celebrationem præmittatur. Sed cum inter Horas Canonicas & Missam nulla sit necessaria connexio, idè illam obligationem præmittendi Horas Canonicas plerique DD. non esse gravem existimant, & contravenientem ad summum venialiter peccare, imò nullatenus peccare, si propter necessarias occupationes, aut aliam justam causam Horas commodè præmittere non possit, *Lessius de l. & l. lib. 2. cap. 37. dub. 12. num. 81.*

2. Circa Missarum lectionem obligatio incumbit Parocho, ut omnibus illis diebus, quibus Parochiani ex præcepto Ecclesiæ Missam audire debent, per se, & alium celebret, quæ est communis omnium DD. in æquitate naturali fundata, nam ideo dantur Parocho decimæ & alii fructus, ut necessaria salutis administret. Quoddè verò etiam extra dies festos Parochus Missas legere teneatur, verius est nullum præceptum extare. Interim tamen id utique maximè decens est: imò si populus in aliqua civitate sit numerosus, & Parochus habeat ampliores redditus, eundem per Episcopum cogi posse, ut sæpius in hebdomade celebret, censet *Laym. lib. 5. tr. 5. cap. 3. sub num. 2.*

3. Præterea si in aliqua Parochia populus ita numerosus sit, ut ad unam Missam convenire nequeat, vel unus Parochus administrandi Sacramentis sufficere non possit, tenebitur Parochus & per Episcopum cogi poterit, ut alios Sacerdotes sibi ad id munus rectè explendum adjungat, *Trid. sess. 21. de ref. cap. 4.* si autem Parochia fortè propter injurias belli depauperata pluribus Sacerdotibus alendis non sufficeret, licentia datur Parocho (saltem cum consensu Episcopi; ne fiat abusus) uno die duas Missas legendi; sicut etiam si ob penuriam Sacerdotum unus deberet duas Parochias administrare, ut ex *cap. consulti. de celebr. Miss.* communiter tradunt *Interpr.* in quo cap. permittitur, ut Sacerdos ex causa necessitatis uno die possit plures Missas dicere.

Porrò quia in *d. cap. consulti. si*, generaliter fit mentio necessitatis, propter ea plures casus referunt DD. in quibus sit licitum secundam Missam dicere, qui cum hodie ob numerositatem Sacerdotum parùm practicentur, idè enarrare omitto, videantur apud *Navar. in Man. cap. 25. num. 87. & 93.* inter eos casus ille est præcipuus, qui etiam notatur per *Gloss. in d. cap. consulti. si*. Si nimirum Sacerdos in Missa moneatur quoddè aliquis moribundus Viaticum desideret, nulla autem super sit Hostia consecrata: tunc enim (cum in solo pane consecrare non liceat) altera Missa dici poterit, si tamen Sacerdos ante Communionem monitus fuerit, non *Man. Parochor. P. Ludov. Engel.*

erit necessè, alteram missam incipere, sed licebit partem suæ Hostiæ ad ægrotum deferre, *Sæ verb. Eucharistia num. 15.* Notant autem DD. communiter, quoddè Sacerdos duas Missas dicturus, in prima non debeat fumere abluitionem, quoddè etiam diligenter advertendum est Sacerdoti, si prævideat sibi imminere necessitatem duas Missas legendi. Interim multum probabile censeo, saltem probabilitate intrinseca à ratione desumpta *cap. 4. de reform.* (neque enim semper ex multitudinis auctorum quoddè melius judicandum l. 1. §. 6. C. de vet. Jur. encl.) etiam post sumptam abluitionem licitè secundam Missam dici si v. gratia Parochus duas Parochias administrans in prima Missa per errorem sumpsit abluitionem, & alteram Missam propter festum, & concursum populi absque magno scandalo omittere non possit: Item si unus vel plures moribundi Viaticum desiderarent, eò quoddè præceptum Ecclesiæ, ne Sacerdos non jejunos celebret non videatur in casibus tam extraordinariis cum detrimento aut scandalo fidelium obligare. † *Ex his enim que fortè uno aliquo casu accidere possunt, Jura non constituuntur, nam ad ea potius debet aptari Jus, que frequenter, & faciliè, quam que raro eveniunt.* Verba sunt l. 4. & 5. ff. de LL. sicut ita si Sacerdos in introitu recorderetur se jejunum non esse, Missam continuare potest. Et plurimum facit ad mitigandum rigorem legis, quoddè sola abluitione sumpta Sacerdos adhuc moraliter, & communi hominum acceptione jejunos reputetur, adeoque si iteratè celebret, minor irreverentia subit, quam si aliud quid per modum cibi sumpsisset. Quemadmodum in simili 6 Sacerdos vovens non bibere vinum, servat votum, tamen si in Missa sumat abluitionem, *Barb. in c. ex parte de celebr. Miss.* † Et propius ad nostrum propositum, Sacerdos post sumptam abluitionem reperiens particulas, etiam quas scit consecratas, ex recepta sententia eas fumere potest: quamvis autem id dicatur fieri ex eo, quoddè censetur talis sumptio pertinere ad idem sacrificium, nihilominus verè sumitur Corpus Domini post abluitionem, & quidem sine gravi causa, cum illæ particule possent reponi in aliqua Capsa vel Ciborio. Sanè si licet mihi Corpus Domini fumere post abluitionem in prima Missa sine irreverentia, vix adferri potest, cur non etiam ex gravi causa in secunda, cum supposita iusta causa secunda Missa de se non ponat novam irreverentiam, alias nec etiam a jejuniis inchoari posset.

Verè quidem est, quoddè Viaticum non sit simpliciter necessarium ad salutem, maximum tamen fructum confert animæ, quo etiam privare admodum durum est. Item Parochiani cæteri multum scandalizantur & in Parochum odio exardescunt, si aliquem patiatur sine Viatico decedere, an non ergò expedit hæc evitare quam prohibere Sacerdotem post abluitionem (quæ plerumque non advertitur à plebe) celebrare, quod iure divino non est prohibitum & iure humano in similibus circumstantiis non expressum.

Dices, ex hoc sequi, quoddè in propositis casibus liceret etiam sine vestibus sacris & aliis paramentis celebrare, quia & hæc iure tantum Ecclesiastico statuta sunt? R. Esse disparitatem, quia defectus vestium & paramentorum est excusatio publica, & potius scandalizaretur populus in celebratione Missæ sine paramentis, quam in ejus omissione: sumptio autem abluitionis plerumque contingit vel ignorante, vel non advertente populo, ut nihil dicamus, præceptum de vestibus sacris saltem originaliter & in veteri testamento fuisse juris divini & propter reverentiam Sacrificio debitam, videri adhuc aliqualem rationem moralitatis retinere, idè quæ gravis obligare. Deinde ex gravi causa licere Missam celebrare sine stola, vel manipulo, sine ministro, sine Crucifixo, cum uno tantum lumine etiam quod non sit ex cera, & in casu gravissimæ necessitatis v. g. ob mortis periculum (dummodo non vertatur in contemptum Fidei) licere etiam in communi & profano vestitu celebrare, tradit *Laym. in Theolog. mor. lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 17.*

Quod ad applicationem sacrificii Missæ attinet, ratio naturalis dicitur, & in *Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. in princ.* satis insinuat, quoddè Parochi pro suis ovibus sacrificium Missæ offerre teneantur, attamen id non eo sensu accipiendum est, quoddè semper totum sacrificium Missæ principaliter pro subditis offerendum sit, & nunquam possit Parochus secundum aiam intentionem celebrare: sed sufficere, si secundariò suarum ovium meminerit, & quandoque arbitrio boni viri principale intentionem pro eisdem faciat, *Barb. de Offic. Paroch. p. 1. cap. 1. num. 10.*

Alia est ratio, si quidam ex Parochianis speciale stipendium Parocho offerant, ut pro se Missam faciat; tunc enim acceptans tale stipendium tenebitur ex iustitia secundum eorum intentionem celebrare, & quidem si Parochus sumpti propter acceptum stipendium obligatus sit, vel ex fundatio-

datione v. g. Anniversarii jam habeat necesse secundum certam intentionem celebrare, non poterit eodem die ab alio stipendium pro Missa accipere, & ita una Missa duobus satisfacere, nisi is qui stipendium offert hac de re certioratus vltro contentus esse velit *Laym. de Sacrif. Miss. c. 3. n. 4.*

Sed quid si Parochus ex fundatione aliqua debeat in hebdomade unam aut plures Missas dicere, is verò infirmetur annetenebitur sui loco alium Vicarium substitueret, qui illas Missas persolvat? Existimo tolerabilem esse (maximè in Parochis aliàs tenues redditus & nullum Capellanum habentibus) sententiam Petr. Navar. *lib. 2. de restit. cap. 2. num. 210.* Quòd si infirmitas, aut aliud impedimentum, brevi tempore, scilicet per unam aut alteram hebdomadam, imò etiam per mensem, sit duraturum, non sit præsumendum, quòd fundator voluerit obligare ad compensationem; quemadmodum bonus dominus non solet propter modicam ægrotudinem aut impedimentum servi, ejus mercedem deducere.

Dicit, in *L. qui operas, ff. locati*, non fit restrictio ad modicum tempus, sed simpliciter dicitur, qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, si per eum non fuerit, quo minus operas præstet, ad idem est text. in *l. 1. §. Dicitur ff. de var. & extrav. cognit. L. post duos C. de advoc. divers. Jud. 8.* Cum fidelium animarum tam defunctorum, quam vivorum interfit, ut piæ fundationes impleantur, ne divinis sacrificiis priventur, &c. ideo allegati juris textus non incongruè explicari posse videntur de locatione operarum, quæ non possunt commodè per substitutum impleri, ubi persona industria electa est, ut in Professore, artifice, &c. vel certè ubi non est in contrarium verosimilis intentio fundatorum, & æquitas ac favor animarum, quibus non debent divina officia subtrahi. † Potest hic etiam adnotari, quòd sufficiat, si Parochus substituto ad legendas Missas det congruum, & in loco consuetum stipendium verbi gratia medium florenum, quamvis ipse ex fundatione pro qualibet Missa proportionaliter plus accipiat, neque propterea reliquum habebit sine causa, sed propter illud onus, ex quo tenetur certas Missas vel per se ipsum legere vel curare, ut per alium legantur, sicut medicus vel advocatus propter solam obligationem serviendi nonnunquam accipit salarium annuum, licet dominus toto anno non indigeat. Non tamen permittitur aliis Clericis qui pro una tantum vel altera Missa stipendium accipiunt, talem negotiationem cum Missis, instituire & aliis rursus pro majori mercede elocare, *Declarat. Card. apud Barb. in collect. ad Concil. Trid. sess. 22. de sacrif. Miss. n. 6. & seq.*

CAPUT VIII.

De Obligatione Parochi prædicandi Verbum Divinum.

SUMMARI A.

- 1 Diebus festivis non debent negligere Parochi Conciones, & instructionem puerorum.
 - 2 Quid in Concionibus proponendum.
 - 3 Non tenentur hodie Parochiam Missam & Conciones diebus festivi in propria Parochia audire, videtur tamen decere, ut aliquoties in anno propriam Parochiam accedant.
- 1 Verbi divini prædicatio utique ad munus pastorale quàm maximè pertinet, idèò instanter præcipit *Concil. Trid. sess. 5. de ref. c. 2. sess. 22. de sacrif. Miss. cap. 8. & sess. 24. de ref. cap. 4.* ne saltem dominicis, & festivis diebus Conciones negligant Parochi, & ut pueros rudimenta fidei, & obedientiam erga DEUM & parentes diligenter doceant.
- 2 Porro ex eodem *Concil. Trid.* est advertendum Parochis, ut in Concionibus suis postpositis inutilibus questionibus doceant plebem cum brevitate, & facilitate sermonis, quæ scire necessaria sunt ad salutem, vitia quæ declinare, & virtutes, quas sectari oporteat. Specialiter in *d. sess. 22. cap. 8.* jubetur, ut frequenter Parochi ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, ac inter cetera sanctissimi hujus Sacrificii Mysterium aliquòd declarant. Item in decreto de purgat. *sess. 25.* mandatur Episcopis, ut sanam de purgatorio doctrinam, à SS. Patribus, & sacris Conciliis traditam a Christianis fidelibus credi, teneri, doceri, & ubique prædicari, diligenter studeant. Apud rudem verò ple-

bem difficiliore, ac subtiliore questiones, quæque ad edificationem non faciunt, & ex quibus plerumque nulla fit pietatis accessio a popularibus Concionibus secludantur. *Ancora item, vel quæ specie falsi laborant, evulgari, ac tractari non permittant.* Ea verò quæ ad curiositatem quandam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala, & fidelium offendicula prohibeant.

Cæterum licet de jure videatur requiri, ut Parochiani non alibi, quàm in sua Ecclesia parochiali Missas, & Conciones audiant, *cap. 2. de Parochiis, & Trid. in decret. de Observ. & Evit. in Missa sess. 22. & in d. sess. 24. cap. 4.* Hodie tamen per privilegia Regularium & contrariam consuetudinem passim huic juri derogatum est, ita ut parochiani satisfaciant, si alias Ecclesias, præsertim Regularium, frequenter, dummodò proprium Parochum non contemnant, *Barb. de Offic. Paroch. par. 1. cap. 1. num. 24. & seqq. & cap. 15. num. 11. & 14. in fin.* Ne autem quis censeat proprium Parochum contemnere, ratio naturalis suadere videtur, ut saltem aliquoties in anno Missas, & Conciones ejusdem audiat. Vix enim est, ut non habeatur filius contumax, qui toto anno Patrem non invisit Ovis erratica, quæ nunquam vocem proprii Pastoris exaudit, *Zyp. in Anal. Jur. Pont. in tit. de Parochiis sub num. 24.*

CAPUT IX.

De Obligatione Parochi, & Parochianorum observandi Jejunia, & Festa.

SUMMARI A.

- 1 Jejunium incidens in bacchanalia potest anticipari.
- 2 Quales cibi interditi in jejunio.
- 3 De Refectione.
- 4 De tempore refectionis.
- 5 Cause excusantes a jejunio.
- 6 Hæreticorum fides ex contemptu jejunii suspecta, comparantur dissolutis monachis.
- 7 Præceptum de observatione Festorum duplex.
- 8 Quenam dicantur opera liberalia & quæ servilia.
- 9 In quibus casibus liceat in die festo opus servile facere.
- 10 Ut opus servile in festo licitè fiat, requiritur consensus Episcopi vel saltem Parochi.
- 11 Festum incipit a media nocte, & durat usque ad mediam noctem.
- 12 Quæ cause excusent ab auditione Missæ in die festivo.
- 13 Dies festi non sunt agendi per luxum & comestiones.
- 14 Nullæ insolite imagines, miracula, aut reliquæ inconsulto Episcopo recipiendæ.

Quibus diebus jejunia servanda sint ex Calendario satis apparet: nisi quòd Episcopus ex causa jejunium transferre possit, ut si vigilia Sancti Matthiæ incidat in triduum Bacchanalium, ubi pauci fervarent jejunium, poterit id anticipari in sabbatho. *Laym. lib. 4. ar. 8. cap. 3. in fin.* Constitit autem jejunium Ecclesiasticum in 3. numerum † I In delectu ciborum, ut abstineatur à carnibus: & quidem de jure Canonum non tantum à carnibus, sed etiam lacticiis quæ trahunt fementinam originem; scil. caseo, lacte, ovis, abstinentum est, *cap. denique 6. v. par est, dist. 4.* quod tamen Germaniæ consuetudo immutavit. Imò docent *Glos. in cap. Presbyter. d. 82. & in cap. admonere, v. carnem 33. qu. 2.* Hostien. in *sum. de observ. jejun.* Sylv. v. jejunium num. 16. cum concessione lactis, & ovorum etiam lardi vel sagiminis usum concessum intelligi, cum formaliter non sit caro, nec videatur major ratio in caseo verbi gratia, quàm in sagimine, &c. verum in nostris partibus hætenus id non receptum est, nec facilè introducendum, ne paulatim in jejunii leges licentiosius peccetur. Interim monet *Paul. Layman d. l. cap. 1. numer. 5.* propter autoritatem Doctorum ex causa inopia vel alia facilis per Parochum concedi posse, ut verbi g. loco butyri lardo vel sagimine uti liceat.

II. Requisitum est, ut in die una tantum refectio fiat. Sed *Sylv. dict. l. num. 9.* circa hoc refert diuersas DD. opiniones, ex quibus plerique sentiunt, consuetudine potius universalis Ecclesiæ, quàm jure aliquo scripto plures comestio-

res in die prohiberi. Hæc porò consuetudo in plerisque locis ita temperata est, ut liceat in meridie prandium & quidem solito largius (dummodo adhuc intra fines temperantiæ) & sub vespere modicam collatiunculam sumere, cujus collatiunculæ quantitas, & qualitas, cum in iure determinata non sit, ex rationabili consuetudine consideratis locorum, & personarum plus minusve cibi indigentium circumstantiis desumenda erit, ita ut potius quærat in quantitate, & qualitate ciborum aequalis naturæ sustentatio, quam nutrimentum & satietas, *Laym. d. l. n. 9. Azor. lib. 7. c. 8. q. 7.*

4 III. Requisitum est, observare tempus refectionis, & hoc olim erat vespertinum tantum, prandio in cenam mutato, *cap. solent de consec. dist. 1. cap. post Pascha, dist. 76.* sed & hic consuetudo tempus meridianum substituit, illudque notabiliter verbi gratia per vnam alteramve horam comedendo anticipare ex causa nullum, sine causa ad summum veniale peccatum est, *Rich. in 4. dist. 15. art. 3. qu. 8. Laym. d. l. m. 11.*

5 Causæ excusantes à jejunio sunt, I. juvenilis ætas, nam ante 21. ætatis annum completum non est jejunandi obligatio, eò quod tunc corpus adolescens majori indiget nutrimento. II. Ætas senilis juxta dispositionem corporis, & virium arbitrio prudentis viri taxandam. III. Infirmetas vel debilitas corporis. IV. Labor, occupatio & refatigatio corporalis uti est in mechanicis, itinerantibus, infirmis &c. in conjugatis etiam ex continentia vel abstinentia periculum animæ aut corporis passurus.

Istæ causæ ad sumendam alteram largiorem refectionem in cibis jejunialibus ordinariè cujusque conscientiæ relinquuntur, sed ad comedendas carnes declaratio vel dispensatio Episcopi, aut eo longius distante, proprii parochi accedere debet, ne si res quolibet privato arbitrio committatur, nimis quisque partialis in propria causa judex sit, & paulatim abstinentia quadragesimalis vitia comprimens, mentem elevans, Deum placans & promerens, Christi Domini exemplo auspiciata, Ecclesiæ continuo usu & SS. Patrum doctrina confirmata è medio tollatur.

6 Sanè quoddam hæretici jejunium & jejunii meritum fastidiunt, contemnunt, ex hoc ipso fidem suam de falsitate suspectam imò & convictam faciunt, & se tantum carnalibus desideriis, & deliciis immerfos ostendunt, quot enim in veteri & nova lege jejunii exempla, *Exod. 24. 34. Deut. 9. Joel. 2. Math. 4. & 6. 17. Marc. 2. ad Roman. 13. 1. ad Corin. 7. 2. ad Cor. 6. Ephes. 5. Thess. 5. Tit. 2. Act. 13. 22.* Quomodo gloriantur se Biblicos, & Evangelicos, si omnia illa consilia Evangelica, quæ in mortificationem corporis tendunt *1. Cor. 9. in fin. ad Coloss. 3. ad Gal. 5.* angue pejus abhorrent, certè si secundum carnem vixerimus moriemur, si autem spiritu facta carnis mortificaverimus vivemus, *ad Rom. 8* non sufficit exemplo diaboli *Matth. 5.* legere, scire, & allegare scripturas, nisi simul observemus. Non melius mihi imaginor hæreticos in arcta via, quam ex prædicatione Christi *Matth. 7.* tenet Ecclesia Catholica, quam indisciplinatos & dissolutos Monachos in aliqua sancta religione: & non immerito, a similibus enim suam fidem didicerunt. Sed multi vocati pauci electi: Studeamus ergò ut per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus *2. Petr. 1.*

7 Præceptum de observatione Festorum est duplex, unum negativum alterum affirmativum: Negativum præceptum est, quod prohibet, ne die Festo opera servilia exercentur; Affirmativum, ut omnes fideles usum rationis habentes in festis Missam audiant, *c. 1. de ser. cap. omnes fideles & c. Missas dist. 1. de consecrat.*

Notanter dixi, ex præcepto negativo opera servilia esse prohibita, quamvis enim in veteri testamento omne opus in Sabbatho interdictum fuerit *Judæis Exod. 30. & Deuter. 5.* quia tamen illud præceptum partim fuit morale, partim ceremoniale (ceremoniale autem veteris testamenti per adventum Christi exspiravit, *cap. unico de purificat. post partum*) idè per Ecclesiam ad sola opera servilia mitigatum, & restrictum fuit, *Laym. in Theol. moral. l. 4. tract. 7. cap. 1. num. 1. & cap. 2. num. 2.* † Dicuntur autem opera servilia, quæ corporis commoditatibus inserviunt, & per servos ac famulos exerceri solent, ut sunt opera rustica, & mechanica: e contra opera liberalia dicuntur illa, quæ sunt libero homine digna, & magis ad excolendum vel oblectandum animum faciunt: atque hæc sub præceptum illud negativum non cadunt, tum quod ipsum præceptum limitatur ad opera servilia, tum quod sint ignobiliora, & minus dignè cum cultu DEI conjungantur. Unde licet in die festo, studere, docere, scribere, musicam exercere, item recreationis causa pingere, venari, piscari, saltem si sine multis operis ac labore talis piscatio vel venatio fiat, *Navar. in Manual. c. 13. m. 11.*

Magn. Parochor. P. Ludov. Engel.

Mercatus autem seu nundinatio, quamvis non sit opus servile, tamen prohibetur in *c. 1. de feriis*, sed consuetudine passim contrarium obventum est, ut in certis festis præsertim in anniversario dedicationis Ecclesiæ nundinæ habeantur, quæ consuetudo ita moderanda erit, ut negotiationes non instituantur, antequam officium divinum in Ecclesia persolutum sit. Præterea iter facere pedibus, curru, equo, navi, nec opus servile, nec propriè liberale est, sed potius naturale & medium, quare & id in die festo licebit, plaustra verò aut jumenta mercibus onerare, & agere servile opus censetur, nec in die festo licebit inchoare, inchoatum autem continuare, si commodè abrumpi non possit conceditur, *Declaratio Cardinal. quam refert Barb. de offic. Episcopi alleg. 105. nu. 40.*

Aliquando tamen ex causa pietatis vel necessitatis licet etiam diebus festis opera servilia peragere, *c. fin. de feriis*. Ex causa pietatis; Si v.g. altaria ornanda, vel alia ad festivitatem paranda sint. Ex causa necessitatis; Si res ad vitam necessaria, vel tempore peritura sit, qua ratione excusantur pauperes, qui si in festis à labore abstineant se suamque familiam sustentare non possunt. Item agricolæ cum ob pluviam superventuram segetes, aut fanum congregant, vel aliud grave damnum vitandum ruri laborant. Similiter si puuperes famuli, & ancillæ diebus festis suas vestes reficiant &c. est quandoque etiam necessitas publica v.g. reficiendi fontes, pontes, piscandi certum piscium genus, quod non nisi certis anni temporibus capitur, *juxta c. licet de feriis* si paranda sint aliqua ad communem populi festivitatem v. g. in adventu Principis &c.

Sed non sufficit, ut causa pietatis aut necessitatis subsit, nisi insuper consensus Episcopi accedat, præsertim si opus servile in publico faciendum, & per longum tempus duraturum sit, ne paulatim prætextu necessitatis liberè contra festorum obligationem peccetur, *Declarat. Card. apud Barb. d. n. 40.*

Sin autem periculum in mora sit, vel Episcopus propter distantiam commodè adiri non possit, solam justitiam causæ vel ad summum, si causa aliquo modo videatur dubia, licentiam Parochi sufficere, communis est sententia.

Cæterum hic advertendum est, quamvis in *c. 1. de feriis* dicatur, quod dies Dominica a vespera in vesperam cum omni veneratione observanda sit, nihilominus in Europa esse receptum, quod festa quoad abstinentiam a servilibus operibus computentur à media nocte usque ad alteram medianam noctem, testatur *Panor. in c. 5. de feriis*, *Covar. var. res. lib. 4. c. 19. nu. 9.* talem autem consuetudinem valere & attendendam esse, textus est in *c. 2. de feriis*.

Alterum præceptum scilicet affirmativum de audienda missa tanquam humanum, & positivum, non obligat cum tanto rigore, ut nullo modo quis ab eo excusetur, etenim non tantum impotentia physica (qualis est in mari navigantium, incarcerationum, lecto affixorum, & similibus) sed etiam moralis, & arbitrio prudentis viri gravis, excusat ab audienda missa. Dicitur autem moralis impotentia, quando licet non subsit absoluta impossibilitas, subest tamen magna difficultas propter periculum amittendæ valetudinis, aut rei domesticæ, alteriusve damni spiritualis aut corporalis subeundi. Unde excusantur, qui infirmi sunt, aut infirmis serviunt, qui tempore pestis se domi continent, item matres & ancillæ quæ infantibus assistunt, qui propter distantiam templi domum periculosè deserunt &c. pudor quoque si gravis sit secundum communem sententiam ab audienda missa excusat: puta si mulier honesta cum dedecore sui status non honestè vestita sit, vel si aliqua bonæ existimationis, ex delicto prægnans appareat, &c. Consuetudo etiam quandoque excusat, si v.g. in aliquibus locis vidua vel puerpera per aliquod tempus templum ingredi non soleat, de quibus omnibus prolixè videri poterunt DD. antea cc.

Postremò huic capiti adscribenda duxi verba valdè notanda Concil. Trid. sess. 25. in decret. de invoc. & venerat. Sanct. Omnis superbisio, inquit Concil. in Sanctorum invocatione, Reliquiarum & imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quasi eliminetur, omnis denique lascivitas vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur, & Sanctorum celebratione, ac reliquiarum visitatione homines ad comestiones, atque ebrietas non abutantur, quasi festi dies in honorem SS. per luxum ac lasciviam agantur. Hæc ut fidelius observentur, statuit S. Synodus, nemini licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit, nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscens & approbante Episcopo, &c.

P A R S III.

De Administratione Sacramentorum per
Parochum facienda.

S U M M A R I A.

- 1 Quid sit Sacramentum?
- 2 Sacramenta alia mortuorum, alia vivorum.
- 3 Differentia inter Sacramenta veteris, & novæ legis.
- 4 Minister Sacramentorum debet esse in statu gratiæ.
- 5 Debet habere intentionem, excepto matrimonio.
- 6 Communi errore pro legitimo Parocho habitus validè confert Sacramenta.
- 7 Etiam censuratus non denunciatus.
- 8 Quæ Sacramenta permittantur tempore interdicti.

1 **C**irca Sacramentorum administrationem omitto ea, quæ DD. Theologi de institutione, materia & forma, speculativè & prolixius exponunt, illa solummodo breviter notaturus, quæ ad practicam Sacramentorum administrationem pertinere censentur.

2 Preliminariter tamen & breviter *sciendum I.* Sacramentum esse visibile signum gratiæ invisibilis ad populum Dei sanctificandum divinitus institutum. Visibile signum suæ gratiæ instituit DEUS, quia anima adhuc corpori conjuncta dona ejus nisi ex rebus sensibilibus intelligere haud potest, ait D. Chrysostr. *hom. 83. in Matth.*

3 *Sciendum II.* Aliqua Sacramenta per se instituta esse ad conferendam *primam gratiam* ut Baptismus & Pœnitentia, quæ propterea *Sacramenta mortuorum* dicuntur, quod animas quasi spiritaliter mortuas in vitam & gratiam Dei restituunt, & alia conferre *gratiam secundam* sive justitiæ augmentum instituta pro justificatis, ut magis justificentur, quæ inde *Sacramenta vivorum* nuncupantur. Qualia sunt Confirmatio, Eucharistia, Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium.

4 *Sciendum III.* Sacramenta novæ legis non tantum significare, sed etiam ex se ipsis sive ex opere operato conferre gratiam, nisi suscipiens per indispositionem suam ponat obicem: per quod differunt à Sacramentis veteris Testamenti v. g. Circumcisione, quæ ex se non operabatur gratiam, sed significabat solum per passionem Christi dandam, eaque per fidem ipsius circumcisi adeoque ex opere operantis dabatur.

5 *Sciendum IV.* Ministrum Sacramentorum ob eorum reverentiam debere esse in statu gratiæ, & scienter sine confessione vel saltem (deficiente Confessario) sine contritione ministrantem Sacramenta in statu peccati mortalis mortaliter peccare, *arg. cap. ult. de cobab. Cler. & mul. DD. communiter cum D. Thom. q. 64. ar. 6.*

6 *Sciendum V.* Ministrum debere saltem habere *virtualem* intentionem administrandi Sacramentum, dicitur *virtualis*, quæ ex actuali prius concepta adhuc perdurat v. gr. si accedens intentione baptizandi vel sacrificandi in verborum factorum prolatione distractus sit, &c. in Sacramento verò Matrimonij Parochus non est minister sed ipsi contrahentes; Idèoque que ibi Parochi intentio non requiritur, ut inferius dicetur.

Sciendum VI. Parochum etiam non legitimum, v. g. clam irregularem, vel ipso jure privatum beneficio validè administrare Sacramenta si communi populi errore, & persuasione pro legitimo Parocho habeatur, ob communem enim hominum errorem, qui non debent in re tam gravi decipi, lex supplet jurisdictionem, *L. barbarius ff. de Officio Prætoris L. 2. Cod. de sent. & interloc. c. infamis, vers. verumtamen, 3. qu. 7.* cum igitur acta ob communem errorem valeant & à lege sublineantur, sequitur detecto impedimento reformanda, aut confessiones v. gr. iterandas non esse, *Innocent. Joan. And. & Panorm. in cap. dudum 54. de elect. Navar. in cap. placuit de pœnit. dist. 6. num. 179. Barb. de Paroch. par. 2. cap. 17. num. 28.* dummodo tamen inhabilitas non proveniat ex jure divino vel naturali v. gr. si fingens se Clericum, & Parochum nunquam ordinatus in presbyterum fuisset, *Abb. in cap. 2. de Presbyt. non baptiz. Sanch. de Matrim. lib. 3. disput. 22.* videatur etiam Joan. Sanch. *in sel. disp. 44. num. 3. Pont. de Matrim. lib. 3. cap. 22. nu. 4. 6.* ubi contra plures alios docent, solum errorem publicum absque titulo per superiorem collato sufficere.

7 *Sciendum VII.* Parochum censura excommunicationis, suspensionis vel interdicti ab ipso jure lata innodatum, qui non sit notorius percussor Clerici, aut ab Episcopo denun-

tatus posse hodie post Concilium Constantiense, & Extrav. Martini V. *ad evitanda scandala*, ante absolutionem (præmissa tamen contritione) fidelibus Sacramenta administrare, si ab his fuerit requisitus, neque alius adfit, qui æquè utiliter administraret, *vid. Suar. de censur. disput. 11. sect. 4. Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 9. n. 7.*

Sciendum VIII. Tempore interdicti, regulariter usum Sacramentorum esse prohibitum, *cap. quod in te de pœnitent. cap. si sententia, & cap. ult. de sentent. excomm. in 6.* excipitur tamen Baptismus & Confirmatio *c. responso x. de sententia excomm. cap. quoniam Eod. in 6.* Pœnitentia, dummodo petens non sit excommunicatus aut in culpa aliqua, ob quam latum est interdictum, *cap. alma mater vers. quia verò, de sent. excomm. in 6.* Eucharistia, sed non nisi in mortis articulo, *c. permittimus de sent. excomm. & probabiliter etiam in 4. anni festivitatis scilicet Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis (quibus etiam Martinus V. addidit festum Corp. Christi) ubi generaliter suspenditur interdictum, & permittitur divinorum participatio d. c. alma mater.* Matrimonium denique, præsertim absque solemnibus benedictione valdè probabiliter tempore interdicti admitti potest, quia illa principaliter Sacramenta prohibentur, quæ ab Ecclesia dispensantur, Matrimonium verò contrahentes sibi ministrant, *Panorm. in c. non est vobis de sponsal. n. 8. Sylv. v. interdictum 5. num. 9. videatur etiam Covar. in relect. d. c. alma mater, & alij passim de Censuris.*

C A P U T I.

De Baptismo.

S U M M A R I A.

- 1 Infans debet baptizari, quamprimum commodè potest.
- 2 Minister Baptismi non solemnis est omnis homo ratione præditus, dummodo habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, solemnis autem Baptismi ministri sunt Episcopi, & Sacerdotes quandoque etiam Diaconi.
- 3 Præsente digniore non debet baptizari inferior.
- 4 Circa Sacramenta extra casum necessitatis semper tenenda est sententia probabilior.
- 5 In casu necessitatis probabiliter licet baptizanti uti materia dubia.
- 6 Item abluere partem baptizandi non principalem.
- 7 Quando dubium occurrit de Baptismo legitime collato debet repeti sub conditione.
- 8 In necessitate a Laico baptizatus non debet baptizari, nisi rationabile dubium subsit de valore Baptismi.
- 9 Non baptizatus salvari potest per Baptismum fluminis.
- 10 Monstra quomodo & qualiter baptizanda?
- 11 Baptismus debet conferri in Ecclesiis. Fallit in filiis magnatum.
- 12 Patrinus tantum debet esse unus, vel ad summum unus, & una.
- 13 Non requiritur certa ætas in Patrinis.
- 14 Parochus hortari debet ut baptizando detur nomen alicuius Sancti cujus tutela committatur.

Non repeto hic quibuscumque solemnitatibus & ceremoniis Baptismus conferendus sit, nam suppono in his Parochos sufficienter ex suo pastorali libro instructos esse: sed quasdam tantum in dubiis, quæ circa praxim Baptismi frequentius occurrere possunt, resolutiones subnotabo.

Not. igitur est I. Quod parentes & alii, qui curam infantium gerunt, obligentur, ut eos, quamprimum commodè possunt, ad Baptismum afferant, nulla tamen certa dies determinatur, in qua infans baptizandus sit, propterea consuetudinem singularum Ecclesiarum attendendam monet *Laym. in Theologia mor. lib. 5. tract. 1. cap. 6. num. 8. imò Sotus disp. 5. qu. art. 3.* non improbat illorum morem, secundum quem baptismus in 8. 10. etiam 12. diem differtur. Sed tam longam dilationem ego semper dissuaderem, quamvis enim non semper appareat periculum præmaturæ mortis, semper tamen prudenter timeri debet, ne infans æternæ salutis jacturam pariat, cum improvise mortis quotidiana sint exempla.

Not. est II. Quod minister Sacramenti Baptismi sit omnis homo ratione præditus, etiam non orthodoxus, dummodo habeat

habeat generalem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, & adhibeat materiam ac formam essentialem. c. in necessitate. c. Romanus. dist. 4. de Conc. Trid. sess. 7. de Baptismo. can. 4. ita tamen, ut imprimis solennem Baptismum cum ordinariis Ecclesie ceremoniis tantum Episcopi & Sacerdotes conferre possint, & etiam juxta probabilem sententiam, Diaconi, si illis ob rationabilem aliquam causam Baptizatio à proprio Sacerdote commissa fuerit. Gl. in c. Diaconos dist. 93. Laym. d. l. c. 7. n. 3. Alii vero inferiores Clerici & Laici non nisi in casu necessitatis, quando scilicet præsens periculum mortis subest, ad Baptizandum cum simplici adhibitione, immersione, vel asfusione aquæ & prolacione verborum sine aliis solennitatibus ad baptizandum admittuntur, eo quoque ordine † (ad honestatem, non vero valorem Sacramenti) observato, ut præsentem Presbytero non baptizet Diaconus, nec præsentem Diacono inferior Clericus, nec præsentem Clerico Laicus, nec præsentem viro famina c. mulier. & c. in necessitate. dist. 4. de consecr.

4 Not. III. Quod in extrema necessitate multa liceant baptizanti, quæ alias minime licerent. Etenim extra casum necessitatis minister Sacramenti in his quæ ad substantialia Sacramenti pertinent, non quamcumque opinionem probabilem sed semper certiorum & probabiliorum sequi debet; vero in casu necessitatis etiam probabilem aliquam praticare potest; quia utique melius est, dubiam facere salutem infantis morituri, quam desperatam relinquere, eo ferme modo, quo medici in agone omnia tentant, ut æger reconvalescat. Nec est quod tali casu irreverentia Sacramenti timeatur, utpote quam probabilitas sententiæ, zelus animæ salvandæ, periculum & timor instantis mortis penitus excludit, non enim intervenit temeritas presumptionis, ubi est diligentia pietatis. inquit Pont. in c. si nulla dist. 4. de cons. Unde

5 Not. IV. Quod baptizans semper quidem ad laborare debeat, ut materiam certam adhibeat, videlicet aquam elementarem; Interim amen si talem habere nequeat, & infans jam agonizet, probabiliter etiam materia dubia uti non prohibetur: cujusmodi materiæ dubiæ censentur aquæ ex herbis distillatæ, jusculum aut cerevisia tenuiter cocta, lixivium & similes saltem sub conditione: Si materia hæc est idonea. Hurdao tract. de Baptis. disp. 1. diff. 2. Tanner. tom. 4. disp. 4. dub. 2. n. 41. Conin. ap. Cast. Pal. de Bapt. p. 1. n. 2. pariter.

6 Not. est V. Quamvis communiter teneant DD. quod ad valorem Baptismi requiratur, ut nisi totus homo, saltem principalis aliqua pars ipsius abluatur, ut caput, vel pectus, & ita quidem ut aqua ad ipsum corpus pertingat. † Nihilominus in casu necessitatis etiam v. g. manus quam infans ex utero matris exerit, vel pelli secundinæ cui involutus est, aquam aspergi posse, plerique consentiunt. Imo licet alias totaliter in utero matris existens cum matre baptizari nequeat, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest, ut dicitur in cap. qui in matris dist. 4. de cons. Si tamen obstetrix tam perita foret, ut manu in uterum inserta, prolis corpus aqua perfundere possit una cum prolacione verborum baptismi, id omnino tolerandum docent plures apud Laym. d. l. c. 3. sub n. 2.

7 Not. est VI. Quod Baptismus ordinarie sine sacrilégio repeti non possit, quia est de illis Sacramentis, quæ characterem in anima recipientis imprimunt, sicut est Confirmatio & Ordo Trid. sess. 7. de Sacramentis in genere c. 9. Dico autem ordinarie: nam quoties dubium facti occurrit, an aliquis sit aliquando baptizatus, v. g. infans expositus vel à matre in captivitate infidelium constituta natus, &c. aut dubium Juris an quis sit legitime baptizatus, v. g. si sit baptizatus cum materia aut forma dubia vel in parte non principali, vel quod aqua corpus nudum non contigerit, vel denique baptizans ex post facto convictus aut confessus fuerit, quod plurimos illegitime baptizaverit, his & similibus, inquam, casibus baptismus repeti potest, & debet non quidem absolute, sed sub illa conditionata forma verborum, quæ præscribitur in cap. 2. extra de Baptismo. videlicet si baptizatus es, non te baptizo sin nondum baptizatus es, ego te baptizo &c. unde monet Barb. de off. Par. p. 2. cap. 17. quod si infans domi in casu necessitatis baptizatus sit, Parochus diligenter inquirere debeat, quis, qua materia, qua forma, in qua parte corporis &c. baptismum contulerit. Sed quid dicendum de illa consuetudine, quæ in quibusdam locis viget, quod omnes infantes in casu necessitatis ab obstetricibus baptizati cessante periculo denuo sub conditione per Parochos rebaptizentur? † R. Id quidem fieri debere, ut infantes in necessitate à Laicis baptizati cessante periculo ad Ecclesiam deferantur, & ibi unctiones aliæque solennitates adhibeantur, cap. Spiritus S. §. ecce 1. q. 1. Sa v. Baptismus n. 5. Zoef. in tit. de Baptismo infan. Sed ipsa substantialia baptismi non aliter repetenda sunt, quam

si aliqua saltem rationabilis suspicio intersit baptismum non esse modo legitimo per Laicum collatum, ut quia persona rudis est, verba inconfucta protulit, vel si experientia constat in aliquo loco complures esse obstetrices veneficas, quæ studio baptismum invalidum conferant. vid. Carechif. Roman. Pii V. de Baptis. p. 2. c. 2. n. 43. Cæterum à fidelibus parentibus natus, & inter fideles educatus, quamvis de ipsius Baptismo certo non constat, nihilominus tam violentè præsumitur, quod fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis argumentis contrarium probetur. cap. veniens in fine de Presbyter. non bapt. † Neque in tali periculo damnationis subest, si forsitan revera baptizatus non sit, quia per Baptismum flammis salvatur, si verum desiderium Baptismi habeat, sicut ille, qui baptizari desiderans morte prævenitur, de quo S. August. in cap. 2. de Presb. non bapt. dicit, Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus Religionis, sed terminus necessitatis excludit.

10 Not. est VII. Quod, si contingat aliquod monstrum nasci (ut nonnunquam ex congressu cum bestiis fieri solet) tunc antequam Baptismus conferatur, diligenter inspiciendum sit, an partes principales talis monstri, videlicet caput & pectus hominis figuram referant, nec ne; quod si non referant, Baptismus quoque conferendus non erit, sin autem aliquid dubitetur, dilatio facienda est, usque dum natura talis partus melius innotescat, vel certe si periculum mortis instet baptizati conditio adiciatur: Si tu es homo, ego te baptizo &c. Sed quid observari debet, si partus propterea sit monstruosus, quod videatur ex gemellis concietus? R. Distinguendum esse an certo constat, esse duos homines, ut quia habent duo diversa capita, quatuor pedes diversos; vel certe dubitetur, ut quia unum tantum caput & duo pectora apparent, &c. prior casu utriusque homini suus proprius Baptismus specialiter impertiendus est. Altero vero casu Baptismus usque ad meliorem cognitionem differri debet, vel instante morte una pars potest simpliciter baptizari, & altera sub conditione, si non es baptizatus, & c. Laym. ubi supra cap. 6. n. 13. Cast. Pal. de Bapt. p. 1. n. 4.

11 Not. est VIII. Quod Baptismus non debeat conferri, in aulis, vel cameris, vel aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesia, ubi sunt ad hoc fontes specialiter deputati, nisi tamen subfuerit necessitas ob quam infans sine periculo ad Ecclesiam deferri nequeat, vel nisi fuerint Regum aut Principum filii, quibus etiam conceditur ut domi suæ baptizari possint. Cl. un. hoc tit. imo quod de Principibus dicitur, tanquam in materia favorabili ad alias personas illustres, & potentes extendunt quidam apud Mascard. de prob. concl. 1001. num. 4. quod tunc saltem admittendum videtur, si talis in aliquo loco consuetudo vigeat, ut personarum illustrium filii in suis ædibus vel Palatiis baptizentur.

12 Not. est IX. Quod de jure communi non nisi unus sive vir sive mulier baptizatum de sacro fonte suscipere possit cap. unic. de cong. spir. in 6. vel ad summum unus & una, ut novissime statuit Concil. Trid. S. 24. de ref. Matrim. cap. 2. quare in eodem cap. 2. Trid. ulterius constitutum est, ut Parochus, antequam ad Baptismum conferendum accedat, diligenter de electis patris interroget, neque plures quam in Concilio determinatum admittat, deinde vero in libro eorundem nomina describat, doceatque eos quam cognitionem spiritualem contraxerint &c. Porro in his patris nullam certam ætatem requiri, dummodò rationis capaces sint, & fideles Catholici, hominesque boni testimonii, communiter docent auctores, ut videre est apud Barbos. de Offic. Paroch. part. 2. cap. 17. num. 27. & sequi. nam licet in adoptione legali ubi de successione hereditaria, & subiectione adoptati ad adoptantem agitur (ubi proinde inconveniens est majorem minori subijci, eique succedere) requiratur, ut adoptans adoptatum plena pubertate, id est, 18. annis præcedat, §. minorem infan. de adopt. Alia tamen est ratio in Baptismo, ubi est quædam regeneratio in Christo in quo non differt masculus à femina, juvenis à senne, & idè potest quilibet effici pater spiritualis alterius, si ad spiritualem illius regenerationem eo quo requiritur modo, concurrat, ut etiam advertit Sanch. de Matr. lib. 7. disp. 61.

14 Denique, quod attinet ad nomen Baptizandi, utique inconveniens est, si id potius ab aliquo gentili, quam Sancto ducatur: propterea rectè monet de Offic. Paroch. dict. part. 2. cap. 17. num. 20. ut Parochus nortetur patrinos, & deferentes infantem, quatenus ei nomen aliquis Sancti imponant cujus patrocinio, & tutelæ vita ipsius inter tot humanos casus commendata sit.

CAPUT II.

De Pœnitentia.

§. I.

De Sacramento Pœnitentiæ in Genere,
& jurisdictione requisita.

SUMMARI A.

- 1 Quando institutum hoc Sacramentum, & cur enarratio singulorum peccatorum.
- 2 Tantum peccata mortalia & circumstantiæ mutantes speciem dici debent.
- 3 Quæ materia & forma Pœnitentiæ, quid contritio & attritio.
- 4 Parochus quo ad curam animarum debet esse approbatus ab Episcopo, vel habente jurisdictionem Episcopalem.
- 5 Approbatio sicut & dispensatio non tantum verbis, sed & facto fieri potest.
- 6 Approbatus quoad unam parochiam non est approbatus quoad totam Diœcesim, fallit de consuetudine.
- 7 Confessiones suorum subditorum potest Parochus etiam audire extra suam Parochiam.
- 8 Capellani Parochorum debent esse approbati ab Episcopo loci ubi servantur.
- 9 Communi opinione hominum habitus pro legitimo Capellano valide absolvit.
- 10 Quo jure possit Parochus ad breve tempus tenere Capellanium non approbatum.
- 11 Quis possit delegare jurisdictionem fori pœnitentialis, & ibi sensus c. fin. de offic. deleg.
- 12 Quibus possit Parochus hoc Sacramentum administrare.
- 13 An possit administrari alienis subditis sub spe ratihabitionis.
- 14 Parochus debet audire Confessores, quoties Parochiani rationabiliter petunt.
- 15 Non debet esse difficilis in concedenda licentia ut alteri confiteantur.
- 16 De litteris dispensationum que Roma diriguntur ad Parochos vel Confessarios.

Sacramentum Pœnitentiæ, quo lapsi in statum gratiæ reponuntur, tunc à Christo institutum creditur, quando resurgens à mortuis insufflavit in discipulos suos dicens: accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Joan. 20. Matth. 18. cum ergo hæc potestas remittendi retinendique peccata à Christo concessa in Ecclesia exerceri non possit, nec dijudicari, quæ & qualia peccata remittenda aut retinenda sint, quales pœnitentiæ injungendæ, quæ ad evitanda peccata consilia danda &c. nisi peccatores sua peccata recenseant, ideo Ecclesia Catholica semper adversus hæreticos docuit, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia † (non item venialia) quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, una cum circumstantiis non quidem omnibus, sed saltem illis, quæ speciem mutant, & peccatum de uno genere peccati faciunt transire in aliud v. g. de fornicatione in adulterium, vel incestum, de furto simplici in sacrilegium &c. offendentes scilicet speciale præceptum, in confessione (per se non per litteras aut nuntium. Clem. 8. apud Barb. in c. omnis 12. de pœnit. n. 12.) exprimere.

Declaravit præterea Ecclesia formam hujus Sacramenti esse in illis Ministri verbis, Ego te absolvo. preces vero quasdam, ut misereatur tui &c. passio Domini &c. laudabiliter adungi solitas ad ipsius Sacramenti essentiam non pertinere: materiam autem esse ipsius pœnitentis actus, scilicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem: & quidem nomine Contritionis generaliter intelligi animi dolorem ac detestationem de peccato commissio cum proposito non peccandi de extero, neque tamen illum actum perfectum charitatis erga Deum quo detestamur peccatum super omne malum tanquam repugnans summo bono dilecto per fidem cognito. (quæ proprie & in specie Contritio dicitur. Est enim contritio genus ad contritionem in specie & attritionem) sed etiam illam imperfectam quæ attritio dicitur, & ex turpitudine peccati, vel pœnarum metu concipitur, quamvis enim hæc imperfecta contritio sine Sacramento non deleat peccata, sicut illa perfecta (saltem in casu, quo Sacramentum haberi non potest) cum Sacra-

mento tamen sufficit prout hæc omnia habentur in Concil. Trid. S. 14. de Sacram. pœnit. & latius apud Theologos legi poterunt. Ego ea potissimum, quæ ad jurisdictionem Parochi circa hoc Sacramentum pertinent breviter hic subnotabo.

Not. I. Quod Parochus sive secularis sive regularis, ut jurisdictionem fori pœnitentialis respectu secularium personarum ante omnia debeat esse approbatus ab Episcopo. Trid. S. 23. de ref. cap. 15. Nomine autem Episcopi veniunt etiam inferiores Prælati Jurisdictionem quasi Episcopalem, vi specialis territorii, privilegii, vel præscriptionis habentes. Trid. S. 25. de Ref. cap. 11. in fin. videantur, quæ circa præscriptionem pulchre tradit Panorm. in c. cum non liceat circa fin. de præscript. tex. in cap. auditis 15. & c. cum olim 18. eod. tit. Barb. in d. c. 15. Trid. n. 23. Quod si cura personarum secularium sit annexa Monasterio ubi Abbates, Generales, aut Capita Ordinum sedem principalem ordinariam habent, tunc etiam de ipso Concilio Trid. Episcopi approbatio non requiritur, ut clare dicitur in sess. 25. de Regul. c. 11.

Potest conferri approbatio non tantum per verbalem contestationem, sed etiam per ipsam actualem parochiæ collationem & hoc ipso quod Episcopus alicui Parochiam conferat eundem approbare censetur, quia in sess. 23. cap. 15. sub conjunctione requiritur, ut aliquis vel approbationem per examinationem, si videbitur necessarium, obtineat vel Parochiale beneficium habeat. prout in simili dispensatio nonnunquam ipso facto sine expressione verborum conceditur, quando in aliquem habentem defectum, actus positivus per dispensatorem exercetur, qui actus sine dispensatione diceretur non legitime factus v. g. si Episcopus illegitime nato scienter conferat minores Ordines & simplex beneficium, quod facere potest juxta cap. 1. de filiis Præb. in 6. ita quoque ex L. imperialis 23. §. similes 4. C. de nupt. notant Gottof. & DD. famam tacite restitui illi infami, cui Imperator dignitatem aliquam dedit.

Not. II. Quod, licet ex communi sententia Parochus approbatus quoad unam Parochiam, non propterea censetur approbatus quoad totam diœcesim teste Piascani praxi Episc. p. 2. c. 1. n. 10. Nihilominus si aliquis virtute Bullæ Cruciatæ aut Jubilæi possit sibi eligere quemcumque Confessarium approbatum, etiam talem Parochum eligere non prohibetur, quamvis alias ipsius Parochianus non esset. Item Consuetudine passim receptum est, ut ab uno Parocho possit alteri Parocho cura in sua Parochia committi & delegari, ut ita unus Parochus alterius Parochi ad breve tempus absentis vices suppleat possit, id quod non tantum in duobus Parochiis in eadem Diœcesi, sed etiam in confinio duarum diversarum Diœcesium constitutis procedere quidam existimant vid. Lug. in tract. de pœnit. disp. 21. sect. 1. n. 11. quam opinionem confirmat notum juris axioma, quod Consuetudo tribuat jurisdictionem c. dilecti a. de Arbit. c. cum contingat. 13. de foro compet.

Not. III. Quod confessiones suorum subditorum possit Parochus etiam extra suam Parochiam audire, si v. g. cum suis Parochianis in alienam parochiam peregrinatum iverit, & ibi aliqui confiteri desiderent, quia absolutio Sacramentalis est actus voluntariæ jurisdictionis qui extra territorium etiam exerceri potest. l. 2. offic. procons.

Not. IV. Quod Parochus non possit quemlibet pro suo Capellano seu Cooperatore suscipere, qui deleget suam jurisdictionem, nisi fuerit Sacerdos quoad curam animarum approbatus ab Episcopo, quia Concilium Trid. generaliter decrevit, Nullum posse confessiones secularium audire, nisi approbatus fuerit. Deinde non satis cautum fuisse incommodis ex abusu Parochorum oves suas ineptis committentium, provenientibus, si facultas judicandi de idoneitate Ministri penes Parochos relicta fuisset, ut rectissime observat Reverendissimus Dom. Christophorus Rastler in tractatu suo de pœnit. pag. 409. Præterea non sufficit, quod suscipiendus in Capellanum ab aliquo Episcopo, quocumque denique sit approbatus, sed debet esse approbatus ab Episcopo illius diœcesis, in qua Sacramenta administrabit. Tum quia Concil. d. f. 23. c. 15. requirit approbationem ab Episcopis in plurali, quo numero utique utitur ex supposito, quod aliquem contingat ad diversas diœceses venire: tum etiam quia in diversis diœcesibus diversi populi, diversi mores & ritus sunt, ut propterea merito specialiter inquirendum, an talis Persona aliunde adveniens pro tali loco idonea sit.

Sed quid si Parochus de facto aliquem Cappellanum non approbatum ab Episcopo tenuerit, anne valide absolvet? R. si communi hominum estimatione reputetur pro legitimo Capellano, ejus jurisdictio à jure propter communem hominum errorem (qui non debent in re tam gravi decipi) supplebitur, & consequenter valide absolvet. arg. l. Barbarius. de offic. præb. vid. tradita superius ad princ. hujus part. 3. numer. 6. Non ignoro, quod Innoc. in cap. cum dilecti 22. de rescript. n. 1. videat

videatur tenere, illam Leg. Barbarius. non habere locum in delegato (qualis etiam est Capellanus) sed tantum in ordinario, eo quod ratio publicæ utilitatis potissimum tantum in ordinario JUDGE locum habeat. Verum quidquid sit de hac opinione Innocentii, quam impugnat Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 22. n. 6. nixus auctoritate text. c. 1. §. verumamen. 3. q. 7. Ego in nostro proposito dico, non agi de delegato ad unam particularem causam, de quo Innoc. loquitur, sed agi de Capellano, qui semper loco Parochi Jurisdictionem exercet, & proinde delegatus ad universitatem causarum mandatum potius habens Jurisdictionem censeri debet, qualem delegatus habet quasi Jurisdictionem ordinariam, And. Gail. 1. Obs. 97. n. 12. Maxime vero illa ratio publicæ utilitatis, ob quam in ordinario propter communem errorem suppletur jurisdictione, deduci potest ad delegatum ad universitatem causarum, quia & iste non tantum uni vel alteri, sed multis, imo omnibus in illo genere causarum, ad quod delegatus est, comprehensus, jus dicere necesse habet. Docet tamen Barb. de officio Paroch. p. 2. cap. 19. sub n. 38. in nova edit. † quod ad tempus aliquid, v.g. in quadragesima, possit sibi Parochus vel Curatus ad excipiendas confessiones aliquem Religiosum vel alium sine cujuscunque Superioris licentia assumere, cum Sacerdos rite ordinatus jam habeat potestatem absolvendi, sed tantum materia scilicet populus deficiat, quam ipsi tribuit Parochus. At ego hanc sententiam potius ex consuetudine & licentia Episcopi per quandam Episcopiam propter brevitate temporis præsumpta admiserim, quam ex illa ratione assignata, quæ stante Concilio Trid. prohibente absolutionem à Sacerdote non approbato factam procedere haud potest, alias probaret generaliter, quod Parochus indistincte quemcunque sacerdotem pro suo Capellano suscipere posset, contra ea, quæ paulò ante dicta sunt.

10 **Not. V.** quod Episcopus (etiam inconsulto Parocho, quia Episc. cum quolibet Parocho suæ diocesis concurrentem jurisdictionem habet, gl. c. 2. v. subdito. de pen. in 6. Pan. in c. cum in xer. de purg. Cann. 1.) Parochus possit jurisdictionem fori penitentialis alteri delegare, item & Vicarius Parochi, cui in Parochia unita, vel absente aut nondum in Sacerdotem ordinato Parocho totum officium parochiale commissum est, si non substituendo alium Vicarium loco sui, saltem delegando in particulari prout de jure Civ. mandatum jurisdictionem habens, eam totam alteri mandare non potest. h. more. ff. de jurisdictione. sed bene delegare in particulari. l. cum prætor ff. de Judic. Cooperator autem seu Capellanus delegare nequit, nisi ei hæc potestas à parocho detur, ut ipsius Parochi nomine deleget, ratio redditur à Paulo Laym. de pen. c. 10. n. 14. & Conink. de pen. disp. 8. dub. 4. n. 25. quod cooperatores non habeant officium, sed nudum ministerium jurisdictionis, quod delegari non potest. c. fin. de offic. Jud. deleg. Verum videatur mihi valde dubium, an hæc ratio bene probetur ex d. c. fin. §. ceterum. nam ex vero illius textus intellectu tunc dicitur proprie alicui nudum ministerium committi, quando constituitur merus executor sine causæ cognitione, aut formatione judicii, teste gl. ibidem v. commissum. v. g. si Papa mandet aliquos in rescripto specificatos absolvi vel excommunicari, quos ipse prius judicavit causa cognita absolvendos vel excommunicandos, vel prædicare crucem, quod nullam requirit jurisdictionem. At vero cooperator non est merus executor, sed ei delegatur vel potius mandatur non tantum in aliquos sed univèrsim in omnes Parochianos vera jurisdictione fori penitentialis, in quo de peccatis cognoscere, suumque desuper judicium formare debet. Nec etiam convincit, quod delegatus, qui non est summi Principis non possit alium subdelegare. L. à judico. C. de judic. quia tantum procedit in delegato ad particularem causam, non in delegato ad universitatem causarum. L. legatus ff. de offic. Proconsul. l. cum prætor. de judic. quare magis fortasse congruet alia ratio desumpta ex sententia Fachini lib. 12. contror. cap. 92. quod in finis iudiciis (quales in foro penitentiali sunt cooperatores) non concedatur de jure delegandi potestas: sunt tamen & hic dissentientes non pauci DD. apud eundem Fachin. c. l. quod vero ad matrimonium non sufficiat consensus cooperatores alteri Sacerdoti datus ad assistendum, provenit, quod in Concil. Trid. s. 24. de ref. c. 1. proprii Parochi licentia requiratur.

12 **Not. VI.** Quod Sacramentum Pœnitentiæ, præter eos, qui perpetuum domicilium in Parochia habent, possit etiam Parochus administrare illis, qui quasi domicilium ibidem obtinent, hoc est, qui majori saltem anni parte in parochia vel de facto manserunt, vel manere intendunt, ut Scholares, famuli, &c. Quin imò etiam plane advenas & peregrinos nec verum nec quasi domicilium habentes ex tacita voluntate Ordinariorum per consuetudinem confirmata à quolibet exposito Sacerdote Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta percipere

posse etiam tempore Paschali, si ad propriam parochiam facile accedere non possint, ex communi sententia & praxi docet Laym. lib. 3. tract. 6. cap. 10. n. 9.

Not. VII. Quod cessante consuetudine (de qua mox dictum) plerique DD. teneant, non valere absolutionem datam ab alieno Sacerdote sine expressa licentia sub spe ratihibitionis de futuro, quia absolvens caret jurisdictione, & delegatio non est ex præsumpto consensu, & Sacramenta non debent pendere à futuro eventu, aut manere in suspenso &c. unde non obstat regula juris 10. in 6. quod rati habitio retro trahatur & mandato equiparetur. quia procedit in contractibus, quorum obligatio potest esse suspensa; nec etiam obstat, quod Baptismus, Confirmatio, extrema Unctio, Ordo & Eucharistia, ex rationabili præsumptione futuri consensus possint administrari, quia in his minister non fungitur officio judicis, & sic jurisdictione est tantum conditio extrinseca non intrinseca & essentialis sicut in Pœnitentia, Ferd. de Castro Pal. de Sacram. tract. 22. disp. un. pan. 14. Laym. d. l. n. 16. referuntur quidem aliqui DD. pro sententia contraria apud Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 35. n. 15. & in specie Host. in sum. in tit. de Pœnit. & remiss. §. cui consistendum. n. 24. sed Navar. in Man. cap. 9. n. 6. explicat, mentem Host. fuisse de ratihibitione præsentis ex tolerantia, quæ inducit tacitam licentiam, cum sciens Parochus volensque patitur ab alio audiri confessiones, arg. L. qui patitur. ff. mandati.

Not. VIII. Quod Parochus teneatur toties administrare Sacramentum pœnitentiæ suis Parochianis, quoties ipsi justam confitendi causam habent, ac opportuno tempore & loco petunt, cum enim homines frequenter in peccata mortalia labantur, & propterea periculo æternæ damnationis sint expositi, utique Parochus ratione pastoralis officii tenetur quandoque potest & ipsi petunt, eos ex tanto periculo eripere, & ipsorum modo promovere. Navar. in Man. c. 25. n. 13.

Quod si Parochus non velit per se confessionem excipere, vel penitens desideret alteri confiteri, non debet Parochus in concedenda licentia difficilis esse, ne conscientia suorum subditorum laqueum iniciat, quia experientia constat, quod multi confitendo proprio Parocho peccata sua non integre & sincere exponant: imò nonnulli malint sine pœnitentia decedere, quam proprio Parocho confiteri, ut ex S. Thoma notavit Sylv. verb. confessor. 1. n. 13.

Not. IX. Quod aliquando Parochiani impetrent dispensationem super votis, vel impedimentis matrimonii ex penitentiaria vel curia Romana, quæ dirigitur ad Parochum vel Confessarium, ut is audita Sacramentali confessione & cognita veritate precum & causarum dispenset vel absolvat, requirunt tamen litteræ ordinariæ in Confessario, ut sit Doctor seu Magister in Theologia vel Jure Canonico, (Licentiatum in materia favorabili etiam hoc nomine intelligi posset, quia in ipso tanta requiritur doctrina quanta in Doctore, si ergo Parochus vel Confessarius tali qualitate præditus non sit, ad alium mittere debet dispensandum. Quid autem si unus Confessarius judicet litteras esse sub vel obreptitias seu per male narrata impetratas, licebitne impetranti accedere ad alium Confessarium, ejusque judicium explorare? Ratio negandi cum Navar. Cons. 8. de offic. deleg. videtur, quod delegatio dispensationis censeatur facta uni tantum & primo Confessario, eam propterea ad alios extendere sit in solius delegantis potestate. Nihilominus affirmativa satis tuta & probabilis est, eo quod hæc commissio detur in foro conscientia, ideoque sequatur ejusdem fori naturam, ut penitens non teneatur acquiescere uni Confessarii sententiæ, sed & ipse Confessarius suam sententiam mutare possit, Sanch. de Matrim. lib. 8. disp. 27. n. 40. Gutier. de Matr. c. 125. n. 18. Barb. de Parocho. p. 2. cap. 19. n. 45.

§. II.

De Casibus Reservatis.

SUMMARI A.

- 1 Casuum reservatio pertinet ad disciplinam Ecclesiasticam.
- 2 Quid faciendum cum habente casum reserv.
- 3 In artic. mortis quisvis Sacerdos absolvere potest.
- 4 Absolutus in mortis periculo an evadens teneatur se presentare superiori.
- 5 Superior tenetur aliquando concedere licentiam inferiori, absolvendi à reservatis.
- 6 An penitens possit mitti ad privilegiatum, & ibi de jurisdictione prorogata, quatenus etiam in foro interno procedat.

- 7 Examinantur 3. casus circa penitentem alienae diocesis.
- 8 Reservatio casuum Episcopaliū an duret post mortem Episcopi.
- 9 Casus Papales habent omnes censuram annexam.
- 10 Excusatus à censura propter defectum culpae mortalis vel contumacia seu scientia excusatur à reservatione.
- 11 In casibus Papalibus consuetudo attenditur, & ibi de bulla cenae.
- 12 Actus more internus non est reservatus.
- 13 Casus Papalis propter difficultatem fit Episcopalis.
- 14 De privilegiis Regularium absolventi à casibus reservatis.

Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere san-
dissimis Patribus nostris visum est, inquit Concil.
Trid. sess. 14. de Sacrament. Penit. cap. 7. ut atrociora quaedam
& graviora crimina non à quibusvis, sed à summis duntaxat
Sacerdotibus absolventur, unde merito Pontifices Max. pro su-
prema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas
criminiū graviores suo poterunt peculiari iudicio reservare, i-
demque Episcopis omnibus in sua cuique diocesi, in edifica-
tionem tamen, non in destructionem licet, &c.

Sunt igitur Casus Reservati alii Papales, alii Episcopales.
Catalogum aliquem ponemus ad finem §. interium in genere
de utrisque.

Quar. I. Quid faciendum Parocho vel Confessario, si pe-
nitens inter cetera confiteatur Casum Reservatum? R. Si facilis
copia sit Superioris, qui sibi casum reservavit, ad eum
rotam confessionem remittendam esse, si vero difficilior sit
aditus ad Superiorem, vel alia causa v. g. infamiae vitandae ur-
geat confessionem aut communionem, posse penitentem ab-
solvī à non reservatis, reservata absolutione à reservatis cum
superior copiam sui fecerit, idemque procedet, tamen si casus
reservatus habeat excommunicationem annexam, cum enim
excommunicatio iure tantum positivo Ecclesiastico arceat
ab usu Sacram. Penitentiae, cessat eius obligatio in casu ma-
gnae necessitatis. Barb. ad d. c. 7. Trid. in 27. Laym. de Sacram.
Penit. c. 12. n. 10. & seqq. Fogund. in 3. Eccl. praecip. praecip. 2.
lib. 8. c. 3.

Quar. II. Utrum Parochus nullo casu absolvere possit à re-
servatis? R. in articulo mortis nullum casum esse reservatum,
sed omnes Sacerdotes (quod DD. etiam ad excommunicatos,
suspensos, irregulares, degradatos, Schismaticos & hære-
ticos extendunt, apud Barb. in Collect. ad cap. 7. Trid. S. 14.
de Sacram. Penit. n. 13.) quoslibet penitentes à quibusvis pec-
catis & censuris absolvere possunt Ecclesia ex singulari pietate
& benignitate tunc conferente jurisdictionem iux. Trid. d.
cap. 7. §. 14. dicitur autem mortis articulus non tantum quando
penitens iam agonizat, sed tamen si vivat & vivere possit,
est tamen ex verosimili medicorum aut prudentum virorum
iudicio in propinquo mortis periculo, veluti si peste infectus
sit, si in ipso confictu bellico aut periculo naufragii consti-
tutus, &c. Barb. d. c. 7. n. 11.

Quar. III. Utrum in periculo mortis à casu reservato ab-
solutus, si reconvalescat, teneatur se praesentare Superiori, &
novam absolutionem petere? R. esse distinguendum, an casus
fuerit simpliciter reservatus, vel an fuerit reservatus propter
censuram annexam? si fuerit simpliciter reservatus, non erit
opus nova absolutione, quia praecedens absolutio in arti-
culo mortis data ex commissione Ecclesiae fuit vera absolutio
ac proinde omnes absolutionis effectus operata est. cc. apud Bar.
d. c. 7. n. 16. sin autem quis in articulo mortis à Censura sive
à Jure sive ab homine lata absolutus fuerit, is cessante peri-
culo Superiorem adire debet, ut ejus mandatum de satisfac-
ciendo suscipiat, alias in censuram reincidet ipso jure. cap.
eos qui. 22. de sent. excom. in 6.

Quar. IV. Quid si penitens nulla ratione persuaderi possit,
ut Superiorem accedat, quin potius ob animi duritiam dila-
turus confessionem, aut etiam in omnem peccandi licentiam
se effusus sit, maxime si rationabilem recusandi causam ha-
beat, quia scilicet prudenter timet damnum aliquod extrinsecum,
v. g. Sigilli violationem, odium superioris, aut ne is
scientia ex confessione ad externam gubernationem utatur?
R. tali casu debere Parochum à Superiore licentiam absolven-
di petere (caute tamen & in genere, ad aliquem casum reser-
vatum, ne persona penitentis motescat) atq; ad eam praestan-
dam Superiorem teneri & obligari, ne reservatio casuum,
quae ad salutem animarum & aedificationem concessa est, ad
ruinam & destructionem tendat. Reverendissimus D. Christo-
ph. Rastler in tract. suo de penitent. c. 7. §. 35.

Quar. V. An Parochus, qui licentiam absolventi à reser-
vatis non habet, possit penitentem mittere ad alium Paro-
chum vel Religiosum, qui eam licentiam obtinet? Sane
pro Negativa facit, quod Concil. Trid. d. cap. 7. §. 14. velit

penitentem non ad alium quam ad Superiorem remitti, ne
alias reservatio Episcopi facile eludatur. Item quod Paro-
chus alteri Jurisdictionem in suum subditum delegare non
possit in tali materia, in qua ipse eandem non habet, cum
nemo plus juris in alium transferre possit, quam ipse habeat
c. nemo 79. de R. l. in 6. & delegatus non ex propria, sed ex Ju-
risdictione delegantis judicet. arg. c. sane 11. de offic. deleg. Verum
ego quidem non dubito, quin penitens moneri debeat,
ut Episcopum pro absolutione accedat, quod si autem diffi-
culter persuaderi possit vel justam recusandi causam habeat,
plane existimo, quod ad alium habentem licentiam absolven-
di à casibus reservatis recte dimittatur. Neque propterea elu-
ditur decretum Concilii, reservatio Episcopi, quia in tali-
bus circumstantiis etiam ipsum Episcopum teneri ad praestan-
dam licentiam alteri jam supra dictum est. Illud vero vide-
tur habere aliquam difficultatem, quo Jure ab alio quam pro-
prio Parocho vel Episcopo talis penitens absolvatur? Non
enim ordinario, quia subditus non est; neque etiam delegato, quia
à proprio Parocho Jurisdictione circa casum reservatum delegari
non potuit, ut dictum. Sed R. hanc Jurisdictionem ex qua
Confessarius alienum Parochianum ad se venientem cum li-
centia proprii Parochi absolvit, non esse delegatam sed
prorogatam & consequenter ordinariam. Hæc enim est diffe-
rentia inter Jurisdictionem delegatam & prorogatam, quod de-
legatam habens præcise ex Jure delegantis judicet, prorogatam
autem habens judicet ex propria, quia non confertur ipsi no-
va Jurisdictio ab alio, sed tantum alienus subditus sese ipsius
Jurisdictioni subiicit. l. 1. & 2. ff. de judiciis.

Dices, quomodo dignosci poterit delegatane sit Jurisdictio
an prorogata? R. tunc censendam esse delegatam Jurisdictionem,
si commissio dirigatur ad ipsum absolventem novam ipsi Ju-
risdictionem conferendo, prorogatam vero tunc, si ipsi subdi-
to tantum detur licentia, ut alteri, qui aliunde jam Juris-
dictionem habet, se subiiciat cap. significasti. 18. de foro compet.
Porro licet in causis spiritualibus & circa forum internum pro-
rogatio Jurisdictionis sine consensu proprii ordinarii invalida
sit, quia ubi de bono animæ agitur proprius Superior cognos-
cere debet, qui pro ea est rationem redditurus. Barb. in d. c.
significasti. sub n. 8. attamen quod cum licentia proprii Superio-
ris maxime subexistente justa causa prorogatio recte fiat satis ex-
ploratum est; haud enim assignari potest diversitatis ratio,
cur proprius Superior possit alteri suam Jurisdictionem in
suum subditum delegare, & cur non etiam possit ipsi subdito
licentiam dare, ut se alterius Jurisdictioni subiiciat.

Quar. VI. Quid statuendum si habens casus reservatos sit
ex aliena diocesi, & tantum per accidens hic & nunc com-
moretur ad tempus in illa ubi confitetur, v. g. peregrinationis
aut certi alicujus negotii expediendi causa, & c. tres casus in
proposito distinguunt DD. primus est utrum talis penitens
confiteatur casum, qui non sit quidem reservatus in sua, sit
tamen reservatus in Confessarii diocesi? Secundus, an casus
sit reservatus in diocesi Penitentis, non vero in diocesi Con-
fessarii? Tertius, an casus sit reservatus in utraque diocesi
tam penitentis, quam Confessarii? omnes hos casus ex eo-
dem principio resolvunt, videlicet. Quod attendendæ sint
leges loci ubi confessio fit, quia Jurisdictio & iudicium re-
gulariter secundum leges loci, in quo exercetur, proinde in
primo casu putant penitentem absolvi non posse, secus vero
in secundo. Laym. de Sacrament. penit. c. 10. nu. 10. cum cc. ibi-
dem.

Verum Ego circa resolutionem primi casus plane subsisto.
Nam quero, quando casus penitentis non est reservatus in
propria diocesi ipsius, an debeat remitti ad Episcopum pro-
prium, vel Episcopum loci ubi confitetur? non ad proprium,
quia ille casum sibi non reservavit, non etiam ad Episcopum
loci ubi confitetur, quia non est ipsius subditus & reservatio-
nes casuum tantum intelliguntur circa subditos. tex. in d. c. 7.
Trid. §. 14. de Sacram. penit. sunt enim introductæ, ut quilibet
Episcopus suos non alienos subditos in officio contineat,
maxime vero si casus reservatus in aliena diocesi patratum sit,
sicut in cap. 2. de constit. in 6. expresse dicitur, quod excom-
municatio Episcopi extra suum territorium locum non ha-
beat, licet subditus ipsius Episcopi (quanto magis non sub-
ditus) peccatum illud propter quod excommunicatio lata est,
extra territorium Episcopi perpetraverit. Magis promde
existimarem hoc casu penitentem simpliciter absolvi posse,
non obstante, quod iudicium secundum leges loci exercetur
quia hoc procedit regulariter, nisi subiecta materia in casu
aliquo speciali ex adductis rationibus aliud exigat.

Alterius quoque casus resolutio propterea non caret scrupulo,
cum non sit absolute verum, quod semper Jurisdictio
secundum leges loci exercetur. Ecce si quis in Ungaria ha-
bitans, ubi Concil. Trid. receptum non est, contraxerit
Ma-

Matrimonio disputetur ubi Concilium receptum, id non secundum leges loci, ubi disputatur, sed ubi contractum fuit, judicari debet *arg. l. si fundus. 6. de evid. l. 1. C. de emancip. lib. Sanch. de matrim. lib. 3. disp. 18. n. 27.* similiter si testamentum fiat secundum particulares consuetudines alicujus provincie, id in toto mundo validum reputari debet & secundum illas consuetudines judicari *l. 2. C. quemad. testam. aper. Gail. lib. 2. obs. 123.* Verum quidem est, quod quando agitur de solemnitate extrinseca judiciorum v. g. de satisfactione, forma libelli & litis contestatione &c. item & de competentia jurisdictionis, judicandum sit secundum leges loci, sed hoc quatenus causa est in loco judicii, ut quia ibi contractus initus, vel delictum commissum est. hinc etiam Austracus in cujus Patria restitutio in integrum reservatur Principi terræ, *Suring. in process. judic. infer. Aust. obs. 102.* in alia provincia litigans à Judice condemnante restitui potest. *jur. l. 3. C. ubi & apud quem restit. &c.* quia ibi est causa restitutionis scilicet sententia judicis, probatio ommissa &c. & demum hæc obolutio præjudicabit juri & reservationi proprii ordinarii, quam pœnitens facile eludet, si ad aliam diœcesim pro absolutione transierit, sicut ergo prerogatio alienæ jurisdictionis non admittitur, ubi agitur de præjudicio proprii Ordinarii. *c. significasti de foro comp. ita nec hic &c.*

Interim quia prædicta sententia favet conscientie, & pro se habet graves & classicos auctores, nolo damnare practicantem. Sed quid si casus fuerit in utraque diœcesi reservatus? absolvi posse ab Episcopo loci ubi pœnitens constitetur vel qui ab eo potestatem habet exposito principio, quod secundum leges loci judicandum, censet Laym. *d. l. verum* quia istud principium habet multas limitationes, ut ostensum, ideo probabilius mihi videtur, pœnitentem esse remittendum ad suum proprium Ordinarium vel ab eo potestatem habentem, si casus in ipsius diœcesi commissus sit, nam ad ipsum pertinet, eradicate evellere & dissipare vitia suæ diœcesis & suorum subditorum, & ita Castro Palao. *Sacram Pœnitent. disp. an. punct. 15. § 4. n. 1.* generaliter & recte docet, casus reservatos à nullo, quam à reservante, & cui is potestatem dederit vel superiore ejus absolvi posse.

Quæ. VII. Utrum reservatio casuum duret etiam post mortem Episcopi, & sede Episcopali vacante? **R.** si reservatio sit facta à Synodo Provinciali vel diœcesana per modum statuti perpetui, tunc durabit etiam post mortem Episcopi, *arg. cap. fin. ubi gl. v. statuta de offic. leg. & habens Casum Reservatum sede vacante mittendus erit ad Vicarium Capituli.* Qui tamen à defuncto Episcopo habuisset licentiam absolventi à casibus reservatis, is eandem (nisi tempus, ad quod licentia restricta est, jam effluxisset) etiam sede vacante exercere possit, quia gratia non expirat morte concedentis. *cap. si cui. de præb. in 6. Sanch. de Matrim. lib. 8. disp. 28. n. 72.* Sin autem non constet de tali Statuto perpetuo, sed Episcopus defunctus proprio motu sibi reservaverit casus aliquos (quod videtur in dubio præsumi posse, quando nulla extant statuta synodalia, quæ communiter solent typis imprimi) tunc hæc reservatio una cum Persona Episcopi expirasse censetur, & sede vacante quilibet Confessarius absolvere poterit. *Zerola in præxi Episc. p. 1. v. Casus reservati n. 4. Em. Sa. v. Absolutio n. 20.*

Specialia quædam notanda circa casus Papales.

I. Nullus casus est Papæ reservatus nisi qui simul habeat annexam censuram excommunicationis. *Nav. in Man. c. 27. n. 101.* ideo

II. Si Pœnitens propter aliquas circumstantias possit excusari, quod censuram non incurrerit, quamvis casum illum reservatum perpetrarit, non est mittendus ad Papam, sed à Parocho vel alio Confessario absolvi poterit.

III. Cum nulla excommunicatio vel Censura incurratur nisi propter peccatum mortale, ideo quotiescunque aliquis Casum Reservatum sine peccato mortali perpetravit, puta ob ignorantiam invincibilem, inadvertentiam, non sufficientem deliberationem, parvitatem materię, &c. toties etiam à censura, & consequenter à reservatione excusabitur. *Cov. in select. cap. alma mater. de sent. excom. in 6. §. 9. n. 1.*

IV. Favore Conscientię quorundam est opinio non affici aliquem censura Ecclesiastica, non tantum si ex probabili & tolerabili ignorantia nesciat actum quem agit esse prohibitum, sed etiam si sciat esse prohibitum, ignoret autem esse censuram annexam, sicut hujusmodi probabilis & tolerabilis ignorantia datur in constitutionibus & canonibus, non ita per locorum Ordinarios publicatis, maxime circa feminas, milites, rusticos, pupillos & minores, utpote

qui alias per Juris ignorantiam excusantur. *l. cum de indebito. 25. §. de probat. quam sententiam tenet Aug. in v. excommunicatio. 7. cas. ult. & videtur probare Sylv. in v. ignorantia. §. 8.* Non obstat, quod rusticus v. g. grave delictum perpetrans ultimo supplicio afficiatur quamvis ignoret, tam gravem penam delicto esse præfixam, sicut in contrarium argumentatur *Cov. in d. c. alma mater. §. 10. n. 9.* Nam impudens vel delinquens scit, actum quem agit esse prohibitum, vel ignorat: si scit, vix potest contingere, ut ignorantia penæ non sit nimis crassa & affecta, siquidem penæ publicæ & toto mundo inspiciente solent infligi: si ignoret, actum quem agit esse prohibitum, ejusque ignorantia probabilis fuerit, falsum est suppositum, quod pena præteritum ultimi supplicii recte placeatur. Deinde quidquid sit in aliis causis, diversa est ratio in Censuris, quæ sine contumacia & saltem interpretativo contemptu ipsarum censurarum non incurruntur, contumacia autem quod in ignorante non detur per se clarum est, & etiam advertit *Cov. d. §. 10. n. 7. optimus tex in c. 2. de Constit. in 6.*

V. Circa excommunicationes, quæ ipso jure inferuntur, etiam ad consuetudines locorum attendendum erit, quia multæ excommunicationes, quas Authores longa serie recensent, in Germania receptæ non sunt, vel certè contrario usu abrogatæ sunt *testo Henric. Magnigare. in suis parvis resolut. Moral. cap. 5. §. 9.* quod autem lex non recepta non liget, communiter sentiant DD. *per tex. in c. in istis. §. leges. dist. 4. Nav. in Man. cap. 23. n. 41. Menoch. lib. 2. præsumpt. 2. & quod lex etiam recepta per contrariam consuetudinem tolli possit, constat ex cap. fin. de Consuet. & pluribus aliis locis.* quæ sane consuetudo vel exinde rationabilis est, ne ob multitudinem censurarum fideles periculum animarum suarum incurrant, & nervum Ecclesiasticæ discipline contemnant. *arg. tex. in Trid. s. 25. de reform. cap. 3. & in c. 2. de Constit. in 6.* Specialis est difficultas, quid censendum sit, de casibus Papalibus in *Bulla Cane Domini* reservatis, an etiam illa Bulla possit dici non esse recepta, cum tamen singulis annis rigorosè Romæ promulgetur? Audivi à viris fide dignis, quod aliqui Magni Principes Germaniæ non sint passi illam Bullam in suis territoriis promulgari, forte quia plurimum defendit immunitatem Ecclesiasticam. Sed an id jure fecerint, aliis disputandum relinquo. Interim ad nostrum propositum dicendum videtur, subditos habere justam ignorantie causam, & consequenter non incurrere censuras prædictæ Bullæ, si in aliqua diœcesi non promulgentur. *tex. not. ab. in cap. cum infirmitas 13. de pœnit. & remiss. ibi postquam per Prelatos locorum fuerit publicato &c. & tenet Cajet. in 1. 2. q. 90. art. 4.* ac in specie quod Bulla Censuræ non recepta non liget, asserit *Nav. Consil. 1. de consil. 74. in summaris Paul. Laym. de excom. cap. 5. sub. n. 2. ubi refert Becanum idem sententiam,* quidquid forte sit de aliis causis civilibus & judicialibus, quæ periculum animarum non ita immediatè tangunt, in quibus ex stilo Curie omnes Bullæ Romæ tantum promulgatæ hoc ipso etiam in partibus obligant, aliud tamen est circa Bullas continententes censuras, ad quas incurrendas requiritur contumacia, & consequenter scientia acquisita ex debita promulgatione vel usu ac consuetudine, *argum. cap. cum infirmitas de pœnit. & remiss. Cockier de juris. Ord. in exem. p. 1. q. 50. à num. 5. & quia in dict. cap. cum infirmitas requiritur publicatio per ordinarios faciendâ, non sufficit scientiam censuræ ex lectione librorum acquisivisse, nam aliàs, non foret consultum SS. Canonibus vel casibus conscientie studere, & rudes atque indocti melioris conditiones forent, quàm illi, qui se pro Ecclesiæ utilitate literatos, & doctos reddiderunt. Illud verò hic advertendum est, nulla consuetudine effici posse, ut delicta in Bulla Censuræ vel aliis Canonibus specificata licita fiant, sed tantum, ne propterea censura reservata incurratur, quæ juris solidum humani penæ est.*

VI. Nulla excommunicatio vel casus Reservatus incurritur propter actum merè internum, v. g. peccatum cogitationis, hæresim mentalem &c. quia Ecclesia non judicat de internis & occultis, sed requiritur actus externus verbo vel opere externo demonstratus, & quidem consummatus, *vid. infra sub casu Bullæ 13.*

VII. Qui casum Papalem habent ab Episcopo absolvi possunt, si sint ejus conditionis, quod Romam venire sine magna difficultate non possint, uti sunt femina, pueri, filii fam. in potestate patria constituti, senes, infirmi, habentes inimicitias capitales, aut aliud justum impedimentum, propter quod tale iter suscipere nequeant, ita tamen, ut hi qui impedimento temporali laborant (exceptis pueris, qui etiam post pubertatem ab Episcopo absolventur, cum propter puerilem ætatem, in qua delictum admiserunt, veniam mereantur) cessante impedimento debeantur Sedem

Apostolicam accedere. Item magni & potentes Domini absolvuntur quidem in partibus, sed S. Pontifex prius debet de statu Personæ & qualitate causæ certiorari, ut absolutio secundum ipsius mandatum impendatur, *vid. tex. in cap. mulier. 6. cap. de cetero. 11. c. quamvis. 58. & c. fin. de sem. excom.*

- 14 VIII. Demum hodie plerumque non est necesse penitentem cum casu Papali Romam mittere, quia Legati aut Nuntij Apostolici in partibus existentes, vel etiam diversorum ordinum Religiosi præsertim mendicantium potestatem & privilegium habent a casibus S. Pontifici reservatis absolvendi. Sed de huiusmodi specialibus Privilegiis illi ipsi Religiosi consulendi erunt: nam S. Congreg. Episcop. & Regul. de Mandato Clem. VIII. die 9. Mensis Jan. Anni 1601. resolvit, quod quicunque Regularis cuiusvis Ordinis, Congregationis, Societatis & Instituti tam intra quam extra Italiam virtute privilegiorum suorum quorumcumque non possint absolvere à casibus in Bulla Censuræ vel Episcopis reservatis. prout hanc resolutionem in terminis refert Quaranta in *Summa Bull. verb. casus reservati. n. 13.* & ex Aldan. allegat. Barb. in *Collest. ad c. 7. Trid. s. 14. de Sacram. Pœnit. n. 23.* ubi ponit hanc resolutionem esse datam 17. Novemb. 1628. quod forte de renovatione intelligendum est, quia *Data* apud Quarant. *d. l.* est antiquior.

CATALOGUS

Excommunicationum Papæ reservatarum.

Casus Papales alii sunt in *Bulla Censuræ*, alii extra Bullam in aliis Canonibus reservati. In Bulla Censuræ fertur excommunicatio reservata.

I. *Contra hæreticos, eorumque fautores, ac libros legentes retinentes vel imprimentes, item & Schismaticos.* Circa hunc casum aliqua advertenda sunt & imprimis tria requiri, ut hæc excommunicatio incuratur. I. ut aliquis sit *formalis* hæreticus, id est, scienter & pertinaciter eligens vel credens aliquid contra veritatem Ecclesiæ Catholicæ, non autem sufficit aliquem esse hæreticum *materialiter*, qui scilicet sine pertinacia & ex ignorantia licet crassa hæresim sequatur. *c. dixit Apostolus. & cap. qui in Ecclesia. 24. q. 3.* Unde qui à secta Lutheri vel Calvini recedere cupiunt, si probabili vel saltem non mortaliter culpabili ignorantia laborasse videantur, à locorum Parochis jure absolvi possunt. Ecclesiarum tamen consuetudo serme requirit, ut tales ad eos mittantur, qui absolvendi ab hæresi licentiam habent. II. requiritur, ut hæresis non solum in animo consistat, sed verbo aut facto extrinsecus significetur, quia ad hunc in re interno Ecclesia non ponit penam, *c. cogitationum de pœnit. dist. 1.* ideo talis hæreticus pure mentalis, à quolibet Confessario absolvi poterit. III. ut actio externa sit moraliter mala, & fiat animo profitendi vel defendendi hæresim, atque ita ab aliis accipiatur. Proinde qui causa querendæ instructionis alteri suam hæresim detegit, vel qui à missa abstinet vel diebus jejunii carnes comedit animo hæretico, videntes autem existimant id ex alia causa fieri, vel si verbum hæreticum ab audientibus jocus putetur, non incurretur excommunicatio, quia actus externus in morali hominum acceptione non est hæreticus, & actus internus pœna excommunicationis non afficitur.

De dubitante in aliquo fidei articulo controvertunt DD. an sit hæreticus censendus? quidam affirmant *arg. c. 1. de hæretic. & quod negare articulum fidei esse certum, sit hæreticum, dubitans autem saltem implicite neget esse certum, alias non dubitaret.* Verum alii benignius dubitantem non quidem à peccato, sed tamen à formali hæresi & hæreticorum pœnis excusant apud Barb. in *d. c. 1. n. 2. & 3.* quia hæresis est actualis electio erroris contra fidem, dubitare autem est quid medium, nec ponit actualem electionem vel reprobationem, sicut inter placere & displicere medium est, non displicere, sive nec placere, nec displicere. *tex. vero in d. c. 1. explicari potest, quod in foro externo præsumatur hæreticus, qui pœnam suam dubitationem jactat, nec paratus est à Doëtoribus erudiri.*

Receptatores, fautores & defensores hæreticorum illi solum intelliguntur, qui hæretico favorem & auxilium exhibent, non in aliis negotiis, sed quatenus hæreticus est, ut hæresim suam facilius docere, defendere, aut manus iudicis effugere possit, quamvis ipsi actualem fidem (alias enim Bulla gratis inter hæreticos & receptores distingueret) ei non habeant. *arg. h. 2. ff. de receptat. limitatur tamen. I. nisi persona sit val-*

de conjuncta, ut patris aut filii &c. *arg. l. 2. ff. de her. leg. 2. ff. de her. leg. 2. ff. de her. leg. 2. ff. de her. leg. 2.* Ut tunc procedat, si ex receptione malus effectus securus sit. Infideles nunquam baptizati extra Ecclesiæ jurisdictionem sunt, & ideo censura non afficiuntur. secus est de apostatis à fide, qui subiacent hæreticorum pœnis, sicut enim character baptismi indelebilis, ita indeclinabilis Ecclesiæ jurisdictioni.

Circa *libros hæreticorum* notant communiter DD. quod ex usu præsertim Germaniæ tunc solum sub censura prohibiti sint, si ex instituto de religione tractent. (supposito etiam, quod legens sciat esse librum hæreticum & sub censura prohibitu) non autem si de jure, medicina vel alia materia, licet aliqua hæretica interferant: Item quod parvitas materiæ (quam communius ad lecturam unius paginæ restringunt) à censura excuset. Ait etiam Mart. Becan. *22. c. 15. q. 8. n. 5.* ubi Bulla *Censuræ* vel index librorum receptus non est, Catholicos in Germaniâ non excommunicari, qui legunt libros hæreticos. Quæ sententia præsertim in illis locis deservire potest, ubi omnia sciant hæreticis & hæreticorum libris, ubi enim facilis est peccandi materia, non expedit tam gravem censuram dictare, ne conscientis laqueus iniiciatur, cum lex debeat esse non valde difficilis, sed utilis secundum patriæ consuetudinem loco & tempori conveniens. *c. 2. dist. 4.*

Item licet forsan in aliquibus locis bulla aut index librorum receptus non sit, quoad censuras, non tamen passim excusandi sunt à peccato, qui libros prohibitos & obscænos legunt propter perditionis periculum.

Index porro librorum habet duas classes, in prima prohibentur libri hæretici sub censura reservata: in altera continentur doctrinam falsam vel bonis moribus repugnantem sub censura non reservata. Inter alia in hoc indice prohibentur etiam legi Biblia sacra vulgari idiomate sine Episcopi vel inquisitoris licentia, sed & hoc in Germaniâ non esse receptum, testatur Laym. *lib. 2. tract. 1. c. 15. n. 8.* & optandum foret magno opere, ut præsertim Clerici & doctiores diligentius in lectionem S. Scripturæ incumberent, ne quod frequenter cum magno Catholicorum scandalo accidit, à quibusvis etiam plebeis hæreticis contunderentur. Ego sane quoties Scripturam lego, magis contra hæreticos confortor, quia semper deprehendo, quod vel mutilate aut depravate Scripturas allegent, vel textus aliquos notent, quos præter intentionem Scripturæ interpretantur ad vitæ carnalis licentiam, omittentes textus illos, qui ad perfectionem spiritus castigata carne & rigorem observantiæ mandatorum & consiliorum Dei tendunt. *vid. sup. par. 1. c. 3. n. 7. & par. 2. cap. ult. de jejun. perfectissimum autem hæreticorum à fide Catholica recedentium speculum est Epistola 2. Petri cap. 2. una cum commentario Cornelii à lapide.*

Quod si Parochus inter suos quosdam habeat, aut suspicetur hæreticos, non est semper consultum scholastica disputatione cum iis contendere; docti enim ob pertinaciam, & indocti ob ruditatem non capiunt vim argumentorum, præsertim verò non debent ipsis nova dubia in fide proponi, quam quæ ipsimet ex se prius conceperunt, ne magis dubii reddantur. Igitur potius expedit mansuete cum iis agendo tollere radicem hæresis, eos disponendo ad veram suorum delictorum penitentiam, remonstrando ex Scriptura & SS. Patribus peccatorum gravitatem & qualiter nos à regno Cælorum excludant. nam certissimum est, radicem hæresis esse peccatum, præsertim carnis, avaritiæ, justitiæ, teste Apost. *1. ad Tim. 6. Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide. 1. ad Tim. 1. reppellentes conscientiam circa fidem naufragaverunt. 2. ad Tim. 3. mali homines proficiunt in pejus errantes & in errorem mittentes.* Examinent se ipsos hæretici, considerent pietatem & zelum resipiscientium ab hæresi, contra malitiam ad hæresim transeuntium.

II. Excommunicatio reservata est contra eos, qui à *sententia Romani Pontificis ad futurum Generale Concilium appellarunt, vel quorum favore aut auxilio appellatum fuerit.*

III. *Contra Piratas maritimos eorumque fautores, qui mare S. Pontificis infestant.*

IV. *Contra occupantes bona naufragantium.*

V. *Contra imponentes nova pedagia, vel gabellas extra casus sibi permisso.*

VI. *Contra falsificatores litterarum Apostolicarum.*

VII. *Contra dantes auxilium, equos, arma, vel materiam armorum infidelibus aut hæreticis, vel qui eos de statu Catholice Religionis certiores faciunt.*

VIII. *Contra impediennes vias ad Curiam Romanam deferri.*

IX. *Qui accedentes ad Sedem Apost. vel recedentes ab ea, vel morantes in Curia, per se vel per alios interficiunt, mutilant, spoliunt, capiunt vel detinent absque jurisdictione legitima.*

X. Qui offendunt Romipetas, vel peregrinos ad urbem causa devotionis.

XI. Contra eos, qui affligunt, vel persequuntur Cardinales, Patriarchas, Episcopos aut Legatos Sedis Apostolicæ.

XII. Contra percussiones aut spoliantes eos, qui in Curia Romana pro se vel pro aliis causas agunt, aut iudicant, occasione delictorum causarum. Aliqualiter differt hæc censura ab ea, quæ superius loco nono posita est, quia ista etiam comprehendit iudices & advocatos (si modo propter negotium in Curia actum offendantur) superiores solum accedentes.

XIII. Contra eos, qui prætextibus frivolum quandam appellationem recurrunt ad Laicam potestatem in causis Ecclesiasticis ad impediendam executionem litterarum Apostolicarum. Item qui impediunt pro suis negotiis ad Rom. Curiam accedere, vel litteras Apostolicas impetrare volentes.

Sed quia S. Pontif. dicit prætextibus frivolum appellationem &c. ideo non desunt, qui cum Sayr. l. 3. thesaur. casuum conscient. c. 17. n. 3. probabile reputent, tantum frivolum appellationem sine ulla causa interpositam ad Laicum Iudicem comprehendere. Et Covar. pp. 99. cap. 35. n. 3. refert in Hispania esse praxim, quod gravatus à iudice Ecclesiastico possit simpliciter querelam deferre ad tribunal Regium, cui dein competat causam examinare, & data iniustitia iudicem Ecclesiasticum ad refectionem actorum compellere. Attamen hæc praxis sepositis specialibus privilegiis sustineri nequit. teste Laym. l. 4. tract. 9. c. 4. Azor. tom. 1. inst. mor. lib. 5. cap. 14. nec regulariter salva immunitate Ecclesiastica recursus ad iudicem secularem etiam ob denegatam iustitiam in foro Ecclesiastico admittitur, propter defectum scilicet jurisdictionis in iudice seculari, sed ad superiores Ecclesiasticos, eisque ad Papam, qui ulterius à nemine iudicatur, sed tota ipsius causa DEI iudicio reservatur. c. si Papa d. 40. Interim consuetudo immemorabilis, licet de rigore juris non usquequaque subsistens vel gravis Doctoris sententia, sicut potest à contumacia, ita etiam à censura excusare, insinuat Palao de consur. disp. 3. punct. 14. n. 3. ubi etiam sub n. 8. v. notandum putat, in casu manifesta injuriæ recurrentem ad tribunal seculare non incurrere hanc censuram, quod non sit verisimile Ecclesiam injuriantem a Pontifice censuris protegi. & cum Ecclesiam non concedatur jurisdictionem ad injuriandum, non videtur iudex secularis vel recurrentis in tali casu ejus jurisdictionem impedire, sed tantum facto injuria per modum naturalis defensionis resistere. Sed hoc vix unquam contingit, ut injuria sit tam manifesta quin aliquo examine judiciali indigeat, quod examen profecto iudici seculari permittendum non est, qui potius in dubio pro iudice Ecclesiastico præsumere debet, quam ejus processum sub suam jurisdictionem revocare. Illud vero satis probabiliter asseritur à Palao. d. l. n. 19. contra Bonac. de consur. disp. 1. q. 14. p. 2. n. 27. quod ad incurrendam censuram requiratur, ut impeditio litterarum Apostolicarum actu & cum effectu secuta sit, nec sufficiat tentasse impedire. Quia verba accipienda sunt cum effectu, præsertim in lege penali, quæ interpretatione potius mollienda est. l. pen. ff. de penis. huc facit, quod extra delicta gravissima & casus specialiter in jure expressos solus conatus ad delictum ex generali consuetudine non puniatur pena ordinaria. vid. Covar. in relect. Clem. si furiosus p. 2. in princ. n. 6. & l. cum citatis ibidem. Harp. ad tit. Inst. de publ. ind. §. 5. n. 386.

XIV. Qui quocunque prætextu causas spirituales à iudicibus Ecclesiasticis avocant, ut illarum executionem impediunt. hanc censuram aliqui DD. limitant, ut tantum locum habeat, in iudiciis Laicis avocantibus, & à iudicibus, non quibuscunque Ecclesiasticis, sed dumtaxat Apostolicis, vid. Cast. Palao de consur. disp. 3. punct. 15.

XV. Contra personas seculares, qui directe vel indirecte ad sua tribunalia trahunt Ecclesiasticas, vel aliquid in præjudicium Ecclesiasticæ immunitatis sub quovis prætextu privilegii vel consuetudinis statuant, aut statuta utuntur. Hæc & prior censura procedit etiam contra Ecclesiasticos, qui potestate laica, qua funguntur, contra committunt.

XVI. Contra impediendo directè vel indirectè Prælatos Ecclesiasticos ne sua jurisdictione utantur. Item recurrentes ad curias seculares, ab iis impetrantes mandata contra Iudices Ecclesiasticos, & qui talia mandata decernunt exequantur vel consilium favorem aut patrocinium præstant.

XVII. Contra usurpantes jurisdictionem aut fructus pertinentes ad personas Ecclesiasticas ratione beneficiorum, junde Trid. sess. 22. c. 11. Non tamen comprehendit usurpationem fructuum locationum, et si locatio sit facta Clerico, cum Bonacina & Duarado docet Palao. d. l. punct. 18. n. 21. quia non percipiuntur ex beneficio sed ex locazione.

XVIII. Contra imponentes aut recipientes decimas aut alia onera à personis Ecclesiasticis absque Papa licentia. nec non, qui

per se vel alios directe vel indirecte prædicta facere, eque, vel procurare aut consilium, auxilium vel favorem præstare non verentur. Volunt vero hic iterum DD. talem exactionem debere fieri ex potestate laica, Olim etiam excommunicationem reservatam incurrere Clerici solventes. c. Clericis. de immunit. Eccles. in 6. quod postea sublatum est in Clem. quoniam. eodem tit. quando vero licet à personis Ecclesiasticis exigere, dictum est supra p. 1. de Immunitate Eccles.

XIX. Contra iudices, notarios, scribas, executores, se immiscuentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas eas processando, banniendo &c. nisi id fiat in casibus permixtis ex licentia Papæ, vel ad invocationem brachii secularis per iudicem Ecclesiasticum. vel si Clericus in gravi crimine deprehensus & de fuga suspectus sit, aut à delicto aliter compesci nequeat, plures docent eum à iudice Laico capi & ad Ecclesiasticum remitti posse, dummodo major violentia non adhibeatur, quam Clerici resistentia exposcat. Pan. in c. cura non ab homine. de iudic. Laym. lib. 4. tract. 9. c. 4. n. 6.

XX. Contra destruentes, invadentes, usurpantes vel occupantes terras Romanæ Ecclesie subjectas, & qui ad id consilium, auxilium, & favorem præstiterint.

Excommunicationes reservatæ extræ Bullam Cœnæ.

PRÆTER 20. Casus in Bulla contentos, adhuc ex aliis Canonibus Bullis & Auctoribus 88. refert Barbosa de offic. Episc. p. 3. alleg. 50. quorum tamen censuræ plurimæ vel specialiter Religiosos Ordines vel statum & terras Pontificias concernunt, referam ergo, quæ frequentius occurrere possent.

Prima est, eaque hominibus maxime cognita & usa recepta, contra percussores Clericorum. cap. si quis suadente. 17. q. 4.

Nomine Clericorum intelliguntur imprimis in sacris constituti, etiam excommunicati, suspensi, aut verbaliter depositi, etiam in minoribus constituti, si habeant conditiones Concilii Trid. sess. 23. de ref. c. 6. qui nimirum beneficium Ecclesiasticum possident, vel habitum & tonsuram deferentes: alicui Ecclesie de mandato Episcopi inserviunt, vel in seminario Clericorum aut in aliqua Schola vel universitate de licentia Episcopi quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versantur, licet vero Concilium tantum de privilegio fori loquatur, idem tamen magis procedit de privilegio canonis, si illud enim jure divino datum amittitur ex defectu dictarum conditionum, multo magis istud jure tantum humano positum. Item Monachi, moniales, conversi & novitii hæc canone gaudent. c. non dubium. c. de monialibus. x. & Religioso. de sent. excom. in 6.

Nomine percussoris aut violentæ manuum injectionis intelligitur quælibet injuria afflictio corporalis, ut si in publica vel privata custodia detineatur, si per violentiam vestibus exuatur, si quis eum hostiliter insequatur, ut in fluvium aut fossam vel equo decidat. c. nuper. 29. & ibi DD. de sent. excom. Præterea hæc censura tenentur etiam mandantes consentientes (si percussio actu secuta sit, nec mandatum prius revocatum) consentientes, non impediendo (saltem si ex officio impedire teneantur) item percussorem suo nomine factam ratam habentes. c. quantæ mulieres. 6. §. illi vero c. 47. de sent. excom. cap. cum quis. 23. eod. in 6.

Excusantur autem ab hac censura I. ignorantibus invincibiliter percussum esse Clericum, vel etiam ipsam censuram.

II. Si percussio vel ob levitatem, vel casum, aut non sufficientem deliberationem, amentiam, vel ebrietatem usu rationis privantem in genere percussione ad culpam mortalem non pertingat.

III. Qui violentiam adhibent Clerico incorrigibili post erinam monitionem Episcopi enormitatibus seu seditionibus se immiscenti, aut qui aliter à delicto compesci non potest. c. cum ab homine. 14. & c. perpendimus. 23. de sent. excom.

IV. Qui manus violentas injecerit in Clericum cum uxore, matre, sorore aut filia (secus est de personis in gradu remotioribus) turpiter inventum. c. si vero. 3. de sent. excomm.

V. Si percussio Clerici necessaria, sit ad defensionem corporis, bonorum vel pudicitie in persona propria vel proximi, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ. d. c. 3. & c. ex tenere 10 jam d. viz.

VI. Laici Ministri, qui ad mandatum iudicis Ecclesiastici capiunt vel torquent Clericos. cap. ut fame. vers. Laici eod. tit. Non vero excusantur qui percussum malo se irato animo Clericum, etiam se ultro ad verbera offerentem juxta Consilium Evan. Matth. 5. si quis percusserit te in dextram maxillam, præbe ei & alteram. c. contingit. 36. de sent. excom. secus si ex joco, vel

vel dum in die pasche personam Christi agit. in tali enim percussione abest animus injuriandi, & actio ipsa externa non est Ordini clericali injuriosa. Imo tamen percussio habet occultam vindictæ cupiditatem, peccaret quidem propter eam, probabilius tamen à censura excusaretur, quia actio externa, cui soli censura infligitur, in morali hominum acceptione non est Clerico injuriosa. prout etiam supra sub primo casu Bullæ de hæretico occulto dictum. Utrumque ergo copulative requiritur, intentio & actio injuriosa. Ideo si quis volens percutere Titium Laicum vel etiam Clericum casu vel errore percussisset Caium Clericum, quem aut noluit percutere, aut si voluit, ignoravit esse Clericum, quia forte in tenebris habuit obvium, non incurret censuram ex intentionis defectu, secus tamen si novisset Clericum, sed putasset alium suum inimicum, quia tunc fuit formaliter proposita & exercita percussio Clerici, quamvis in persona erratum Covar. in c. alma Mater p. 1. §. 10. n. Laym. de Conf. c. 5. n. 8.

II. Excommunicatio reservata est contra retinentes penes se litteras Papales falsificatas & non destruentes intra 20. dies c. dura. de Crim. falsi. requiritur tamen, ut prius hæc censura generalis per singulas Parochias promulgetur. In Bulla Censæ sexto casu excommunicantur falsificatores, sed ibi non fit mentio mandantium, fautorum, ideoque hi tantum incurrunt excommunicationem, cap. ad falsariorum de Crim. falsi. Barb. d. alleg. 50. n. 86. quæ ibidem non legitur reservata.

III. Excommunicatus à Papæ delegato post annum absolvitur à sole Papæ. c. querenti. de offic. delegati. consilii. de offic. Legati.

IV. Contra Clericos scienter & sponte admittentes excommunicatos à Papæ ad divina officia, c. significavit. 18. de sent. excom. quod tamen hodie post Concilium Constant. & extravag. ad evitanda de excommunicationis denunciatis vel notoriis percussoribus Clericorum intelligendum.

V. Contra incendiarios postquam fuerint denunciati. c. tua nos. 19. de sent. excom.

VI. Contra frangentes & spoliantes Ecclesias, postquam similiter ab Ordinariis locorum excommunicati denunciati fuerint. c. conquisiti 22. de sent. excom. Si ex rationabili causa vel usu loci committatur publicatio, non erit censura reservata, quod si absque violentia res de Ecclesia subtrahantur, magis inter DD. receptum est, non incurrì ipso jure censuram. Barb. in eod. cap. 22. n. 2. arg. cap. ult. de furt. allegat quidem Barb. de offic. Episc. d. alleg. 50. n. 117. Bullam 3. Sixti IV. & n. 183 Bullam Sixti V. cum provida. ubi extrahentes lapides vel ornamenta ab Ecclesia excommunicationem reservatam incurrunt, sed in Bullario, quod ad manus habeo, reperire non potuit.

VII. Quis per se vel per alium injuriosum gravamen insulerint confessoribus, aut censuram observantibus, nisi intra octiduum satisfaciant, incurrunt excommunicationem, quæ post duos menses incipit esse reservata, si prius non sit petita absolutio, cap. quicumque 11. de sent. excom. in 6.

VIII. Contra Dominos temporales, qui malitiose impediunt interdicti vel excommunicationis effectum. clem. gravis. de sent. excom.

IX. Contra eos, qui cadavera ad alium locum transferenda in frustra committunt, prout describitur in extravag. 1. de sepult. inter com.

X. Contra committentes simoniam in ordine vel beneficio aut Religionis ingresso. Extravag. 1. & 2. de Simon. inter com. intelligitur tamen de simonia reali cum actuali traditione & acceptione rei temporalis pro spiritali, non de sola mentali aut conventionali.

XI. Contra retinentes aut recipientes palam vel occulte beneficia in confidentiam. Pius IV. in consilii. Romanus Pontif. & Pius V. in consilii. intolerabiles. quænam vero dicatur simonia confidentialis, vid. Laym. lib. 4. tract. 10. c. ult. §. 8.

XII. Contra absolventes prætextu privilegiorum invalidorum & revocatorum à cassibus Papalibus vel Episcopalibus, vel commutantes 5. vota reservata Extravag. si dominici 5. de penit. juncto decreto clem. VIII. edito 9. Jan. 1601.

XIII. Contra eos, qui largiuntur, vel accipiunt aut promittunt in Curia Romana ad obtinendum justitiam vel gratiam. Bonif. 8. in Extravag. 1. de sent. excom. Greg. XIII. in Bulla. ab ipso Pontificatus &c.

XIV. Contra quemcumque Episcopum aut patronum tam Ecclesiasticum, quam Laicum, qui à collatione aut presentatione suspensus beneficium contulerit, ad id presentavit, vel instituit. Pius V. consilii. 58. contra Ecclesiam DEI.

XV. Contra exigentes juramenta, de observandis statutis contrariis Concilio Trid. Greg. XIII. in consilii. 103. inter Apostolicas.

XVI. Contra asserentes mortaliter peccare, vel esse hæreticos, qui à sensibus vel colunt immaculatam B. V. Conceptionem, Extravag. grave nimis de relig. & ven. sancti. Pius V. consilii. 14.

XVII. Contra asserentes confessionem Sacramentalem posse per litteras inter absentes fieri. Decretum Clem. VIII. apud pias. in praxi Episc. p. 2. cap. 1. n. 6.

XVIII. Contra predicantes miracula falsa aut prophetias non contentas in sacra Scriptura. Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. notat tamen Navar. in man. c. 27. nu. 111. Censuras hujus Concilii non fuisse receptas.

XIX. Contra duellantes, locum ad duellum concedentes, suadentes ac auxiliantes, spectantes. Concil. Trid. sess. 15. de ref. c. 9. sed spectatis verbis Concilii, hæc censura reservata non est, postea verò Clem. VIII. eam reservavit. putat tamen Paul. Laym. lib. 3. tract. 3. p. 3. c. 5. sub n. 4. apud Germanos aliisque Septentrionales hanc reservationem receptam non esse. Præterea ista intelligenda sunt de duellis ex condicito, statuto & loco, ac cum ordinario vitæ periculo, quare non incurretur censura, si duo subito in platea rixam & pugnam incipiant, vel si pugnis tantum aut armis ordinariè non mortiferis congregiantur, vel si tantum compareant in loco absque actuali pugna, verba enim in penalibus cum effectu & propriè accipienda, & sola comparitio non est duellum. Barb. in collect. ad d. cap. 19. Trid. n. 12. Quod etiam de spectantibus dicitur, accipiendum est de illis, ex quorum præsentia duellantes redduntur audaciores, non qui obiter in transitu non figendo pedem, vel clam & occultè aspiciunt.

XX. Contra quemcumque Christianum, qui alium Christianum in terris Turcarum habitantem tanquam manservitum cepit, aut ejus bona diripuit, vel qui non permittunt Christianos captivos apud Turcas, postquam illos ceperint, liberè abire cum suis conjugibus & bonis. Pius V. Consilii. 149. licet omnibus.

XXI. Contra ingredientes absque licentia debite obtemperantia Monasteria Monialium. Trid. s. 25. de Regulari. cap. 5. juncta Bulla Greg. XIII. ubi gratia. Sed quia hæc censura in Trid. non est reservata, & Bulla Gregorij videtur principaliter loqui de personis quibusdam illustribus, qui prætextu privilegiorum olim sibi concessorum, nunc verò revocatorum Monasteria ingredi præsumunt, ided plurimum est DD. sententia censuram tantum in hoc speciali casu reservatam esse: cæterum autem à quovis Confessario absolvi posse. arg. c. nuper. de sent. excom.

Contra mulieres ingredientes Monasteria virorum non habetur lata censura, quamvis interim talis ingressus ob circumstantias scandalii vel periculi facile possit esse peccaminosus. Allegatur quidem & hic d. Bulla Pij V. quæ incipit Regularium. inferens censuram reservatam mulieribus, sed & istas Bullas de ingredientibus sub prætextu privilegiorum revocatorum interpretatur Suar. tom. 5. de cens. disp. 22. sect. 6. n. 11. Laym. de statu Religionis c. 12. n. 4. refert autem Navar. de Regul. Comment. 4. nu. 62. Pium V. declarasse suam Bullam universim de mulieribus ingredientibus Monasteria virorum procedere, sed responderi potest cum eod. Laym. d. n. 4. hanc declarationem saltem in Germania non apparuisse in forma authentica aut Episcopis transmissam vel usu receptam fuisse.

Adnotatio de Excommunicatione & ejus Effectu.

Pro coronide hujus catalogi excommunicationum placuit aliqua breviter de ipsa hac censura describere.

EXcommunicatio igitur est censura Ecclesiastica, per quam homo Christianus à communione fidelium excluditur. Hæc censura introducta in Ecclesiam creditur, tum ex potestate ligandi & solvendi Ecclesiasticis Prælatibus à Christo tradita, tum ex illis verbis Matth. 18. si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus &c. tum etiam ex facto Apostoli, qui 1. ad Corin. 5. & 1. ad Timoth. 1. in fin. quosdam incorrigibiles satane tradidit. quem locum de excommunicatione interpretatur divus Augustin. in c. omnis 32. causa 11. q. 3. quia extra Ecclesiam, inquit, diabolus est, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi Diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione remouetur. &c.

Censura excommunicationis etiam alio nomine sæpius in jure anathema dicitur. anathema enim græca voce in genere significat separationem & divisionem à reliquis rebus, aliquando causa honoris, prout anathema dicuntur Divo-

Divorum dona, quæ in Templis suspenduntur, aliquando & frequentius causa execrationis, & damnationis prout hæreses & hæretici, aliique peccatores incorrigibiles ab Ecclesia anathematizantur. Interim licet excommunicatio & anathema essentialiter non differat, differunt tamen quoad solemnitatem, nam excommunicatio sola sententia iudicis in scriptis concepta profertur. *cap. 1. de sent. excomm. in 6. anathema autem cum quibusdam cæremonijs ad terrorem aliorum peragitur, quales cæremonia præscribuntur in c. debent. 106 causa 11. q. 3. ut 12. Presbyteri Episcopum circumstent, & post latam anathematis sententiam lucernas ardentis, quas in manibus tenent, in terram projiciant, & pedibus conculcent, cui solemnitati aliæ quoque maledictiones & execrationes verbales addi solent, quas quoad effectum plus operari, quàm simplicem excommunicationem censet Covar. in relect. c. Alma Mater. d. tit. in 6. p. 1. §. 6. nu. 8. & colligitur ex c. nemo Episcoporum causa 11. q. 3. hinc etiam est, quod in c. cum non ab homine 10. de iudicij. contumax contra Ecclesiam prius excommunicari, deinde verò crescente contumacia anathemate puniri jubeatur.*

Dividitur excommunicatio in majorem, quæ simpliciter separat à communione fidelium, & in minorem, quæ tantum separat secundum aliquid, nimirum à Sacramentorum perceptione, non autem ab alia communione fidelium aut Ecclesiasticis suffragijs. Imò nec ab administratione Sacramentorum, licet non facile ante absolutionem divina ministrari deberent, & propter aliqualem irreverentiam culpa saltem venialis administrando committatur. *cap. ult. & ibi Barb. n. 6. de Cler. excomm. incurritur hæc minor excommunicatio, propter communionem prohibitam cum excommunicato, ut mox dicitur. Si tamen in jure excommunicatio feratur, regulariter de majore, non de minore intelligendum est, nisi ex contextu verborum aliter de mente legislatoris appareat c. si quem 59. de sent. excomm.*

Hæc verò fidelium communio, quæ excommunicatus privatur, triplex à DD. assignatur, *merè interna, merè externa, & mixta. Merè interna* communio est, quæ fideles per fidem & charitatem inter se & cum Christo uniuntur, ac ob istam unionem quilibet per privatam suam devotionem non tantum pro se ipso, sed etiam pro altero aliquid apud DEUM de congruo promereri potest juxta illud *Psal. 118. participet ego sum omnium timentum te, & illud Genes. 18. ubi DEUS propter decem justos in civitate Sodoma voluit parcere alijs peccatoribus. Hac autem merè interna communione non privatur excommunicatus, quia abolita culpa peccati per contritionem etiam ante absolutionem pro seipso apud Deum promereri valeat, & alij fideles in privatissimis orationibus & pijs operibus illius memores esse possint, & licet publica sacrificia vel collectas nomine Ecclesiæ pro excommunicato offerre concessum non sit, quia communibus Ecclesiæ suffragijs privatus est, ex privata tamen & propria intentione non prohibetur Sacerdos in memento pro excommunicato orare. sicut docet Sylvest. in verbo excommunicatio. §. 1. n. 2.*

Merè externa communio consistit in communione fori judicialis, ut excommunicatus nequeat esse Judex, Notarius, Advocatus, testis vel actor (reus tamen esse potest ne ex delicto commodum reportet, & se excipiendi vel appellando defendere, quod juris naturalis est) *c. qui ad probandum. 24. de sent. & re jud. c. veniens de test. c. discernimus. de sent. excomm. in 6. & alio externo fidelium commercio, colloquio & convetio.*

Et quidem olim omnes indifferenter excommunicati vitandi erant, si publici publicè ab omnibus, si occulti, privatim ab ijs, quibus censura nota erat, *c. cum non ab homine de sent. excomm. aded, ut communicans cum excommunicato majorem etiam excommunicationem incurrerit. c. excommunicatos, & seqq. 11. q. 3.*

Verum posterioribus juribus & temporibus aliquid immutatum fuit, I. in c. super. 29. *& c. si concubina. 55. de sent. excomm.* ut tantum illi incurrant majorem excommunicationem, qui communicant cum excommunicato in crimine, propter quod censura affectus est, præbendo ei consilium, auxilium & favorem, in alijs verò negotijs & colloquijs minor solum excommunicatio contrahatur.

II. In Concilio Constantiensi circa annum 1434. facta est quædam constitutio, postea à Martino V. edita (unde & extravag. Martini V. appellatur) & à Leone X. in Concilio Lat. confirmata, quæ incipit ad evitanda scandala. ubi prohibitio communicandi cum excommunicato ex parte fidelium innocentium generaliter sublata est, ita ut etiam exercitium cujuslibet jurisdictionis penes excommunicatum pro favore fidelium remaneat. Excipiuntur autem in hac

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

Constant. Concilio 2. Casus. 1. Si excommunicatus publicè fuerit à suo ordinario Juce Ecclesiastico denunciatus & proclamatus 2. Si quis ob sacrilegam manuum injectionem in Clericum excommunicationem Canonis notoriè incurrerit, ut factum ejus nulla tergiversatione celari & nullo juris suffragio excusari possit.

Ipsis quoque censuratis in hoc Concilio directè nulla gratia facta est, neque se ultrò & non requisiti communioni fidelium ingerere possunt, quia major est prohibitio ne excommunicati communicent cum fidelibus, quàm vice versa. *c. illud circa fin. de Cler. excomm. innocentes non debent facile alterius odio prægravari. unde & fideles extra crimen & sine contemptu communicantes cum excommunicatis tantum venialiter peccare communior est sententia, nisi inde excommunicatus contumacior reddatur. Præterea etiam in dictis casibus, ubi vitandus est excommunicatus, sunt quædam causæ, ex quibus communicatio permittitur, quas Gloss. in cap. cum desideres 15. de sent. excomm. & Sylv. v. excommunicatio. §. 5. n. 2. hoc versiculo comprehendit.*

Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse.

Itaque I. propter utilitatem propriam potest aliquis communicare cum excommunicato, *c. si verò. 34. de sent. excomm.* dummodò utilitas sit notabilis, ne prætextu cujuslibet utilitatis eludatur omnis prohibitio communionis & commerciorum cum excommunicato. Ipsi quoque excommunicati utilitas spiritualis admittitur, ut si quis illi in his, quæ ad salutem animæ pertinent vel absolutionem ejus, colloquatur, quamvis incidenter etiam aliqua extranea admisceat. *c. cum volumate 54. de sent. excomm.*

II. *Lex conjugal*is permittit ut conjuges sibi invicem communicare possint non obstante alterius censura, *c. quoniam multos. 10. q. 3. & c. inter alia. de sent. excomm.*

III. *Humilitas subjectionis* quam habent liberi erga parentes, servi erga dominos, Religiosi vel clerici erga Prælatum, justa est causa communionis, *d. c. quoniam multos. junct. c. inter. alia.*

IV. Excusat ignorantia censura vel prohibitionis communicandi, quæ non est valde crassa aut affectata.

V. *Necessitas*, si quis alimenta petere debeat ab excommunicato, vel ex alia causa necessaria ejus colloquium vel confortium declinare nequeat. *Mixta* demum sive *partim externa partim interna* communio est, quæ in exterioribus actionibus vel cæremonijs consistens interiorum ac spirituales fructum ex propria institutione continet. quos spectat administratio & perceptio Sacramentorum, divina Ecclesiæ officia & suffragia, Indulgentiæ &c.

Hæc ergo communione *mixta* privatur excommunicatus, ut imprimis Sacramenta suscipere vel administrare sine peccato mortali non possit, valent tamen suscepta vel administrata excepto Sacramento penitentiae, quod ob censuram excommunicationis non præmissa absolutione in validum redditur. Nam respectu suscipientis quoad hoc Sacramentum est indispositio, quia non potest prius à peccatis, quàm à censura absolvi, respectu autem administrantis est defectus jurisdictionis, quæ eidem per censuram aufertur.

Deinde excommunicatus privatur communibus Ecclesiæ suffragijs & indulgentijs ut pro eo publicè orare vel sacrificare non liceat. Imò dum missæ sacrificium aliæque divina officia in Ecclesia celebrantur, excommunicatus interesse non debet, & si monitus non discesserit, nova excommunicatione reservata afficitur, *Clem. gravis de sent. excomm.* potestque opera aliorum fidelium de Ecclesia violenter expelli, *arg. c. veniens de sent. excomm.* si nolit exire, aut expelli nequeat, tenentur ab eo discedere, & Sacerdos, qui necdum Canonem missæ incepit, divinum officium intermittere, quia cum excommunicato in oratione communicare prohibitum est, *c. nuper c. responsio de sent. excomm.* quod semper intellige de excommunicatis post Concilium Constant. evitandis. Conciones audire, & privatim in Ecclesia orare, quando non celebrantur divina officia, nec alij fideles conveniunt ad communem orationem non prohibetur excommunicatus. *d. cap. responsio.* Caterum sæpe d. Extrav. Martini V. ad evitanda. etiam prodest eatenus circa istam mixtam communionem, ut Parochus vel Minister Sacramentorum excommunicatus, nisi fuerit denunciatus aut notorius percussor Clerici, possit requisitus (ante requisitionem non debet se ultrò ingerere, quia ipsi directè gratia facta non est) & contritus Sacramenta & divina ministrare. Idque fieri posse citra casum necessitatis, licet alius æquè faciliter ministraret, docet Sanch. *de matrim. lib. 7. disp. 9. num. 7.* sed quia negari non potest, esse indecentiam satis notabilem, & aperiri viam ad contemptum censurarum, si is qui scitur excommunicatus sine omni necessitate ad cujuslibet requi-

requisitionem divina peragat, idèd si excommunicatio notoria foret, vel saltem facile populo innotesceret, non putarem Clericum excommunicatum ad divina admittendum, si alius æquè idoneus haberi posset. *vid. Suar. de cens. disp. 11. sect. 4. n. 10.* de facto tamen celebrantem vel ministrantem Sacra ab irregularitate ob autoritatem Sanchezij excusarem. Etenim ad præcavendum peccatum tutior quidem sententia ab initio præferenda est, post actum verò patratum ad minuendam pœnam favorabilior sententia nonnunquam recipienda, teste Covar. *in princ. relect. Clem. si furiosus. de homicid. num. 9.*

Casus Episcopales.

Utrum de jure aliqui casus sint Episcopo reservati, dubitant DD. nam in *c. si Episcopus, de pœnit. in 6. Extravag. super Cathedram. de sepult. Extravag. inter cunctas. vers. observant. de privil.* non simpliciter statuuntur casus de jure reservati, sed potius confirmatur consuetudo, vel constitutio Episcopalis, ex qua peccata aliqua graviora ipsi Episcopo reservantur. Idèd communior fermè sententia est, *Casus Episcopales* non esse in jure determinatos, sed ex usu & consuetudine locorum desumendos. *Barb. de offic. Episc. p. 3. alleg. 51. n. 3. Palao. de Sacram. Pœnit. tract. 23. disp. un. punct. 15. Laym. lib. 5. tract. 6. c. 11. n. 4.*

Interim tamen negari non potest I. **Quin** ob difficultatem *Casus Papalis* aliquando fiat *Episcopalis*. prout à censura Canonis ex percussione Clerici contracta Episcopus absolvit mulieres, impuberes, Religiosum percutientem Clericum sæcularem, aliòve impedimento aut morbo detentos, quò minus ad Papam vel Legatum ejus accedere possint *c. mulieres, c. moniales. d. c. cetero, c. ea noscitur, c. quamvis. c. ult. de sent. excom. c. Religioso. c. eos qui. Eod. in 6.*

II. Reservatur Episcopo de jure percussio Clerici levis, *c. percutit. de sent. excom.* Est autem hic advertendum, quòd percussio quadrupliciter dividi solet. Prima est *levissima & venialis*, quæ non habet censuram. Secunda est *mortalis*, sed comparatione aliarum *levis*. Tertia est *gravis* sed mediocris, à qua Episcopus tantum absolvit Clericos simul viventes vel Religiosos percutientes Clericos, *c. quantum de vita & bonest. Cler. & d. c. Religioso*. Quarta *gravissima* sive *enormis*, quæ regulariter habet censuram Papæ reservatam. quænam autem in singulis factis percussio levis, mediocris, vel enormis dicitur, relinquatur arbitrio Episcopi; qui circumstantias facti scilicet læsionem, locum, tempus, modum, personam tam læsi quàm lædentis diligenter considerabit, ita tamen ut in dubio potius judicet, percussorem esse gravem, & ab ea se absolvere non posse, quàm ut declarando levem occasionem præbeat lædendi statum Ecclesiasticum. Sicut habetur in quadam Extravag. quam in terminis refer Navar. *in Man. c. 21. n. 92.* & Molina *tom. 2. tract. 3. disp. 59. n. 1.* communiter verò *leviom* (cujus absolutio Episcopo vel ab eo privilegium habenti competat) percussorem censent, quæ nullam maculam, aut lacerationem carnis, nec membri mutilationem, dentium evulsionem, multorum capillorum extractionem, aut sanguinis immodicam effusionem attulit, neque ex circumstantiis loci vel personæ percussæ aggravata est. *Laym. lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 5. n. 10.*

III. In Concil. Trid. *sess. 24. de ref. c. 6* conceditur Episcopis, ut in omnibus irregularitatibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum dispensare, & in quibuscunque casibus occultis, etiam Papa reservatis per se aut Vicarium cum speciali mandato absolvere possint, & casum occultum ex magis communi sententia dici, qui non est notorius apud plerosque, etiam si possit probari per aliquos testes, & qui valeat aliqua tergiversatione celari, tradit Barb. *ad d. c. 6. Trid. num. 26. cum plurimis ibid. citatio.*

IV. Ex eod. cap. 6. Trid. absolutio ab hæresi occulta Episcopis datur, & licet non pauci DD. existant hanc potestatem esse Episcopis per processum Bullæ *Cana* ademptam alij tamen apud Barb. *d. l. n. 152. v. contra* valdè probabiliter contrarium sustinent, quia Bulla est generalis de hæresi reservatione, hoc verò Concilij decretum speciale, de hæresi occulta, in omni autem jure generi per speciem derogatur, & non censetur plus de jure veteri correctum, quàm expressum. Dicitur autem hoc loco hæresis occulta non quæ *pure mentalis* & reservata non est, sed quæ verbo vel opere externo manifestata quidem, adhuc tamen ad multorum notitiam non pervenit.

Cæterum quoad casus, quos Episcopi specialiter pro suo

arbitrio & discretionem solent sibi reservare, passim notant DD. quòd illi non debeant esse valdè multi, quia experientia docet, homines difficulter persuaderi posse, ut Episcopum pro absolutione accedant, interim gravantur conscientia, & periculum est, ne labantur in deteriora.

Deinde ut casus censetur reservatus, debet actus fuisse opere externo completus & consummatus, & quidem cum tali deliberatione & circumstantia; ut peccatum mortale constituat, atque in illa qualitate peccati, sub qua reservatus est. v. g. reservatur incestus, non sufficit copula attentata vel imperfecta, aut quæ fuit habita cum consanguineæ ex ignorantia consanguinitatis.

Non tamen putarem requiri, quòd penitens sciverit reservationem, sicut ad puniendum delictum non requiritur, quòd delinquens præciverit pœnam vel ad cujus judicis tribunal trahendus sit. Licet in casibus *Papalibus* speciale possit esse propter censuram annexam, quæ requirit contumaciam & saltem interpretativum contemptum censurarum, ut sine prænotitia ipsius censuræ casus *Papalis* non committatur. Sed si quis nosset censuram, ignoraret autem esse reservatam, non videretur mihi à casu *Papali* excusandus.

Demum reservatio casuum tanquam pœnalis est strictæ interpretationis. *vg. c. odia, de R. I. in 6. l. penult. ff. de pœnis.* idèdque in propriissimis terminis accipienda, nec extendenda ad casus similes vel etiam maiores expressis, v. gr. reservatus est incestus in primo gradu *affinitatis*; intelligenda est de *vera affinitate* orta ex copula completa, non de *quasi affinitate* orta ex *publica honestate* scilicet ex sponsalibus de futuro, vel matrimonio rato. Reservatur *procuratio abortus*, intelligitur de foetu animato (in masculo dicitur fetus animatus post 40 dies à conceptione, in femina post 80. *Barb. ad Decret. Grat. dist. 5. n. 2.*) in dubio præsertim quando non satis constat de conceptione, non est casus reservatus. *Palao d. punct. 15. §. 2. n. 12.* Reservatur *procuratio sterilitatis*, intelligi potest de perpetua sterilitate, non de una vel altera conceptione impedita. Reservata est *defraudatio decimarum*, non comprehenditur alia defraudatio Parochi, quamvis gravior &c. quo etiam faciunt ea, quæ tradit Harp. *ad tit. insit. de exhered. lib. §. fin. num. 66.* quòd nimis liberij ex alijs causis similibus vel majoribus quàm in jure expressis nequant exheredari. nec est rarum, quòd aliquando delictum ob frequentiam gravius castigari solet, quàm aliud in suo genere est majus. *L. 1. ff. de abigeis. v. g. furtum*, quàm mutilatio membri &c. præsertim confessionalia redderentur plena scrupulis, si casus reservati ad similes vel majores extendendi forent.

§. III.

De Indulgentijs.

S U M M A R I A.

- 1 Indulgentia quid?
- 2 Indulgentia est ex meritis Christi.
- 3 Satisfactio pro peccatis debita.
- 4 Indulgentiæ quatuorplex.
- 5 Indulgentiæ de pœnitentijs injunctis intelliguntur etiam de injungendis.
- 6 Quis concedat Indulgentias, & an Episcopales pro suis exemptis.
- 7 Quid Jubilæum?

Indulgentia est remissio satisfactionis sive pœnæ temporalis DEO pro peccatis debita. enimverò quòd Ecclesia ex potestate clavium sibi à Christo *Matth. 16.* traditarum solvit seu remittit in terris, solutum etiam est in cælis.

Hanc potestatem remissionem facit Ecclesia per singularem applicationem meritorum Christi, & Sanctorum ejus. nam licet Christus infinite DEO Patri suo satisfecerit pro peccatis nostris, nihilominus hæc satisfactio non prodest indistinctè omnibus; nisi quatenus alicui applicatur vel immediate per ipsum Christum, ut Mariæ Magdalenzæ & Latroni in cruce, vel per susceptionem Sacramentorum, vel per Vicarium ejus Rom. Pontificem. Alijs enim, si Christum per solam suam satisfactionem voluisset omnibus indistinctè omnia peccata remittere, & securam salutem conferre, frustra instituisset Sacramenta, frustra peccatores non agentes dignos fructus penitentiz à regno cælorum in multis Evangelij locis exclusisset, frustra pastori Ecclesiæ claves ad ligandum & solvendum concessisset. Neque propterea per satisfactio-

tionem nostram aliquid derogatur meritis Christi, ut cavillantur hæretici, qui licentia & libertate peccandi seducti horrent pœnitentiam & satisfactionem, quia hæc ipsa satisfactio, non aliter vim & effectum habet, quam ex satisfactione Christi, à quo offertur Patri, & per quem acceptatur à Patre, sicut declaravit Trid. sess. 14. de Sacram. Pœnit. c. 8. *Decet divinam Clementiam*, inquit ibidem Consilium, *ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ut occasione accepta peccata leviora putantes veluti injuriæ & contumeliosæ Spiritui sancto in graviora labamur*, quod experiuntur hæretici & obdurati peccatores, qui in profundum peccatorum descendentes tandem contemnunt & in atheismum labuntur. Sanè præter constantissimam Ecclesiæ traditionem de necessitate satisfactionis infinita sunt SS. Patrum testimonia. Ita S. August. in Psal. 50. *Ignoscis Domine Conscienti, ignoscis, sed seipsum punienti: ita servatur misericordia & veritas*. Loquitur planè ex sententia Apostoli: *Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur à Domino*. S. Cypr. *Deus quantum patris pietate indulgens, tantum judicis majestate metuendus est, quam magna deliquimus, tam graviter desoleamus*. S. Hieron. in Epitaph. Paulæ ad Eustoch. *Affigendum corpus, quod multis vacavit delicijs, &c.* S. Ambr. de Helia. c. 20. *Pecunias habes: redime peccatum tuum: divitiæ viri redemptio ejus, &c.* quod notandum divitibus & delicatioribus. S. Chrysost. concl. 4. de Lazaro. *Supplicium quisque à se ipso exigit pro peccatis &c.* Quemadmodum domini temporales condonant offensionem & delictum subditi, sed non illicò remittunt pœnam, faciunt gratiam vitæ, sed imponunt pœnam mitiorem &c. Familiare autem fuit Christo ab exemplo actionum humanarum docere cœlestia, ut passim ex SS. Evang. textus notum est.

4. Dividuntur Indulgentiæ; quoddam aliæ sint *totales* sive *plena*, aliæ *partiales*, per illas remittitur tota pœnitentia & satisfactio sive in hoc sive in altero sæculo sustinenda, per has autem tantum pars aliqua pœnitentiæ, ut si indulgentia unius anni, septenij, vel 40. dierum concedatur, sensus est remitti pœnitentiam, quæ aliàs secundum rigorem Ecclesiæ tot annis vel 40. diebus (quæ pœnitentia 40. dierum in Canonibus dicitur Carena. cap. 8. de accusationibus.) peragenda fuisset.

5. Sed hic movetur non inutilis quæstio, an, cum litteræ indulgentiarum ordinariè secundum stylum curiæ Romanæ soleant habere adjunctam clausulam, *de pœnitentijs injunctis &c.* tales indulgentiæ etiam sint intelligendæ de illis pœnitentijs, quæ per Confessarium quidem *injunctæ* non fuerunt, fuissent tamen secundum gravitatem peccatorum, & de rigore Canonum pœnitentialium *injungenda*? R. benigniorem esse interpretationem DD. quoddam hæc clausula non sit restrictiva indulgentiarum, sed ampliativa habens subintellectam particulam *Etiam*, ut sit sensus, etiam de injunctis pœnitentijs &c. Nam præterquam quoddam indulgentiæ sint gratiæ, & favorabiles animæ, ideòque latius interpretandæ juxta vulgatas juris regulas, Ecclesia quando concedit id, quod est majus & difficilius concedi solet, intelligit etiam in eodem genere concessisse, quod est minus, c. *ex parte 27. de decimis*, sed plus est, & difficilius conceditur remissio pœnitentiæ *injunctæ*, utpote divino & humano præcepto debitæ, & per quam remissionem turbatur & impeditur inferioris judicis pœnitentiam *injungendis* jurisdictioni, quam concedatur remissio pœnitentiæ *injungendæ*, quæ incerta & indeterminata est, ergò concessa remissio super injunctis pœnitentijs non immeritò etiam de injungendis explicanda erit. Quæ interpretatio præsertim hodierno jure & statu Ecclesiæ, ubi non amplius tam longæ & graves pœnitentiæ, sicut olim, injunguntur adhiberi debet, cum aliàs nunquam vel rarissimè indulgentiæ cum prædicta clausula: *De injunctis pœnitentijs &c.* utilitatem adferrent. *Panor. in c. cum ex eo. de Pœnit. n. 6. Suarez. tom. 3. disp. 50. sect. 3.* unde ulterius notandum est, valde utile esse pœnitentibus, ut student indulgentias ab Ecclesia concessas lucrari & divinæ Justitiæ potiùs per indulgentiam, quam per modicas pœnitentias à Confessarijs injungi solitas satisfacere, Pœnitentiæ tamen, quæ potiùs medicinales & præservativæ sunt, quàm vindicativæ, etiam stante indulgentia peragenda sunt.

6. Indulgentiarum concessio primò & principaliter ad S. Pontificem spectat, cujus est dispensare thesaurum Ecclesiæ ex meritis Christi & Sanctorum collectum, *Extravag. 2. de Pœnit. inter communes*. Deinde verò per speciale privilegium etiam à S. Pontifice inferioribus Prælati concedi potest jus dandi indulgentias, sicut est Episcopis in dedicatione dare indulgentias unius anni & in anniversario

Mon. Parochor. P. Ludov. Engel.

40. dierum & non amplius, sive ab uno, sive à pluribus Episcopis Ecclesia consecrata sit *c. cum ex eo 14. de pœnit. remiss.*

Est autem remissio actus jurisdictionis sicut ligatio, cum contrariorum eadem ratio censetur, ideòque non prodest nisi subditis remissionem concedentis, alienis verò tunc tantum, si à proprijs suis Ordinarijs habuerint licentiam alienæ jurisdictioni & remissioni se subijciendi, nam prerogatio jurisdictionis in spiritualibus fieri non potest, absque proprii judicis & pastoris consensu, c. *quod autem 4. de Pœnit. & remiss.* Exempti tamen etiam lucrari possunt indulgentias Episcopales, nam in his favorabilibus, sicut in commutatione & dispensatione votorum probabilis etiam sine speciali licentia S. Pontificis, cui immediatè subsunt, possunt se subijcere jurisdictioni Episcopi, ne aliàs propter exemptionem sibi concessam sint deterioris conditionis, quam alij non exempti contra regulam, quod id, quoddam in gratiam alicujus est introductum, non debeat in ejus odium retorqueri c. *quod ob gratiam. de regulis Juris in 6.* Præterea hic actus jurisdictionis non habet necessariam connexionem cum ordine Episcopali, quia est condonatio pœnæ extra Sacramentum & extra forum internum pœnitentiale, ideòque Episcopus tantum confirmatus, quamvis non consecratus indulgentias rectè concedit, cum per solam confirmationem tanquam pastor accipiat claves Ecclesiæ, quarum autoritate aliquem extra Sacramentum solvere vel ligare potest. *Panor. in c. accedentibus, de excessibus Prælat.*

Demum remissio amplissima est *Jubilæum*, sicut enim in lege veteri quinquagesimus annus Jubilæus & remissionis dicebatur, quo Judæi debita & hypothecas aliasque possessiones prioribus dominis remittebant, servos libertate donabant, *Levit. 25.* quæ remissio præfiguratio erat remissionis peccatorum adventu Christi faciendæ, ita Ecclesia in lege nova pro solatio fidelium introduxit annum Jubilæi, in quo præter plenam remissionem peccatorum & pœnitentiarum alias insuper gratias addere solet, ut liberam electionem confessarij cujuscunque, absolutionem à reservatis quibuslibet, commutationem votorum in aliud opus pium, non verò dispensationem simplicem, &c. Licet autem de jure hic annus Jubilæi (qui olim primum centesimo, deinde quinquagesimo anno concessus fuit) hodie vigesimo quinto quovis anno concedatur illis tantum, qui urbem Romanam & Basilicas Apostolorum Petri & Pauli visitaverint, suspensis interim omnibus alijs indulgentijs per orbem, ut fideles tanto diligentius Romam veniant, ad lucrandum Jubilæum, ut in *extravag. 1. 2. & 4. inter communes. de Pœnit.* habetur, solent tamen Pontifices sæpius pro suo arbitrio ex causa aliqua urgente, scilicet ad conciliandum Deum & avertendum periculum imminentis mali frequentius per totum orbem Jubilæum sive *plenissimas indulgentias* cum privilegijs Jubilæi non quidem per integrum annum, sed aliquot hebdomadas in quovis loco indulgere. Præcæteris videri poterit Georg. Gobat, in suo tract. de duplici Jubilæo, in quo pro confessarijs multas utiles & practicas quæstiones tempore Jubilæi occurrentes resolvit.

C A P U T III.

De Eucharistia.

S U M M A R I A.

- 1 Eucharistia danda est quoties rationabiliter petitur.
- 2 Videtur verius quoddam etiam quotidie, ceteris paribus peti posse.
- 3 Fallit in conjugatis.
- 4 Eucharistia quancumque petitur ad egrotum deferenda est reverenter cum comite & lumine.
- 5 Ad sumptionem Eucharistia requiritur dispositio animæ, & corpus.
- 6 Habens casum reservatum aliquando ante absolutionem communicare potest.
- 7 Non habentes usum rationis non sunt ad Communionem admittendi.
- 8 Communicaturus qualiter debeat esse jejunus.
- 9 Ad egrotum non debet Eucharistia deferri causa solis adorationis, si eam sumere non potest.
- 10 Extra tempus paschale quilibet Sacerdos potest quoscunque communicare.
- 11 Eucharistia honorifice asservanda est.
- 12 Quis teneatur ad conservationem Lampadis ardentis ante SS. Eucharistiam.

- ¶** Circa administrationem hujus Sacramenti *Not. I.* Quod Parochus regulariter teneatur dare SS. Eucharistiam, quoties pij subditi eam rationabiliter petunt, ne parvuli petant panem; & non sit qui frangat eis. Sed quæstio est, an censetur rationabiliter petere, qui singulis aut ferme singulis diebus peteret? Sanè priscis temporibus peracta consecratione in Missa omnes adstantes lumbabant Eucharistiam, *Hyrtado de Sac. tom. 2. tract. de Euchar. disp. 9. diffi. versiores Et. & in Concil. Trid. s. 22. de Sacrif. Missæ c. 6.* hæc verba leguntur: *Optaret Sancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali effectu, sed Sacramentali etiam Eucharistia perceptione Communicarent, quod ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberius perveniret Et.* ¶ Quapropter dandam esse Eucharistiam etiam quotidie petenti, si ex ordinaria ejus vitæ conversatione colligi posset, quod non ad vanam gloriam captandam aut cum periculo irreverentiæ accederet, per plura argumenta, & declarationem Cardinalium concludit Joannes Sanchez *in select. disp. 22.* ¶ In conjugatis quidem personis, qui carnali commercio inserviunt, non immeritò hæc quotidiana communio denegatur, illo maxime die, in cujus nocte præcedente copula conjugali usi sunt, ad majorem tanti Sacramenti reverentiam servandam, & distractionem mentis evitandam, juxta illud *Reg. 1. c. 21. Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem Sanctum, si mundi sunt pueri maxime à mulieribus manducant, Et.* & juxta monitum Apostoli, qui vult conjugatos abstinere ad tempus, ut vacent orationi.
- ¶** *Not. II.* Quod in casu necessitatis videlicet instantis mortis teneatur Parochus non tantum de die sed etiam de nocte, instantibus quoque pluvij SS. Eucharistiam ad ægrotum deferre, quia salus alterius spiritualis utique commoditati exigua corporali anteponenda est. Quo verò ritu sanctissima Hostia deferenda sit, ex consuetudine singulorum locorum desumendum erit, eo semper observato, ut tanta, quanta potest, sanctissimo Sacramento reverentia exhibeatur. Unde ille abusus vel maxime tollendus est, quod aliqui Eucharistiam quandoque sine lumine, & comite deferunt, quod graviter prohibitum est *in c. sanè 1. de celeb. Mis.*
- ¶** *Not. III.* Quod Sacramentum Eucharistia non debeat ministrari, nisi ijs, qui in anima & corpore ad id digne recipiendum dispositi sunt. In anima dispositio requiritur, ut nullus ad communicandum accedat, qui sibi conscius est alicujus peccati mortalis nisi confessione Sacramentali præmissa. *Trid. s. 13. de Sacram. Euch. cap. 7.* Quod si tamen soli Parocho ex confessione notum esset aliquem indignè & non obtenta absolutione ad communionem accedere cum alijs, ei Eucharistiam denegare non deberet, ne apud alios infamare, & sigillum confessionis prodere videatur. Sed quid si pœnitens qui commisit casum reservatum habeat necessitatem communicandi, v. g. tempore paschali, ita ut sine diffamationis periculo non possit superiorem adire & interim à communionem abstinere? **¶** Quod tali casu censetur circa casus reservados deficere copia Confessoris & idèd possit is, qui casus reservados habet obtenta absolutione à non reservatis, & præmissa contritione circa reservados ad communionem accedere, ita tamen ut deinde quamprimum commodè potest, reservados confiteatur. *arg. tex. in d. c. 7. Trid. s. 13. ibi. Modo non defuit illis copia Confessoris Et. Eman. Sa. v. Eucharistia. nu. 13. Castro Palao. de Sac. Pœnit. sœcl. 15. §. 4. n. 3.* Præterea communicaturus debet habere usum rationis, ut ea, quæ ad perceptionem hujus Sacramenti pertinent, juxta arbitrium prudentis Confessarij sufficienter intelligat. Unde infantes intra septennium constituti, vel continuè amentes non habentes dilucida intervalla regulariter ad communionem etiam in mortis articulo admittendi non sunt.
- ¶** In corpore requiritur dispositio, quod communicaturus sit jejunus à media nocte diei præcedentis jejunijs naturalibus, id est, quod nihil omninò prius quamvis minimum per modum cibi deglutiverit, idque propter reverentiam tanto Sacramento debitam, ut Corpus Christi ante omnem cibum in corpus Christiani intret. *c. liquido. 54. dist. 2. de consec. c. nihil 6. q. 1.* Dico per modum cibi, nam si quis sanguinem aliumve humorem ex capite descendentem, aut inter eluendum os cum saliva deglutiat aquæ guttulas, vel si jusculum gestavit, & illicò rejecit, etsi forte guttas cum saliva deglutiverit, non censetur jejunium naturale violasse. *vid. Laym. l. 5. tract. 4. c. 6. n. 18.* porò istud jejunium in illis tantum requiritur, qui sani extra periculum mortis constituti communicare desiderant. At verò quibus periculum mortis instat, etiam non jejuni & quidem sæpius durante

eodem periculo morbi (uno tamen vel altero die interjecto) sacram communionem accipere possunt, cum enim jejunium tantum sit de præcepto Ecclesiæ, noluit pia mater illum casum extrema necessitatis, in quo maxime hoc sanctissimo Viatico indigent fideles, comprehendere. Deinde requiritur quod receptor SS. Eucharistiam ita sit dispositus quoad sanitatem, ut v. g. propter expuitionem seu eructationem nullum sit periculum irreverentiæ, quod si dubitetur, an infirmus sit retenturus sacram hostiam vel potius iterum ejectionis, nonnulli consilium tradunt, ut prius cum hostia non consecrata experimentum fiat, præmonendo tamen infirmum, quod hostia non consecrata sit, ne eam erroneè adoret. Illud etiam notatum dignum est, quod Eucharistia ad ægrotum deferri non debeat causa folius adorationis, si eam sumere non possit: sicut à sac. Congreg. Card. declaratum refert Zerola *in praxi Episc. p. 1. v. Eucharistia §. 5.* neque posse dari hoc Sacramentum sub specie vini, si ægrotus non possit accipere sub specie panis, tradit *ex Suar. tom. 3. disp. 71. s. 7. Barb. de off. Par. p. 2. c. 20. n. 44.*

Not. IV. Quod (extra casum extrema necessitatis) non liceat alijs quam proprio Parocho vel delegato ab eo Sacramentum Eucharistia Parochianis ministrare. Imò *in Clem. 1. de privil. excommunicationem Papæ reservatam* incurrere dicuntur Religiosi, qui sine speciali licentia Parochi aliquibus Sacramentum Eucharistia ministrant. Attamen post hanc Clementinam per varia privilegia Regularium & diversorum locorum consuetudines obtentum est, quod in Ecclesijs præsertim Religiosorum Sacra communio liberè quibusvis petentibus distribuatur. ¶ Et plurimi statutum dictæ Clementinæ tantum de tempore paschali intelligunt, quia *in c. omnis. 12. de panit. & remis.* videtur injungi, ut tempore Paschali tam confessio, quam communio apud proprium Parochum fiat. Cæterum autem si aliquis extra tempus Paschale ex causa devotionis communicare velit, id apud quemlibet Sacerdotem posse cum multis DD. tradit *Barb. in c. eod. DD. ad c. 6. Trid. s. 22. de Sacrif. Mis. in fin.* quod satis probatur *ex eodem c. 6.* dum enim ibidem optat. Sac. Synodus ut fideles adstantes in singulis Missis communicent, videtur planè licentiam dare, ut singuli Presbyteri Missas celebrantes quocumque petentes communicare valeant.

Not. V. Quod ad officium Parochi pertineat, ut SS. Eucharistiam in loco decenti, mundo, & honorifico diligenter asservet, & frequenter saltem singulis septimanis semel antiquas species, ne corrumpantur, sumat & novas consecret. *Paul. Fulcus de visit. lib. 1. c. 5. n. 3.* Item ex generali consuetudine Ecclesiæ Lampas continuè die nocteque ante Ven. Sacramentum ardere debet, tum propter ejus reverentiam; tum etiam ut ingredientes Ecclesiam sciant, ubi primum præsentiam Salvatoris nostri adorare debeant.

Sed quis tenebitur ad præstationem olei & conservationem talis lampadis? **R.** Quod si consuetudo sit in aliquo loco, ut Parochiani ad conservationem lampadis certas oblationes facere soleant, illa omninò observanda erit: Sin autem consuetudo legitime probari non possit, puto hanc quæstionem decidi posse, ex ijs quæ tum in Jure communi *in iir. de Eccles. adif. & repar.* tum in Concilio *Trid. s. 21. de ref. c. 7.* generaliter de conservatione & reparatione Ecclesiarum constituta sunt, ut nimirum conservatio Ecclesiæ, primò desumatur ex fructibus & proventibus quibuscumque ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, tunc omnes Patroni, & alij qui fructus aliquos ex Ecclesia provenientes percipiunt aut in illorum defectum omnes Parochiani, opportunis Juris remedijs cogantur. quamvis autem hæc constitutiones in specie de conservatione lampadis non loquantur, qui tamen loquuntur generaliter de instauratione Ecclesiæ, utique de omnibus, quæ in Ecclesia necessaria sunt, intelligendæ erunt. *nam quoties lego aliquid introductum est, bona occasio est, cætera, que tendunt ad eandem utilitatem vel interpretationem, vel jurisdictionem supplere* inquit *J. C. in l. nam ut ait 13. ff. de LL.*

CAPUT IV.

De Extrema Unctione.

SUMMARI A.

- 1 Extrema Unctio qualiter conferatur, & quis ejus effectus.
- 2 Urgendus debet esse capax peccati.
- 3 Extrema Unctio non datur, quando mors imminet ab extrinseca violentia.
- 4 Quando conferenda sit extrema Unctio, quando periculum in mora est.
- 5 Urgendus debet saltem esse attritus.
- 6 Sine danda Unctio illi, de cujus peccato constat, sed non constat de Penitentia.
- 7 Extrema Unctio est reitorabilis.
- 8 Parochus debet singulis annis novum oleum petere ab Episcopo, nec uti veteri nisi in necessitate.
- 9 Si oleum non sufficiat pro toto anno, potest admisceri non consecratum in minori tamen quantitate.

1 Sacramentum Extremæ Unctionis conferri per unctionem olei, & orationem Sacerdotis, constat ex Epistola Jacobi. 5. cap. ita enim inquit Apostolus. *Infirmus quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesie ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Per quæ posteriora S. Jacobi verba, res & effectus hujus Sacramenti explicatur (ut advertit Trid. s. 14. de Sac. Extr. Unctio.) res etenim hæc, inquit Concil. *gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo divina Misericordia fiduciam excitando, qua infirmus sublevarur, & morbi incommoda, ac labores levius fert, & tentationibus demonis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum, ubi ad salutem animæ expeditur, consequitur.* Unde cum tanta sit hujus Sacramenti utilitas, licet nullum extet de eo suscipiendo præceptum, nihilominus sine peccato saltem veniali, & accedente contemptu etiam mortali, intermitteri non posse, communiter notant DD.

2 Porro cum hoc Sacramentum ad expianda peccata, aut peccatorum reliquias institutum sit, debet urgendus ejus esse ætatis & intellectus, ut peccatum admittere poterit, adeoque non plane infans, aut totaliter, & continuè amens. † Deinde hoc Sacramentum dicitur *Sacramentum infirmorum*: ac propterea conferendum non est, quando mors imminet à violentia extrinseca, puta, suspensio, naufragio &c. post vulnus tamen acceptum vel venenum potatum, cum tunc revera aliquis efficiatur infirmus, rectè conferetur.

3 Ad modum conferendi hoc Sacramentum pertinet, ut singuli sensus inungantur, & si quis aliquo membro inungendo careat v. g. manu, aut oculo, inungenda sit caro propinqua v. g. brachium vel locus oculorum. Sed quid si morbus tam periculosus sit, ut non possit extrema unctio tota peragi. v. g. si infirmus credatur jam expiraturus, vel tempore pestis metus contagionis subsit? R. Sufficere si tali casu organum sensus magis obvium inungatur dicendo: *per istam sanctam unctionem, & piissimam suam misericordiam indulget tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, odoratum, gestum, tactum & gressum*: eo quod non ad substantiam Sacramenti, sed tantum ad pleniorum ejus perfectionem pertineat singulos sensus inungere, & verba formalia Rituali Ecclesiastico præscripta preferre. Ita tenent cc. apud Barb. in collectanis ad c. 1. Trid. s. 14. de Sac. Extr. Unct. n. 17.

4 Ad dispositionem recipientis hoc Sacramentum spectat, ut saltem per attritionem de peccatis doleat, ne impenitens anima ponat obicem virtuti & effectui Sacramentali; hæc verò attritio in dubio præsumi potest, tum quod in dubio quilibet præsumatur bonus, & de salute sua curius, tum etiam quod homines in agone constituti metu mortis & inferni plerumque de omnibus suis peccatis peniteant.

5 Quid autem faciet Sacerdos, si moribundus ab omni sensu alienatus nulla signa doloris edere possit, & tamen constet quod peccatum mortale commiserit? R. Cum Paulo Laym. de Extrem. Unctio. c. 4. n. 3. si publicè constet de peccato, & non constet de penitentia nullam dandam esse unctionem nisi ex aliquibus coniecturis præsumi possit de dolore v. g. si in duello lethaliter vulneratus dixerit se adversario ignoscere, si post peccatum Ecclesiam fre-

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

quentaverit, oraverit, &c. Sylv. v. unct. q. 5. si verò peccatum soli Sacerdoti notum sit, & is sine scandalo unctionem negare non possit, debet illam conferre; cum enim moribundus censeatur publicè petere Sacramentum, & Sacerdos fungi publico ministerio, non rectè secundum privatam scientiam procedendo Extremam Unctionem negaret.

Ceterum hoc Sacramentum non tantum semel, sed & sæpius eidem homini conferri potest, non quidem durante eodem periculo morbi, sed si aliud novum periculum superveniat, quia videlicet infirmus judicio medicorum convalescit, & probabile mortis periculum evasit, deinde verò mutata corporis constitutione (licet pauperum tantum hebdomadarum intervallo) in agonem recidit. Sylv. v. unct. Extrema. n. 3.

Demum adnotandum est, Parocho incumbere, ut singulis annis novum oleum ab Episcopo petat. c. litteris de Consec. dist. c. 3. & vetus in lampadibus Ecclesie ante SS. Eucharistiam comburat in casu tamen necessitatis antequam novum oleum ab Episcopo transmittatur posse Parochum etiam veteri uti, docent cc. apud Barb. in d. c. 1. Trid. n. 6. Item si oleum non credatur sufficere pro toto anno, licere Parocho oleum non consecratum admiscere, dummodò in minori quantitate sit, traditur in c. quod in dubijs. de Consec. Eccles. vel alt.

CAPUT V.

De Matrimonio.

UT hæc materia ob quotidianam casuum circa eam emergentiam scitu maximè necessaria Parochis magis innotescat, nonnihil explicatius, quàm antehac factum, tractabo. incipiendo igitur ab his, quæ præcedunt matrimonium, sit.

§. I.

De Sponsalibus.

SECTIO I. PRÆLIMINARIS

De Differentia inter Sponsalia, Matrimonium, Conjugium, & Nuptias.

SUMMARI A.

- 1 Quid & quotuplex sint sponsalia?
- 2 Disputatio de quibusdam verbis contrahentium an importent sponsalia vel Matrimonium hodie inutilis.
- 3 Matrimonium quid & quotuplex?
- 4 Quid Matrimonium legitimum?
- 5 Quid ratum?
- 6 Quid consummatum?
- 7 Quid sit conjugium?
- 8 Quid nuptiæ?

Hæc nomina in jure nostro aliquando promiscuè sumuntur, & tamen in proprijs terminis inter se differunt.

1 Igitur Sponsalia à spondendo seu promittendo dicta sunt, & alia sponsalia de futuro, alia de presenti nuncupantur. Sponsalia de futuro sunt promissio futuri matrimonij, quæ fit per verba futuri temporis, ut: ducam te in uxorem. Sponsalia verò de presenti sunt, ipse contractus matrimonialis per verba presentis temporis initus, ut: accipio te in meam uxorem, quibus verbis implicitè mutua cohabitatio, amor conjugalitatis, & traditio corporum spondetur, ac idcirco sponsalia appellantur.

Fuit quidem olim de quibusdam verbis disputatio, an importarent consensum de presenti, vel de futuro, ut si dictum erat: *volo te habere in uxorem*, cujus controversiæ decisio principaliter ex circumstantijs & mente contrahentium desumebatur, an scilicet voluerint sponsalia vel matrimonium contrahere; Sed hodie, quando post Concilium Tridentinum sess. 24. de Reformatione cap. 1. nullum Matrimonium sine Parocho & testibus contrahi potest, atque ex generali Ecclesie ritu in ipso templo ambo contrahentes idcirco conveniunt, ut non sponsalia de futuro, sed ipsum

matrimonium per verba categorica interrogante Parocho contrahant, vix amplius controversiæ hujus videtur esse utilitas.

- 3 Matrimonium definitur in §. 1. *instit. de patria potest.* quod sit legitima viri & mulieris conjunctio individuum vitæ societatem continens. Dividitur in Matrimonium legitimum, ratum, & consummatum. Legitimum quamvis omne matrimonium dici possit, quod à jure improbatum non est, in specie tamen illud dicitur, † quod inter infideles contrahitur, & in solo legitimo ac naturali consensu consistit, nec Ecclesiæ ratificationem habet, nec
- 5 Sacramentum est. Ratum illud propriè appellatur, quod per verba de præsentem contractum ab Ecclesia approbatum est, & rationem Sacramenti habet, cui tamen necdum accessit carnalis copula, de quo matrimonium accipiendū est regula *L. nuptias 31. ff. de ritu nuptiarum.* quod
- 6 nuptias non concubitus, sed consensus faciat. Consummatum denique illud vocatur, quod per concubitum & carnalem copulam præcedente legitimo consensu de præsentem completum & consummatum est. Notanter dico debere consensum legitimum seu matrimonium ratum præcedere, nam si copula habeatur ante contractum matrimoniale, ex ea non inducitur matrimonij consummatio, quia quod non est, consummari non potest, sed ante contractum matrimoniale non est matrimonium, ergo &c. Erit proinde talis copula merè fornicaria, nec indissolubilitatem aliòsque effectus matrimonij consummati (de quibus *instit. de conversione conjugatorum*) operabitur.

Conjugium autem dicitur à conjunctio; & omne quidem matrimonium conjugium dici potest, non tamen vice versa omne conjugium matrimonium, si in rigore loquamur, nam matrimonium à præcipuo fine, qui est prolis generatio, nomen accepit, mulier nubit ut fiat mater, inquit *Glof. in §. 1. instit. de patria potest.* quare si senes, qui extra spem prolis sunt, nuptias contrahant, talis contractus conjugium potius, quàm matrimonium appellabitur.

Nuptiæ demùm inde dictæ sunt, quod olim puellæ pudoris gratia se obnuberent, seu faciem velarent, dum viris dabantur *c. nec illud. 30. q. 5.* Inde licet nuptiæ & matrimonium in jure plerumque confundantur, *ut tot. ff. de ritu nuptiarum.* tamen etiam hodie nuptiarum nomine propriè illa solennitas, & pompa externa magis, quàm contractus ipse matrimonialis intelligitur, quo sensu tempore Adventus & Quadresimæ nuptiæ prohibentur, id est, pompa nuptialis, non verò ipse matrimonialis contractus, si absque solennitate privatim ex causa instituat, *c. 3. de ferijs.*

SECTIO II.

Quomodo contrahantur Sponsalia de futuro?

SUMMARI A.

- 1 Definitio Sponsalium.
- 2 Ad contrahendum requiritur mutuus consensus saltem implicitus.
- 3 Promissio gratuita non constituit sponsalia.
- 4 Sponsalia inter absentes contrahi possunt per literas vel Procuratorem.
- 5 Procurator ad Sponsalia & Procurator ad alia negotia per tria differunt.
- 6 Parechus & testes non sunt de substantia sed de probatione Sponsalium.
- 7 De Arrhis vel pana an Sponsalibus addi possint.
- 8 Circumstantiæ indi cant, quando solu taciturnitas vel simplex acceptatio constituat Sponsalia.
- 9 Simplex promissio ante revocationem semper valet.
- 10 Promittens matrimonium amicis Titia habentibus mandatum obligatur, si minus non obligatur.
- 11 Verba: nullam aliam ducam nisi te, quid faciant?
- 12 Partem resiliens potest compellere Ecclesia.
- 13 Virginem fidei promissione seducens tenetur eam ducere.
- 14 Notabiliter eminentioris status fidei (secus est, si verè & scienter) promittens potest se redimere pecuniaria compensatione.

1 Jurisconsultus in *L. 1. ff. de sponsalibus.* definit sponsalia, quod sint: mentio & repromissio futurarum nuptiarum, ac pro certo tenendum est:

- 2 Ad sponsalia constituenda necessariò requiri, mutuum & reciprocum consensum, viri & feminae super futuris nuptijs, nec sufficere, si tantum pars promittat, sine repromissio-

ne saltem implicita alterius, nec ex promissione unius alteri quæri obligationem, nisi & ipsa promiserit, quia promittens non censetur se aliter obligare, quàm secundum naturam sponsalium, & sub tacita conditione, si etiam altera pars promittat.

Potest quidem aliquando fieri promissio ab una parte alteri merè gratuita, & sine conditione repromissionis, ut si dives aliquis feminae sibi in gravi morbo fideliter servienti pro remuneratione promittat matrimonium, cum utique in ipsius sit potestate, vel simpliciter vel sub conditione se obligare, dummodo constet de hac sua voluntate & femina non reneat, sed saltem tacendo acceptet talem promissionem. interim tamen ista promissio gratuita non habebit vim & effectum Sponsalium; unde si femina ex sua parte etiam post acceptatam promissionem nolit contrahere matrimonium, ad id compelli non poterit quia tantum habuit virum sibi obligatum, ipsa verò ex defectu repromissionis obligata non fuit, sicuti si donationem aliquam merè gratuitam acceptasset. Item ex tali promissione non nascetur impedimentum publicæ honestatis, sicut ex sponsalibus, quo minus mortua femina, cui promissio facta est, soror ejus à viro promittente in uxorem, vel è contra mortuo viro ejus frater à femina in matrimonium accipi possit.

Certum est II. Sponsalia non tantum inter præsentem, sed etiam absentes contrahi posse, scilicet per literas vel Procuratorem. Nam ad sponsalia non requiritur simultaneus formaliter consensus, sed sufficit, si is qui prior consensit, in hac sua voluntate perseveret, usque dum etiam altera pars vicissim consentiat, prout id universim in alijs quoque contractibus, ut emptione, locatione &c. procedit & textus sunt in *L. ult. ff. de contrahenda empt. c. final. de Procur.* in 6. † Verùm Procurator, qui ad sponsalia vel matrimonium contrahendum, & ille, qui ad alios contractus ineundos destinatur, in tribus notabiliter differunt. Primum, ut Procurator ex alijs contractibus dominum obligare possit sufficit, si generale mandatum habeat, omnia loco domini peragendi, vel Procurator cum libera administratione constitutus sit *L. Procurator 58. & seq. ff. de Procurator.* Sed sponsalia vel matrimonium Procurator aliter contrahere non poterit, quàm si hoc ei nominatim & in specie demandatum sit, *dict. c. ult. de Procurat.* in 6. II. Procurator ad alia negotia constitutus ea per se tractare non tenetur, sed potest alium substituere, non verò procurator ad sponsalia vel matrimonium contrahendum, cum enim causa matrimonialis maximi sit præjudicij, ad hanc tractandam personæ industria electa censetur, & consequenter sine voluntate principalis alteri committi non poterit. Quod tamen etiam ad alia negotia valde ardua propter eandem rationem præjudicij extendit Menochius de præsumptionibus lib. 2. præsumptione 58. Tertio demùm in alijs causis, si principalis mandatum Procuratoris revocet in ejus absentia, Procurator adhuc validè procedet, usque dum sibi de ista revocatione innotescat, *Clement. un. de renuntiatione L. Si mandatum 17. ff. mandati.* At verò Procurator sponsalium vel matrimonij etiam in absentia revocari potest, ita, ut si dominum interim peniteat, & coram alijs protestetur, se nolle consentire in actum à Procuratore gerendum, Procurator invalidè contrahat, licet hujus revocationis ignarus sit, quod pro majori matrimonij libertate ita constitutum est in *dict. c. ultimo de Procurat.* in 6.

Certum est III. Ad sponsalia de futuro præter consensum mutuum nullam aliam solennitatem requiri, adeoque etiam sine Parocho & testibus inita valere. Imò in sponsalibus Parochus non facile interesse debet, ne in ipsius præsentia partes non tantum sponsalia, sed ipsum etiam matrimonium cum aliorum præjudicio contrahant, nam in præsentia parochi & testium etiam extra Ecclesiam & Parocho invito matrimonium contrahi posse suo loco dicemus. Interim ad futuram probationem, si forte alterutra pars sponsalia negare vellet, utique consultum erit, vel testes adhibere, vel Scripturam desuper conficere.

Certum est IV. Ad libertatem matrimonij retinendam in jure statutum esse, ut sponsalibus pana non adiciatur, adeoque non valere tale pactum: Si mihi non nupsersis, in penam centum florenos dabis *c. gemma. 29. hoc tit. L. Titia ff. de verborum obligationibus L. ult. Cod. de sponsalibus.* Sed non minus certum est, in contractibus sponsalium arrhas intervenire posse, scilicet annulum, pecuniam, vel aliquid simile, ita ut si ille, qui arrhas dedit, contractum non servet, arrhas amittat, si verò alter, qui accepit, resiliat, duplicatas reddere teneatur, *L. arrhis & L. finali C. de sponsalibus.* Cum autem inter panam & arrhas nulla in effectu

effectu videatur esse differentia, nisi quod pœna tantum promittatur, arrhæ verò insuper tradantur, idè in ratione differentia inter utramque assignanda omnes DD. laborant, & cum *Glos. in dict. c. gemma. Sancb. lib. 1. de matrim. disp. 35. n. 2. in fine, Laym. de sponsalibus c. 1. n. 8.* existimant præter auctoritatem legis vix posse aliam convincentem rationem assignari, & idè respondendum esse ex *L. non omnium ff. de legitt. 1. quod non omnium, quæ à majoribus nostris constituta sunt, ratio reddi possit.* Verùm ut declinemus miserum refugium *dict. L. non omnium* ego soleo hanc interpretationem adhibere, videlicet, quòd non sit in obligatione circa sponsalia inter pœnam & arrhas differentia, sicut enim arrhæ non perduntur nec duplicatæ restituantur, si iusta causa absit non servandi contractum, v. gr. propter hæresim, aut fornicationem alterius ex desponsatis *dict. L. ult. C. de sponsalibus.* ita etiam non obligat pœna, si ex iusta causa à contractu discedatur. Et è contra sicut arrhæ debentur, si violatio pacti fiat, absq; iusta causa, ita etiam pœna; quòd posterius, quamvis non omnes admittant, putantes nullo casu stipulationem pœnæ valere, licet ex iniusta causa contractus violetur. Nihilominus contrarium probabilius defenditur, cum ipso *Laym. dict. n. 8.* quia pœnæ adjectio tantum prohibita est, ne libertas matrimonij impediatur, at verò si pœna tantum habeat istum sensum, ut solvi debeat, si absque iusta causa contractus non servetur, nihil continet contra libertatem matrimonij, cum etiam sine pœna non liceat recedere à contractu, nisi ex causa rationabili, & à legibus approbata. Porò circa ista, quæ hæcenus tanquam certa præmissimus, aliquot controversiæ occurrunt, nam.

Dubitarum I. Cum ad principium hujus sect. dictum sit, in sponsalibus non sufficere promissionem unius, sed necessariam esse repromissionem alterius saltem implicitam, quænam sit talis implicita repromissio, an scilicet inducatur per solam taciturnitatem ejus, cui promissio facta est, an per expressam verbalem acceptationem promissionis, an per gratiarum actionem, an per manus porrectionem, vel annulli acceptationem? *R. 1.* Cum in dubio potius liberatio, quàm obligatio inducenda sit *L. Arianus ff. de verb. oblig. idè ex sola taciturnitate ejus, cui facta est promissio, ordinariè non constitui sponsalia, nisi de mente tacentis ex circumstantiis aliud colligi possit.* nam licet sit *Regula 43. juris in 6. Qui tacet, consentire videtur,* tamen statim subsequitur altera, *Et qui tacet, non utique fatetur, sed nec negare videtur.* Quare dicendum est, cum communiore Interpretum sententia, quòd consensus ex taciturnitate non sit verus & naturalis, sed tantum præsumptus ex circumstantiis & modo agendi, quæ præsumptio in primis admittit probationem incontrarium, & deinde non habet locum in causis magni momenti, quia tacens videtur quidem consentire in sui favorem, non verò in magnum sui præjudicium, præsertim in causis matrimonij, cum jura non soleant facile libertatem matrimonialem impedire. Hinc responderi potest brevius, quòd tacens videatur consentire, in quantum est sibi favorabile, ut scilicet adhuc melius deliberare, & demum vel promittere vel abnegare possit, non verò ut mox se vicissim obligare & repromittere intelligatur. *Gutierrez de matrim. c. 3. nu. 1. & 2. R. 2.* quòd de taciturnitate diximus, idem etiam probabiliter extendi posse ad simplicem acceptationem, vel gratiarum actionem, ut scilicet tantum in sui favorem & ad ulteriorem deliberationem censeatur alter accepisse, vel gratias egisse, eo quòd ob favorem Libertatis matrimonialis in dubio non sit facile obligatio inducenda, ut dictum, & docet *Sanch. de matrim. lib. 1. disput. 3. num. 3. & 5.* Interim hic præcipuè ad circumstantias attendendum erit, nam si actum fuerit de sponsalibus hic & nunc contrahendis, v. g. in præsentia amicorum nec altera pars petierit ulteriorem dilationem vel alia verba aut signa dederit, ex quibus intentio contrahendi sponsalia declarari potuit, tunc etiam sola acceptatio absque expressa repromissione sufficit. Ratio est, quia promissio non potest aliter acceptari, quàm quatenus facta est, sed præcisè facta est, cum hac intentione hic & nunc contrahendi sponsalia, ergo hoc & non alio modo potuit acceptari. *Rosella & Sylvester in suis summis verbo Sponsalia num. 1. R. 3.* Si tractatus de sponsalibus vel matrimonio præcesserit, & mulier manus porrexerit, annulum vel alia dona acceptaverit, censebuntur esse contracta, quia non tantum verbis sed etiam signis juxta communem hominum intellectum consensum aut promissionem importantibus sponsalia, sicut & alij contractus celebrari possunt, alias muti similes contractus inire non valerent. Deinde tacens conse-

tur consentire etiam in sui præjudicium & obligationem, quando præter taciturnitatem alius actus positivus concurrat, ut notat *Panorm. in cap. cum virum de Regularibus n. 3.* Sed hæc ita, si tractatus de sponsalibus præcesserit, nam cæteròquin sola manus porrectio, vel annuli aut alterius rei donatio non est sufficiens signum, ex quo sponsalia convincantur, quia possunt hæc & similia meræ affectionis causa fieri *Sanch. lib. 1. disput. 22.*

Dubitarum II. An is, qui promissionem matrimonij alteri fecit, possit hanc promissionem revocare, antequàm altera pars acceptet, vel repromittat? *R.* cum *Gutierrez dicto c. 3. num. 6.* omnem promissionem matrimonij regulariter & in dubio (aliud est, si expressè de promissione merè gratuita constet, de qua superius sub certo r. diximus) censeatur respectivam, atque habere in se tacitam conditionem, si pars altera statim repromiserit, quare si hæc repromissio secuta non fuerit, licet forte simplex acceptatio intervenerit, tunc deficiente conditione cessabit etiam obligatio ex parte promittentis, ac consequenter nihil impediet, quò minus revocari possit, si tamen promittens expressè non revocaverit, censebitur adhuc in sua voluntate & promissione persistere, ac alteri moram deliberandi concedere.

Accedit quòd promissio unius partis sit mera pollicitatio, (est enim pollicitatio solius offerentis promissio) de cujus natura est, ut ante acceptationem partis alterius liberè revocari possit, ut *toro vit. ff. de pollicit. traditur.*

Nec obstat, quòd de jure Canonico in *c. 1. & 3. de pactis*, omne promissum jubeatur impleri, ex quo textu quidam concludunt, pollicitationem de jure Canonico revocari non posse, non obstat, inquam, quia textus accipiendus est, de promissione acceptata, quæ sit purè, non verò de simplici pollicitatione, aut illa promissione, quæ sit sub tacita repromissionis conditione.

Dubitarum III. An statim irrevocabiliter obligetur, qui v. g. coram amicis vel consanguineis Titia ipsa absente se resolvit, quòd velit cum ea matrimonium inire? *R.* Non esse in primis dubitandum, si dicti amici vel consanguinei mandatum habuerint à Titia, ut suo nomine contraherent sponsalia, promittentem irrevocabiliter obligari, quia nihil interest, an quis cum principali vel ejus Procuratore contrahat, at verò si consanguinei ignorante Titia ejus nomine contraxerint, puto promissionem non obligare, tanquam sponsalia vel pactum irrevocabile, sed tantum ut pollicitationem absenti factam, quæ ante principalis personæ acceptationem adhuc revocari potest, quia de jure civili certum est, & de canonico non reperitur contrarium statutum, quòd stipulatio in favorem tertij facta non valeat, stipulationes enim ad hoc inventæ sunt, ait *Imperator in §. aliori. de inest. stipular.* ut unusquisque sibi acquirat, quod sua interest. Ulterius etiam illud hic addo, quòd, licet promittens mandaverit consanguineis, ut promissionem suam absenti Titia insinuent, ejusque consensum desuper requirant, nihilominus antequàm Titia repromiserit, promissio ex parte promittentis validè revocetur, quia consanguinei in hoc casu non sunt plus, quàm procuratores ad contrahendum cum Titia destinati, Procuratorem verò in causa matrimonij etiam in absentia revocari posse, jam superius *ex cap. ultimo. de Procuratoribus in 6.* notavimus.

Dubitarum IV. An sponsalia contracta intelligantur si quis per verba negativa ita dixerit: *nullam aliam ducam nisi te?* Affirmat *Mench. de præsumption. lib. 3. præsumpt. 3. num. 8.* cum Abbate & alijs, quasi prædicta verba simpliciter habeant hunc sensum: *Te ducam in uxorem,* eo quòd particula *nisi,* quando sequitur negationem, importet affirmationem, ut cum *Judæi dixerunt. Non habemus Regem nisi Cesarem,* sensus erat, *Cæsar est noster Rex.* Verùm ego in dubio, quando agitur de valore sponsalium (secus, quando agitur de valore matrimonij jam contracti, pro quo in dubio magis respondendum est, ut evitetur scandalum separationis post diuturnam cohabitationem *c. ultima de sententia & re judicata*) plerumque soleo pro favore libertatis matrimonialis inclinare, tum quòd in dubio non sit facile inducenda obligatio *dict. L. Arianus.* tum quòd matrimonia coacta soleant difficiles exitus habere *c. requisivit. 17. de sponsalibus & matrimonijs.* Unde ad nostrum propositum existimo dicta verba & particulam *nisi* in pactis & promissionibus habere sensum conditionatum in hunc modum: *si aliquam ducaturus sum, tunc te ducam, & non aliam,* quemadmodum si dicam; *nulli domum vendam nisi tibi:* interim non statim infertur, quòd velim hic & nunc matrimonium contrahere, & promittere, vel domum vendere.

cum possim ab omni venditione vel matrimonio abstinere: optimus textus in *L. f. sterilis, §. si tibi ff. de actionibus empti*, nisi tamen ex adjunctis circumstantiis alia possit colligi intentio promittentis, quod revera voluntas ejus fuerit, sponsalia contrahere, cum non intentio verbis, sed verba intentioni accommodari debeant, *c. secundo 41. de appellat. Covarr. de matrim. p. 2. c. 4. n. 3.*

Dubatur V. An sponsalibus valide contractis, si altera pars nolit contractum servare debeat à giudice Ecclesiastico compelli? Rationem dubitandi facit *dict. c. requisivit de sponsalibus & matrimoniis*, ubi Pontifex eam quæ jurata etiam sponsalia contraxit, & nubere recusavit, monendam potius ait, quàm cogendam, cum coactiones difficiles sæpe soleant exitus habere. *R.* Juri conforme & in praxi ubique receptum esse, ut pars illa, quæ absque causa legitima à sponsalibus resilit, per censuras ecclesiasticas excommunicationem, aliaque opportuna remedia ad contrahendum matrimonium cogatur, idque probatur ex *c. ex litteris 10. de sponsalibus & matrim. & ex c. 1. de pactis*, aliàs haud dubiè frustra longus & partibus valdè dispendiosus processus in judiciis super contractis sponsalibus admitteretur. Textum verò in *dict. c. requisivit DD.* communiter interpretantur si tanta sit animorum aversio inter ipsos desponsatos, ut iudex periculosum matrimonium prudenter timere possit, & pars malit censuras & omnia perferre, quàm matrimonium contrahere, tunc enim præstat minus malum violatæ promissionis permittere, ut majus malum coacti matrimonij evitetur. *Laym. de sponsalibus c. 1. n. 4.*

13 Dubatur VI. An is, qui ficto animo fœminæ promisit matrimonium, tantùm ut ad peccatum induceret, teneatur eam in uxorem habere, si non ob consensum, saltem ad compensationem fraudis & corruptionis? *R.* Si quis sub ficta promissione matrimonij corruptit virginem, ex communi DD. sententia, quam allegat & sequitur Sanch. *dicto loco disput. 10. nu. 3.* tenebitur eam ducere etiam in conscientia, nec sufficere, illatam injuriam pecunia compensare, nisi fœmina ultroneè acceptare velit. Hæc conclusio probatur textu & ratione. Textu quidem ex *c. 1. de adulteriis & supro.* quod desumptum est ex *lib. Exodi c. 22.* ubi hæc verba leguntur: *Siquis seduxerit virginem, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem.* Ratione verò probatur, quia justitia commutativa non tantùm petit reddi æquale, sed ut idem reddatur ex justitia debitum, ut si quis æquum furatus sit, non sufficit reddere pecuniam, cum aliud pro alio invito creditori reddi non possit *L. 2. §. 1. ff. de rebus creditis*, sed hic ex justitia tenebatur habere consensum in matrimonium, quando altera pars vicissim verè consensit, & insuper corpus suum tradidit, ergo cum possit restituere adhibendo dictum consensum, tenebitur ad id, & non satisfaciet præstando aliud.

Porrò, quia hæc ratio non tantùm in virgine, se generaliter de quavis fœmina etiam corrupta probare videtur, ideo non pauci existimant, idem juris etiam in corrupta procedere, alij tamen satis probabiliter ajunt in corrupta sufficere, si injuria illata pecunia arbitrio prudentis viri taxanda compensetur, eo quod ducere corruptam, ubi nulla vera promissio præcesserit, non sit æqualis compensatio copulæ cum illa habitæ sed aliquid notabiliter excessivum. nisi tamen esset vidua bonæ famæ, infamiamque ex copula contraheret, ob quam aliud facile invenire non posset, tunc enim prior sententia valdè probabilis tenenda foret, quia damnum illatum non posset alio modo ad æqualitatem reduci, quàm per matrimonium. In dubio autem puella virgo præsumitur, sicut virgo nascitur, & neganti puellam virginem fuisse incumbit onus probandi *Panorm. & Barbosa. in dicto c. 1. de adulteriis.*

14 Dubatur VII. An si fictè promittens sit in multò digniori conditione & statu constitutus, quam virgo decepta, teneatur eam ducere, vel possit compensationem pecuniarum facere, & dotem constituere? Valdè probabilis est sententia, sufficere pecuniarum compensationem, quia promittens non tenetur eam ducere ratione promissionis, quæ ex supposito tantùm fuit ficta, & invalida: nec etiam ratione justitiæ, cum justitia non obliget ad restituendum plus, quàm damnum æstimetur, sed damnum corruptionis non æstimatur tanti, quanti, si vir debeat ducere suo statu notabiliter indignam, ergo &c. Notanter autem loquor de ficta promissione, nam si quis verè & scienter promiserit matrimonium fœminæ minus dignæ, maximè accedente defloratione, tenebitur eam ducere, si aliud grave scandalum vel damnum inde non

oriatur, cum enim sit Dominus rei suæ, & sciverit conditionem alterius, censetur voluisse liberè cedere juri suo, & nihil de excessu suæ conditionis prætereundere. Videatur Sanch. *dicto disput. 10. & disp. 14.* Demum in foro externo non creditur dicenti, se ficto tantùm animo promississe matrimonium, quia interna intentio ex actu externo præsumitur. *L. 1. Cod. ad legem Corneliam de Siciariis & L. 5. Cod. de injuriis.* nisi alia indicia pro se allegare possit, v. g. quod prius hunc fictum animum coram amicis declaraverit, ita ut his ac alijs similibus indicijs concurrentibus in supplementum ulterioris probationis juramentum præstare valeat.

S E C T I O I I I.

Quibus modis dissolvantur Sponsalia.

S U M M A R I A.

- 1 Sponsalia dissolvuntur mutuo consensu.
- 2 Etiam jurata.
- 3 Sponsalia de futuro qualiacunque solvuntur per sponsalia de presenti.
- 4 Matrimonium contra interdictum Ecclesie vel Episcopi contractum est quidem illicitum sed non invalidum.
- 5 Sponsalia simplicia de futuro non solvuntur per alia sponsalia de futuro etiam jurata &c.
- 6 Sponsalia semiplena impedimenti probatione solvuntur, sed matrimonium tantùm plena.
- 7 Sponsalia per ingressum religionis quoad partem remanentem in saeculo solvuntur.
- 8 At non etiam per susceptionem ordinum clericalium, aut votum simplex castitatis, licet solvantur per votum ingrediendi religionem.
- 9 Solvuntur elapso termino præfixo nuptiis.
- 10 Quando & quamdiu pars absens expectanda?
- 11 Solvuntur superveniente notabili mutatione ex parte non mutata.
- 12 Quando Judicis Ecclesiastici sententia sit necessaria?
- 13 Resolvuntur breviter argumenta contraria.

Varij modi sunt dissolvendi sponsalia, quos per ordinem referemus, singulis etiam suas controversas quæstiones adjungentes, itaque.

Solvuntur I. mutuo & unanimi consensu *c. 2. de sponsalibus & matrim.* quod enim solo consensu contractum est, contrario consensu iterum dissolvi potest, cum nihil tam naturale sit, quam unumquodque eo modo dissolvi, quo colligatum est. *L. nihil 25. de regulis juris.*

De sponsalibus juratis dubitant aliqui, an mutuo consensu dissolvi possint, id enim negare videtur. *Gloss. in dicto c. 2. in verbo inducendi de sponsalibus & matrim.* argumento *c. ex litteris eod. tit.* Verius tamen est idem in juratis sponsalibus procedere, quia juramentum in favorem hominis factum ab homine remitti potest, nec à Deo aliter acceptatur, quàm quatenus ab homine, in cuius gratiam factum est, *Barbos. in dicto 2. num. 6.* Nec obstat *c. ex litteris de sponsalibus & matrim.* quia non loquitur de dissensu mutuo, sed tantùm de dissensu unius partis altera parte invita ac repugnante.

Dico, si sponsalia etiam jurata mutuo consensu liberè dissolvi possunt, quare ergo Pontifex in *dicto c. 2.* jubet, desponsatos moneri, & induci, ut sibi fidem præstitam servant, & tantùm ob metum majoris mali dissolutionem concedit? Responderi potest cum Innoc. & Panorm. Pontificem hoc statuisse ad tollendum scandalum plebeiorum, qui fortè possent existimare per talem recessum à sponsalibus juramentum violari, & perjurium committi.

Secundo sponsalia, de futuro etiam quibus copula carnalis accessit, solvuntur per sponsalia de presenti sive matrimonium cum alia persona contractum tanquam per vinculum fortius, & quod rationem Sacramenti habet, *c. sicut 20. de sponsalibus & matrim.* sicut de jure civili re duobus vendita præferitur is, cui insuper tradita est, *L. quoties Cod. de rei vindicatione.* Interim hoc licitè & absque injustitiæ peccato fieri non potest, & prior sponsa derelicta sponsum cum alia persona nuptias contrahentem ad interessè & compensationem ob violatam fidem utique convenire poterit: nam fœminæ plerumque difficilius nubunt, si jam semel cum alio sponsalia, & ita nimiam familiaritatem habuerint. Item si propter aliquod impedimentum dirimens irritum esset matrimonium, obligarent adhuc priora sponsalia, quia

quia non præstat impedimentum, quod de jure non for-
tuitur effectum, *c. non præstat de regulis juris in 6.* Notan-
ter autem dico per sponsalia de præsentibus solvi sponsalia de
futuro, nam alia sponsalia de futuro stantibus primis
non tantum illicita sunt, sed etiam invalida. *c. sicut. 22.*
& *ibi Gloss. & DD. de sponsalibus & matrim.*

Quid si contra expressam prohibitionem Episcopi vel
Ecclesiæ matrimonium contractum sit? an validum erit?
Ratio dubitandi desinitur, *ex c. 2. de desponsa duorum.*
ubi dicitur, *accepisti illam uxorem quam alter sibi desponsavit,*
dimitte illam, quia nunquam potest tibi fieri legitima. Item *ex*
c. penult. eod. tit. ubi Episcopo datur potestas irritandi
matrimonium contra interdictum Ecclesiæ celebratum.
Nihilominus indubitatum tenendum est, tale quidem ma-
trimonium esse illicitum, sed non invalidum, quia matrimo-
nium sublequens tanquam vinculum indissolubile, &
Sacramentum a nexum habens semper dissolvit priora
sponsalia de futuro, ut apertè decisum est, *in cap. 1. &*
2. de matrim. contract. contra interd. Eccles. ad textus
prios *R.* eos loqui de casu, quo prima sponsalia, super
quibus lis pendebat, non erant de futuro, sed præsentibus,
adeoque verum matrimonium, quia sponsalia de præsen-
tibus nunquam solvantur per alia sponsalia etiam de præ-
sentibus: aliquando tamen matrimonium pendente lite cum
tertia persona contractum nullum redditur, si nimirum à
S. Pontifice tale decretum impetratum fuerit, quo ma-
trimonium pendente lite non tantum prohibeatur, sed
etiam invalidetur, quia juxta superius dicta S. Pontifex
contractum matrimoniale certis ex causis quandoque ir-
ritare potest. Episcopus autem tale decretum dare non
potest, nisi haberet ex speciali privilegio vel antiqua con-
suetudine, quia cum non sit supra jus, non potest abro-
gare cit. textus juris Canonici, in quibus matrimonium
pendente lite cum tertio contractum validum dicitur.

Sed dubitatur quid dicendum, si sponsalia prima tan-
tum fuerint simpliciter contracta, secunda verò juramen-
to vel carnali copula confirmata? *R.* nihilominus priora
sponsalia observanda, & secunda invalida esse. etenim
juramentum secundum sponsalibus adjectum, fuit de re ini-
qua, & in præjudicium tertij, scilicet prioris sponsæ,
consequenter non obligatorium, *c. ea te 22. & cum con-*
tingat 28 in fine de jure jurando c. non est obligatorium. de
regulis juris in 6. Similiter nec copula confirmare potest
secunda sponsalia, licet enim ante Trident. sponsalia
per copulam transferantur in verum matrimonium, & sic di-
remerint omnia alia sponsalia de futuro *c. is qui fidem 30. de*
sponsal. & matrim. hodie tamen, quando matrimonium ali-
ter contrahi non potest, quam coram Parocho & testibus,
copula in sponsalibus merè fornicaria censetur, nec effe-
ctum aliquem juris habet. si tamen posterior sponsa prio-
rum sponsalium ignara per copulam deflorata esset, & in-
de magnum damnum & honoris jacturam pateretur, prior
verò leviter tantum læderetur, tunc ex æquitate quadam
concedendum esset, ut potius cum secunda quam prima
matrimonium contraheretur, ut non improbabiler docet
Sanch. *de matrim. lib. 1. disp. 49. n. 6.* eo quod prior spon-
sa teneatur modicum damnum sustinere ad evitandum pro-
ximi gravissimum.

Solvantur Sponsalia tertio, si impedimentum aliquod di-
rimens, v. g. consanguinitas, affinitas vel aliud hujusmodi
inter desponsatos detegatur. In modo probandi tale impe-
dimentum notabilis differentia est inter matrimonium &
sponsalia. nam matrimonium de facto contractum non di-
rimitur, nisi impedimentum plenè probetur, & in dubio
potius pro matrimonio judicatur, cujus separatio plerumque
scandalosa est, *c. ultimo de sententia & re judicata.* At verò in
sponsalibus de futuro, etiam sola fama, dictum unius
testis, vel alia semiplena probatio de impedimento sufficit,
ut sponsalia dissolvi possint & debeant, quia cum agitur
de peccati ac matrimonij nulliter contrahendi periculo, in
dubio ex communi omnium DD. pronuntiato & sententia sem-
per via tutor est eligenda, & potius ab ipso matrimonio con-
trahendo abstinentium. *c. præterea 12. de sponsal. & matrim.*
c. super eo 22. de testibus c. secundo de consanguinitate & affinitate.

Quarto dubitari non potest, quin per ingressum in religio-
nem Sponsalia dissolvantur, cum ipsum etiam matrimo-
nium per professionem religiosam dissolvi posse ex toto *tit.*
de Conversione conjugatorum apertum sit. Nec obstat, quòd
Pontifex in *c. commissum. 16. de sponsal. & Matrim.* tutius esse
dicat, ut is, qui sponsalia contraxit, prius fidem ser-
vet, atque matrimonium contrahat, & postea primum ante con-
summationem Religionem ingrediatur, quia Pontifex lo-
quitur de sponsalibus juramento confirmatis, & tutius con-

sulit juramentum implere, non quidem de præcepto, sed
de consilio, ad evitandum scandalum plebeiorum, & ob
reverentiam juramenti. *Barb. in eod. c. 16. n. 3.* Verum
circa hoc punctum aliqua controversa sunt.

Primo, an sponsalia solvantur per solum ingressum in
novitatum, vel primum per professionem *R.* Licet vincu-
lum sacramentale matrimonij non dissolvatur, nisi per ac-
tualis professionem Religionis, & conjux in sæculo re-
manens durante alterius novitiatu aliud matrimonium contra-
here non possit, ut in *Libello de Priv. Monast. Priv. 33.*
n. 5. tradidi. Probabilius tamen est, sponsalia de futuro
ex parte remanentis in sæculo statim dissolvi, dum alter
novitatum ingreditur, ita ut liberè possit aliud matrimo-
nium inire. Ratio est, tum quòd ingrediens monasterium
hoc ipso ex sua parte renuntiavit sponsalibus, tum etiam
quòd altera pars non censetur ad istum specialem casum
se obligasse, ut tanto tempore expectare, & deinde
sponsam, cui potest exprobari, quòd Religiosum habi-
tum exuerit, & toties signa inconstantia dederit, reci-
pere teneatur. Dixi autem, quoad partem remanentem
in sæculo solvi sponsalia, id est, ut illa pars ulterius
sponsalia observare non teneatur, at verò ex parte ingre-
dientis Monasterium non aliter solvantur sponsalia, quam
secuta professione, quare si remanens in sæculo ultro ex-
pectare, & regredientem ex monasterio recipere velit,
iste sic deserens Religionem matrimonium recusare non
poterit, quia per suum factum non potuit jus alteri qua-
situm auferre, nisi secuta professione. *Sylv. verb. Sponsa-*
lia. q. 10. casu 2.

Dub. II. An, sicut ingrediendo Religionem licet spon-
salia dissolvere, ita etiam suscipiendo ordines Clericales?
R. Negativè, quia privilegium dissolvendi matrimonium
Religioni concessum, quòd professio religiosa magis assi-
miletur morti naturali, nec extenditur ad ordines cleri-
cales, ut decisum est in *Extravag. Antiqua de voto & voti*
re-empti. & in *tit. de oblig. ad ratio: non ordinandis.* genera-
liter prohibetur, ne quis in præjudicium alterius, cui a-
liqua obligatione adstrictus, ordinetur. Si verò de facto
aliquis post sponsalia sacros Ordines suscepisset matrimo-
nium amplius contrahere non deberet, nec posset, quia
sacri Ordines sunt impedimentum dirimens matrimonij.
Interim talis ordinatus ex æquitatis ratione resarcire de-
beret damna & expensas sponsæ, quas intuitu nuptiarum
fecit, eademque expensarum restitutio secundum probabi-
liorem sententiam etiam ab ingrediendo Monasterium fi-
ri debet. *arg. L. si pecuniam. ff. de condict. causa data &c.*
& ne privilegium ingrediendi Religionem in nimis ma-
gnum alterius præjudicium extendatur &c.

Dub. III. An non tantum per ipsum actuale ingres-
sum, sed etiam per votum simplex ingrediendi vel servan-
di castitatem adhuc in sæculo emissum dirimantur sponsa-
lia? De voto ingrediendi Religionem communis est sen-
tentia cum Nav. in *Manual. conf. ff. c. 22. sub n. 27.* quòd
solvat sponsalia, cum enim sponsus liberè Religionem in-
gredi possit, consequenter etiam eam poterit vovere, &
deinde vi talis voti ingredi, & sponsalia dissolvere te-
nebitur. Unam tamen insignem limitationem ponit Nav.
de voto conf. 3. nisi ex tali voto sponsa grave damnum fe-
rat, ut quia spe matrimonij imprægnata est, tunc enim
votum Religionis cum tanto damno alterius non esse gra-
tum Deo, adeoque nec obligatorium existimat.

De voto simplici castitatis, quamvis dissentiant DD.
illa tamen videtur probabilior opinio, per istud votum
non dissolvi sponsalia, cum nec juramentum nec votum
in alterius præjudicium obliget, proinde tale votum ca-
tenus tantum obligabit ipsum voventem, quatenus id ex
sua persona implere potest, ut scilicet contracto matrimo-
nio debitum petere non audeat, sed tantum reddere, nisi
legitimam dispensationem ab Episcopo impetraverit. *Nav.*
dict. loc. num. 27. Sanch. dict. lib. 1. disp. 46.

V. Si Sponsalibus certum tempus & terminus contrahen-
di matrimonij sit adjectus, eo elapso, si matrimonium
contractum non sit, solvantur sponsalia, *c. sicut. 22. de*
sponsal. & matrim. quod est verum & obtinet, si tempus ad
solvendum ipsam appositam obligationem & tanquam con-
ditio adjecta sit, secus verò dicendum si sponsalia purè
contracta, & postea primum de die celebrandarum nup-
tiarum conventum sit, tunc enim tempus non refertur
ad obligationem, sed ad executionem, & quamvis ela-
psum sit, manebit tamen obligatio sponsalium, prout idem
accidit in alijs debitis & contractibus, si debitor consueto
tempore non solvat. *Panorm. & DD. in eod. c. sicut. de sponsal. &*
matrim.

10 VI. Si sponsus non habita licentia sponsæ longum iter & diuturnam absentiam faciat, liberum est sponsæ ad alias nuptias transire, *cap. de illis. de sponsal. & matrim.* quantum autem debeat esse tempus absentiae, de jure quidem Canonico nihil expressum habetur, sed de jure civili talis adhibetur distinctio, ut si sponsus absit ex causa necessaria teneatur sponsa semper ipsius reditum expectare, si verò ex causa voluntaria, iusta tamen & rationabili, sufficiet expectare biennium, si sponsus absens moretur intra eandem Provinciam, triennium autem, si extra eandem Provinciam, *text. & gloss. in l. 2. Cod. de sponsal.* Verùm licet plerique sentiant hac in parte, id, quod in jure Canonico non est decium, petendum esse à civili, argumento *cap. 1. de nov. operis nuntiat.* illa tamen moderatio adhibenda erit, & Judex Ecclesiasticus non ita præcisè adstringatur termino Juris civilis, quin aliquando propter periculum incontinentiæ, aut alias iustas causas illum terminum abbreviare, & licentiam ad alias nuptias transeundi sponsæ concedere possit, quia in causis spiritualibus, præsertim ubi de periculo animæ agitur, plus tribuendum est iudicis Ecclesiastici, quam legis Civilis dispositioni, ut rectè etiam observat Layman. *de sponsal. c. 2. nu. 13.*

11 VII. Si post sponsalia alterutra pars cum aliqua persona extranea fornicetur, innocens poterit à sponsalibus resilire. Imò etiam sponso propter antecedentem fornicationem, & corruptionem sponsæ, quam tempore contractuum sponsalium ignorabat, à sponsalibus recedere permittitur, non autem sponsæ propter antecedentem fornicationem sponsi; ex ea ratione differentiæ, quod illud dedecus famæ corruptæ non similiter æstimetur in viro fornicationem committente ac in femina, *e. quemadmodum, & ibi DD. de jurejurando.*

VIII. Denique solvi possunt sponsalia etiam jurata propter quamcumque notabilem, & gravem mutationem supervenientem, qua cognita sponsalia non fuissent contracta, verbi gratia. Si notabilis deformitas, morbus contagiosus, famæ vel honorum iactura, gravis inimicitia inter consanguineos, qui se fortassis opponunt sponsalibus, vel alia causa de novo superveniat, vel prius ignota detegatur, *d. e. quemadmodum.* Sed hic duo adnotanda sunt, *primò*, quòd in similibus casibus sponsalia non solvantur ex parte ejus, qui solventorum sponsalium causa est, sed tantum ex parte alterius, utpote in cujus favorem introductum est, ne mutatio superveniens sit ipsi nimis onerosa, proinde si verbi gratia, sponsus huic suo favori renuntiare, & non obstante fornicatione, vel deformitate sponsæ nihilominus velit eam in uxorem habere, non poterit id sponsa recusare. *Secundò*, si sponsus cognita mutatione sponsam carnaliter cognoverit, censetur tacite suo juri renuntiare, & sponsalia ratificasse.

12 Ultimò solet hic controversari, an ad dissolvenda sponsalia ob causas hætenus recensitas Judicis Ecclesiastici sententia accedere debeat, vel an desponsati propria autoritate à se invicem discedere possint? Resp. Si causa dissolvendi sponsalia sit certa, & manifesta tam in jure, quam in facto, ita ut negari ab altera parte non possit, licere etiam sine Judicio Ecclesiastico à sponsalibus recedere, nisi contraria in aliqua Diæcesi consuetudo foret, ut rectè docet Sanchez *de matrim. lib. 1. dispur. 69.* habent enim sponsalia tacitam conditionem, si notabilis mutatio non intervenerit, ea ergo interveniente eo ipso cessat obligatio sponsalium, & consequenter sicut in aliis contractibus liber recessus conceditur. Si tamen causa dissolvendi sponsalia occulta foret, & sponsalia publicè contracta, tunc ad tollendum scandalum hominum iudicis autoritas requiretur.

13 Cæterum nostræ conclusioni non obstant; *text. contrarii ex cap. 3. de divorciis, cap. 1. causa 33. quest. 2. cap. 12. de desponsatione impuberum;* quia vel loquuntur non de sponsalibus, sed de matrimonio, cujus separatio ordinariè scandalosa est, si absque iudicio Ecclesiæ fiat, vel de tali casu, ubi causa dissolutionis non est certa, & satis apertè manifesta. Si consuetudo sit in aliquo loco, ut universim à sponsalibus sine præseitu Ordinarii recedi non possit, ea exinde rationabilis est, ut appareat, an dissolutis sponsalibus non remaneat impedimentum *publicæ honestatis*, juxta ea, quæ inferius §. 10. dicemus.

De Ætate requisita ad Sponsalia vel Matrimonium.

S U M M A R I A.

- 1 *Alia ætas ad contrahenda sponsalia, alia ad matrimonium requiritur.*
- 2 *Quæ ætas requiratur ad sponsalia?*
- 3 *Pubertas quando incipiat?*
- 4 *Quomodo & quando sponsalia impuberum obligent?*
- 5 *Ex sponsalibus impuberum nascitur impedimentum publicæ honestatis.*
- 6 *Sola taciturnitas venientium ad pubertatem ratificat eorum priora sponsalia.*
- 7 *Nisi fuerint ante annos discretionis contracta, ubi requiritur novus consensus.*
- 8 *Quæ ætas requiratur ad contrahendum matrimonium?*
- 9 *Valeat matrimonium ex gravi causa ante annos pubertatis dispensativè contractum.*
- 10 *Matrimonium inter impuberes contractum an valeat saltem in vim sponsalium?*

Aliam ætatem in sponsalibus, aliam in matrimonio requiri palam est, quia in sponsalibus tantum usus rationis, in matrimonio autemabilitas ad generandum consideratur.

Licet verò Jurisconsultus *in l. 14. ff. de sponsalibus*, dicat, in sponsalibus nullam certam ætatem definitam esse, nihilominus in hac parte, sicut universim in materia matrimonii standum est jure Canonico, quod tam in masculis, quam in feminis 7. annos constituit, ut ante hanc 7. annorum ætatem sponsalia validè contrahi minimè possint, † nam ante hoc tempus homines non præsumuntur capaces usus rationis ac discretionis, ut satis intelligere possint, quid agatur, *cl. litteras despons. impuber.* † Porro etiam post annum 7. contracta sponsalia non inducunt irrevocabilem obligationem, sed quando aliquis in impubertate contraxit, adveniente deinde pubertate (quæ in masculino censetur post 14. & in femina post 12. completum ætatis annum, *leg. fin. Cod. quando tutores esse desinant*) ea irritare poterit. quòd si unus tantum contrahentium sit impubes, alter autem adultus, hic simpliciter & irrevocabiliter obligabitur, impuberi verò quando ad annos pubertatis pervenerit, liberum erit, sponsalia ratificare, vel resolvere, *cap. de illis 6. & seqq. eod. tit.*

Interim quia talia sponsalia post annum 7. contracta simul fuerunt valida, quamvis ex post facto jure sic permittente ab una parte resolvantur, manebit tamen impedimentum publicæ honestatis, ita ut neuter ex ipsis desponsatis cum alterius consanguineis intra primum gradum contrahere valeat, *d. cap. litteras eod. cit.*

Præterea etiam illud advertendum est, ad ratificationem sponsalium in impubertate contractorum non requiri novum aliquem consensum, sed solam taciturnitatem, & quod pubes factus sponsalibus jam contractis non contradicat, sufficere, eo usque etiam prior obligatio valet usque dum per novum dissensum revocetur, ergo si ad pubertatem perveniens obligationem non revocavit, quando potuit censetur tacite id, quod in impubertate gestum est, ratum habuisse.

Secus autem dicendum, si sponsalia ante annos discretionis contracta sunt, tunc enim, quia prior obligatio nulla fuit, debet per novum consensum verbo vel facto declaratum reiterari, *Gloss. & DD. in cap. litteras de desponsat. impuber.*

Circa ætatem matrimonio necessariam sciendum est, utroque quidem jure constitutam esse ætatem pubertatis, scilicet in masculino 14. & in femina 12. completos annos, §. 1. *instit. de nuptiis l. 4. ff. de ritu nuptiarum.* Illa tamen declaratio de jure Canonico est adhibenda, quòd hæc ætas non sit ita præcisè determinata, quin ante eam aliquando matrimonium contrahi possit, si nimirum *malitia suppleat ætatem*, & jam tunc ad generandum aliquis habilis invenitur *per text. & Interpretes in cap. puberes 3. cap. de illis 9. & cap. ultim. de desponsat. impuber.* Sed quid si masculus etiam post annum 14. vel femina post 12. ad contrahendum inhabilis sit, an matrimonium inter eos contractum valebit?

Resp. Affirmativè, dummodo spes sit aliquando habilitatem adventuram, quia impotentia contrahendi non causat nullitatem matrimonii, nisi perpetua, & incurabilis fuerit. † Quid etiam an saltem ex causa gravi & publica v. g. inter magnos

magnos principes ad conservationem regnorum vel pacis, matrimonium ante annos pubertatis contrahi poterit? Resp. cum determinatio ætatis ad contrahendum matrimonium non sit juris naturalis vel divini, sed positivi humani, nec impotentia contrahendi jure naturali dirimat matrimonium, nisi perpetua, ideo potuit S. Pontifex matrimonium ante annos pubertatis ex causa aliqua gravi concedere, & de facto concessit, *in c. 2. eod. tit.* ita tamen, ut saltem Episcopus causæ cognitionem & dispensationem interponat, *Barb. in cod. c. 2. n. 3.*

10 Demum & illud hic in controversiam vocatur, an indistinctè procedat decisio *cap. unicus*, §. *idum quoque*, *eod. tit. 6.* quòd nimirum matrimonium inter impuberes contractum, non valeat quidem ut matrimonium, sed tamen ut sponsalia de futuro juxta regulam: *Si actus non valet, ut ago, valet tamen omni meliori modo, quo valere potest.* Resp. Pro favore libertatis matrimonialis mihi videri probabilius S. Pontificem *in d. c. fin.* loqui præsumptive, quòd scilicet in dubio, quando non constat, an impuberes voluerint sponsalia vel matrimonium contrahere ob defectum ætatis, potiùs censentur sponsalia contraxisse; at verò si constaret, quòd voluerint ipsum matrimonium contrahere; tunc quia ad valorem cuiusvis actus requiritur voluntas & potentia, ideo succedit alia regula ex *cap. cum super. de offic. deleg. quod voluit*, scilicet matrimonium, non potuit, & quòd potuit, scilicet sponsalia, non voluit, sicut id ipsum multi & plures numero (aliis tamen dissentientibus) DD. docent de matrimonio sine Parocho, & testibus contracto, ut ne quidem in vim sponsalium valeat, nisi mens contrahentium fuisset, se omni meliori modo obligare, vel nisi sponsalia de futuro præcessissent, quæ utique per matrimonium invalidum subsecutum non fuissent extincta, *Barbos. de offic. Episc. alleg. 52. n. 143. cum plur. ibid. cit.*

§. III.

An Parentes pro Liberis, vel Liberi sine consensu Parentum Sponsalia vel Matrimonia contrahere possint?

SUMMARI A.

- 1 Parentes possunt despondere liberos.
- 2 Quando & qualiter illa desponsatio obliget?
- 3 Explicatur textus contrarius.
- 4 Quis nomine parentum & liberorum intelligatur?
- 5 Pupillus vel soror tutoris vel fratris tractatum expresso consensu ratificare debet.
- 6 Resolvitur Hereticorum contrarium argumentum.
- 7 An filii nubentes invititis parentibus exheredari possint.
- 8 Filius alimentandus, & filia pro statu mariti dotanda est etiam invititis parentibus nubentes.
- 9 Quomodo, & quando seculares principes matrimoniis pœnanæ statuere possint?
- 10 Parentes liberorum matrimonia sine causa impedire non possunt, nec tamen impedientes excommunicationem incurrun.
- 11 Quando parentum dissensus solvat sponsalia?

1 Certi & indubitati juris est, quòd parentes liberos suos despondere, & pro iis matrimonium vel sponsalia contrahere possint, *c. honorantur 72. par. 2. cap. 1. de desponsat. impuber.*

2 Ita tamen hæc desponsatio obligabit liberos si præsentibus fuerint, & non contradixerint, quamvis de cætero expressè consensum non declaraverint, quòd si minores septennio vel absentes fuerint, liberi tempore illo, quo parentes contraxerunt, eorum liberorum rati habitio, & approbatio accedere debet, tempore pubertatis adveniente; aliàs sponsalia nulla erunt, nec inde publicæ honestatis impedimentum exurget, *cap. unico §. porro, eod. in 6.* Imò amplius dico, licet pater liberos impuberes etiam post septennium desponderit, ii tamen, sicut alia sponsalia, quæ ante pubertatem contraxissent, adveniente pubertate irritare possunt, juxta dicta *in §. præced.* Ita etiam ista, quia absolutè verum est, quòd matrimonium sine consensu puberis validè contrahi nequeat, & consensus filiorum à parentibus in contrahendo matrimonio necessariò non dependeat.

Non obstat *cap. 2. eod. tit.* ubi dicitur, quòd filius pro quò nondum adulto pater sponsalia contraxit, ea debeat, si ad perfectam ætatem pervenerit, omnino adimplere. Nam hic text. explicari potest de debito honestatis, si scilicet filius nullam rationabilem dissentendi causam habeat, non autem de debito præcepti vel necessitatis, *Panorm. in eod. cap. 1. nu. 7.*

Cæterùm parentum vel liberorum nomine non tantùm Pater, sed etiam Mater, item non tantùm liberi in potestate patria constituti, & legitimi, sed etiam emancipati, & naturales intelliguntur, quia dispositio juris inter parentes & liberos non facit distinctionem, nec fundatur in potestate patria, sed in affectione paterna, quæ sanè ratio tam in patre quàm in matre, tam in liberis in potestate, quàm extra eam constitutis procedit, ut cum communi DD. tradit *Gutierrez de matrim. c. 13. §. 5.*

Aliud tamen ex communiori sententia dicendum videtur; si tutor pro pupillo, frater pro sorore præsentibus, & non contradicente sponsalia contrahat, hæc enim sponsalia non ex eo solo valebunt, quòd pupillus vel soror non contradixerit: sed insuper requiretur, ut verbo factove, vel prius per mandatum, vel postea per ratificationem consensum suum declararint, quia in re tam gravi non censetur ille, qui tacet, consentire in sui præjudicium, ac detrimentum, & jura id voluerunt specialiter solis parentibus attribuire, ut eorum consensus pro filiorum consensu haberetur, non autem idem statuerunt de aliis consanguineis, ut rectè notavit *Gloss. in cap. 1. de matrim. contract. contra interd. Eccles. per text. ibid. Sancb. lib. 1. disp. 27. num. 4.* Quare licet fortè pupillus aut soror tutore vel fratre promittente revera internè consenserit, antequàm tamen hunc consensum suum per signum externum expresserit, non obligabitur. Ratio est, quia promissio non acceptata non obligat, sed talis promissio merè interna acceptari ab altera parte non potuit, ergo &c.

Opponunt quidem hæretici sectantes hac in parte Jus Civile, jure divino, & naturali esse præceptum, honorare Parentes, adeoque ipsis invititis nil facere, præsertim in re ardua, & magni alicujus momenti, in qua etiam ipsorum præjudicium versatur; ut si filius cum dedecore suæ familiæ matrimonium cum fatis sibi impare in nobilitate v. g. vel divitiis contrahat, atque iniquum, statutum jure divino, & naturali, S. Pontifex, & Conc. abrogare, vel immutare non possunt. Sed responderi debet, tantùm in genere jure divino constitutum esse, honorare parentes, at verò quòd in specie matrimonium vel alius actus sine consensu parentum factus valeat, vel non valeat, non haberi ex jure divino, sed ex declaratione vel constitutione Pontificia vel humana.

Quòd si hæretici suam sententiam ex illo præcepto: *Honora Patrem, & Matrem*: stabilire volunt, necessariò etiam contra omnes suos hæreticos concedere debebunt, in contrahendo matrimonio non tantùm patris, sed etiam matris consensum requiri, quia tam pater quàm mater honorari præcipitur, quòd tamen Juri Civili adversatur, ubi tantùm ejus parentis consensus desideratur in cujus potestate liberi sunt, notum autem est, matres non habere liberos in potestate, §. *famine instit. de adoption.*

Interim tamen si liberi absque rationabili causa inconsultis vel invititis parentibus, matrimonia contrahant, id licitè non faciunt, & plerumque etiam mortaliter peccare ac exinde puniri possunt, quamvis matrimonium ita contractum subsistat, & valeat.

Sed an propterea liberi à parentibus exheredari possint? controvertitur. Negativa communiter recepta est, quia contrahere nuptias invititis parentibus non recensetur inter causas exheredationis, *in novell. 115. nu. 3.* aliunde autem est communis doctrina, quòd ex aliis causis, quàm ibi expressis exhereditatio non concedatur; eo quòd in penalibus, & odiosis extensio non sit facienda, *vulgato cap. odia de regulis juris in 6. Harp. ad §. fin. Institut. de exhered. lib. num. 66.*

Porrò sicut pater filio se invito contrahenti nuptias hereditatem, multo minus alimenta denegare non potest, ita etiam filia sine suo consensu nubenti dotem constituere debet, quia dos succedit in locum alimentorum: sub hac tamen moderatione, ut, si filia indigno & vilioris conditionis nupserit, non teneatur pater dotem dare juxta conditionem, & statum filia, sed statum mariti, quia uxor sequitur conditionem mariti, sive deinde maritus fuerit dignior, vel vilior, *l. veteri, Cod. de incolis*, adedque sufficit eam secundum conditionem mariti alimentare, *videntur Sanchez lib. 4. disp. 24.*

9 Utrum autem Principes seculares possint pœnas statuere liberis sine consensu parentum nubentibus? In utramque partem rationes afferri possunt; quidam negativam reputant probabiliorem, eo quod causæ matrimoniales & condere leges circa matrimonia sint de foro ecclesiastico, & non pertineant ad principes seculares. *Arg. c. ius. de ordinis cognitionum. c. 1. de sponsal.*

Altera tamen sententia etiam non est improbabilis, dummodo leges concipiuntur de illo casu, quo liberi sine rationabili causa invititis parentibus nubunt, nam quando alius est malus, tunc etiam principes seculares possunt adjuvandi Juris Canonici gratia eundem prohibere, & punire, præsertim si aliquo modo in præjudicium Reipublicæ tendat, sicut hic, ubi ex nuptiis liberorum graves nonnumquam inimicitias inter parentes & consanguineos proveniunt, dicitur etiam inferius in §. 6. sub. n. 20. vers. dico 6.

10 Econtra sicut liberi non debent invititis parentibus sine rationabili causa nuptias contrahere, ita parentes peccant, si absque causa liberorum matrimonia impediant, & multo magis, si eos ad certa matrimonia invitos cogant, tum propter scandalum & malos exitus, qui ex invititis nuptiis sequuntur, tum etiam quod liberos privent jure suo, quod habent circa status electionem. An verò parentes sine causa legitima impediunt matrimonia liberorum vel eisdem ad matrimonia cogentes incidant in excommunicationem, quam tulit Trid. sess. 24. de Reform. matrim. c. 9. contra omnes impediunt libertatem matrimonij dubitari potest, verius est non incidere, quia Cong. tantum loquitur de Dominis & Magistratibus, qui ex vi jurisdictionis, quam in externo habent, subditos ad matrimonia cogunt, vel ab iis impediunt, consequenter in materia odiosa & pœnali ad alias personas faciendâ non est extensio. *Quæst. l. 1. c. 29.*

11 Unum adhuc notabile placet hic adscribere quod licet dissensus patris non invalidet matrimonium jam contractum, si tamen sola sponsalia jam contracta sint, & inde ex dissensu parentum & consanguineorum fortè propter inæqualitatem contrahentium aut aliam causam magnum scandalum timeatur, vel aliis malis exitus, possit iudex Ecclesiasticus tale matrimonium prohibere & sponsalia irritare, cum virtus Justitiæ non obliget ad actum peccaminosum, ex quo notabiliter læditur charitas proximi, parentum pietas, & cognatorum amicitia dissolvitur, sicut docet Gutierrez d. c. 29. num. 23. Sanch. lib. 1. disput. 14. num. 3.

§. IV.

De Impedimentis Impedientibus Matrimonij.

S U M M A R I A.

- 1 Quid & quotuplicia sint impedimenta?
- 2 Impedimenta impedientia enumerantur.
- 3 Quid sit Ecclesie vetitum?
- 4 Quid tempus Feriarum?
- 5 Quid Catechismus? 6. Quid incestus.
- 7 Superveniente post matrimonium saltem ratum affinitate per copulam incestuosam pars delinquens perdit jus exigendi debitum.
- 8 Pœna incestus non extenduntur ad incestum cum propria consanguinea commissum.
- 9 Textus contrarij explicantur.
- 10 Incestus etiam post mortem uxoris commissus annexas habet constitutas pœnas.
- 11 Incestus commissus ultra secundum gradum non habet annexas illas pœnas.
- 12 Ut incestus mereatur pœnas, copula debet esse perfecta.
- 13 Pœna incestus non extenduntur ad peccatum cum cognatis spiritualibus.
- 14 Confessarius non tenetur monere incestuosum invincibiliter ignorantem sine obligationis.
- 15 Sponsus committens peccatum cum consanguinea sponsæ constituit impedimentum dirimens.
- 16 Raptus olim impedimentum impediens, hodiè post Conc. Trid. dirimens.
- 17 Quatuor casus excipiuntur à pœna raptus.
- 18 Quid sit susceptus propria sobolis?
- 19 Quid mors seu occisio presbyteri?
- 20 Quid penitentia solennis?

21 Qui sanctimonialem ad matrimonium saltem contraxerint etiam cum alia persona nunquam contrahere possunt.

22 Quanam impedimenta hodiè sint in usu?

Duplicia sunt impedimenta matrimonij *Impedientia* scilicet & *Dirimentia*. Illa dicuntur, quæ quidem ab initio impediunt & prohibent matrimonium contrahi, de facto autem contractum validum relinquunt & ad summum præter reatum peccati aliam pœnam arbitrio Episcopi taxandam inferunt, ista verò posteriora non tantum ab initio resistunt Matrimonio, sed etiam contractum dirimunt, nullum & invalidum reddunt. Porro Impedimenta impedientia memoriæ causa sequentibus versiculis comprehenduntur.

Ecclesie vetitum, nec non tempus feriarum.

Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,

Incestus, raptus, sponsate mors mulieris.

Susceptus propria sobolis, mors presbyteralis.

Aut si peniteat solenniter, aut monialem

Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.

Ad Ecclesie vetitum quamvis hæc omnia impedimenta referri possit, quia propter ea ab Ecclesia prohibentur matrimonij, specialiter tamen hic intelligitur prohibitio Episcopi, de qua in §. 1. Sect. 3. jam actum est.

Tempus feriarum est illud, quo solennes nuptiæ interdiciuntur, & licet olim pluribus anni temporibus talis inhibicio fuerit, ut in diebus Rogationum usque ad octavam Pentecostes, & tribus septimanis ante festum D. Joannis Baptistæ, c. non oportet, & passim caus. 33. q. 4. cap. Capellanus. de ferijs. Hodiè tamen Trid. sess. 22. de Reform. matrim. c. 10. Abrogatis alijs ferijs constituit, ut solennes nuptiæ prohibeantur tantum à Dominica 1. Adventus usque ad festum Epiphaniæ, & à die Cinerum inclusivè usque ad Octavam Paschæ. Præterea communiter inter DD. receptum est, idque à S. Congreg. Cardinal. declaratum, quod in prædictis Ferijs tantum solennis & extrema nuptiarum pompa interdicitur, non autem sponsalia de futuro, imò nec ipsum matrimonium, si ex justa causa differri nequeat, & privatim sine publica pompa coram paroco & testibus saltem cum licentia Episcopi celebretur, sicut notavit Barb. in eod. c. 10. n. 4.

Catechismi nomine intelligitur illa instructio fidei, quæ olim præcedere baptismum & ante januum Ecclesie cum catechumeno seu noviter baptizando jam adulto fieri solebat, juxta c. ante baptismum. de consecrat. dist. 4. & quia habebat rationem alicujus paternitatis seu regenerationis spiritualis, ideò si baptizanda fuisset famina, inter eam & catechizantem oriebatur impedimentum impediens, non autem dirimens, c. 2. de cognatione spirituali in 6. De sponsalibus, quatenus cum una persona contracta impediunt matrimonium cum alias, superius eod. §. 1. sect. 3. dictum est; De Voto, agetur inferius.

Incestu notandum est I. Si post matrimonium ratum vel consummatum affinitas superveniat, ut vir consanguineam suæ uxoris cognoscat, vel è contra uxor cum consanguineo mariti peccet, tunc matrimonium quidem nec quoad vinculum, nec quoad cohabitationem dissolvitur, ille tamen pejus culpa orta est affinitas, nunquam amplius poterit petere debitum conjugale, sed tantum parti innocenti, si exigat, reddere, c. 6. & 10. de eo qui cognovit consanguineam uxoris sue. Item mortuo conjuge innocente nullum aliud matrimonium licite contrahere poterit, valebit tamen, si de facto contractum fuerit, cap. 1. c. ultimo eodem tit. sed hæc posterior pœna, sicut & alia multa impedimenta videntur in desuetudinem abiisse, vel saltem, ut aliqui putant, per dispensationem Episcopi tolli possunt.

Notandum II. Quamvis nonnulli existiment, aliquem incestum etiam cum propria consanguinea commissum habere prædictas pœnas annexas, eo quod gravior sit incestus cum consanguinea, quam cum affine, & text. in c. si quis viduam. caus. 32. q. 7. & c. qui propinquas. causa 35. q. 3. absolutè prohibent incestuosus matrimonium. Nihilominus verius videtur, enumeratas pœnas juxta Rubricam tit. de eo qui cognovit consanguineam uxoris sue. specialiter tantum illis inflictas esse, qui cum consanguineis conjugis incestum committunt, adeoque tanquam odia extendenda non esse. Neque id rarum est, ut jura in determinandis pœnis non tam ad gravitatem delicti, quam ad coercendam frequentiam & periculum respiciant. argum. text. notabilis in L. 1. ff. de Abigeis. Solet autem semper majus esse periculum, ne peccatum in consanguineos conjugis quam proprios commutatur. † Textus verò supra allegati, &

- ti, & si qui sunt alii similes vel secundum dictam rubricam explicandi sunt, vel in eum sensum, quod inter ipsos incestuosus matrimonium consistere non possit, Sanch. l. 7. disp. 15. num. 16.
- 10 **Notandum III.** Incestum cum consanguinea uxoris etiam post mortem perpetratum puniri pœnis supra dictis, ut aperte decisum est in c. transmissio 4. cod. tit. & ibi notant Bonac. & Barb. ac alii Canonistæ communiter contra quosdam contrarium sentientes.
- 11 **Notandum IV.** Cum hodie juxta Trid. sess. 24. de reform. c. 4. non extendatur impedimentum affinitatis ex copula illicita ultra secundum gradum, id est, si quis cognovisset consanguineam uxoris ultra secundum gradum, non privaretur jure petendi debitum, et si cum consanguinea sponsa id fecisset, adhuc cum sponsa matrimonium contrahere posset, & deberet.
- 12 **Notandum V.** Quod copula cum consanguinea uxoris debeat esse completa, & non tantum attentata, vel imperfecta, item cum hæc constitutio sit pœnalis, debet esse copula in ordine ad hanc pœnam promerendam culpabilis, & formaliter incestuosa, adeoque non sufficeret copula metu extorta saltem respectu illius, qui metum passus est, neque copula, quam quis habuit cum ea, quam consanguineam intra secundum gradum esse ignoravit.
- 13 **Notandum VI.** Quod constitutio dicti tit. De eo qui cognov. &c. tanquam pœnalis non sit extendenda ad eos, qui peccant cum cognatis spiritualibus vel legalibus conjugis v. g. cum patris vel patris ejusdem: loquitur enim constitutio de consanguineis uxoris, adeoque naturaliter cognatis, non de aliis.
- 14 **Notandum VII.** Quod confessarius non teneatur monere incestuosum de obligatione abstinendi à petitione debiti, si in bona fide sit, & istam obligationem invincibiliter ignoret, ac simul adsit periculum incontinentiæ, & transgressionis, quia alias, qui prius propter bonam fidem non peccavit jam exponeretur periculo peccandi, quod si de facto monitus sit incestuosus, vel de se non ignoret, propter iram tamen vel alia de causa abstinere non possit, Episcopo dispensare concessum est, ut ex communi praxi docet Sanch. lib. 8. disp. 11. n. 13.
- 15 **Notandum est denique;** si sponsus suæ sponsæ sororem vel aliam consanguineam cognoscat, hoc ipso nascatur impedimentum dirimens affinitatis, ita ut cum sponsa matrimonium absque dispensatione amplius consistere non possit, damnum tamen sponsæ ex tali delicto illatum sponsus resarcire debet, per pecuniariam compensationem, vel certè dispensationem impetrare.
- 16 **Raptus** hoc loco dicitur violenta mulieris abductio, & quamvis olim raptus fuerit tantum impedimentum impediens, eo casu, quo alterius sponsa fuisset abducta cap. statutum caus. 27. q. 2. de cætero autem non aliter annullavit matrimonium, quam si mulier abducta nunquam liberè consentisset.
- Hodie tamen Trid. sess. 24. de reform. c. 6. edidit constitutionem in hæc verba: *Docerit S. Synodus inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium, quod si rapta à raptore separata in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, & nihilominus raptor ipse, & omnes, qui consilium, auxilium, & favorem præbent, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames omniumque dignitatum incapaces, & si clerici fuerint, de proprio gradu decedant, teneatur præterea raptor mulierem, sive eam uxorem duxerit, sive non, decenter arbitrio iudicis dotare.* Ex qua constitutione apparet, raptum hodie esse impedimentum dirimens, si matrimonium eo tempore contrahatur, quo rapta in potestate raptoris est etiam si rapta liberè consentiat, ut notat Barb. in eodem cap. 6. num. 9.
- 17 & alii communiter. Ibi tamen enumerat Barbof. aliquos casus, qui à nonnullis DD. probabiliter excipiuntur ab hoc impedimento, ut 1. si raptus non fuerit factus intentione matrimonii contrahendi, sed libidinis causa. 2. si femina invitis parentibus ipsa tamen consentiente abducat. 3. si propria sponsa rapiatur. 4. si in aliquo casu raro femina curaret rari virum eo, quod leges præsertim penales non extendantur ad casus insolitos, L. nam ad ea, ff. de legibus.
- Mors mulieris* sive uxoricidium etiam impedimentum causat, ut maritus occidens sine spe alterius conjugij manere debeat, c. interfectores, caus. 33. q. 2.
- 18 **Suscipiens propria sobolis** tunc inducit impedimentum, si quis extra necessitatem proprium filium baptizavit, aut eum tanquam patris tenuerit, talis enim non tantum constante matrimonio perdit jus exigendi debitam con-

jugale, sed etiam ab alio matrimonio contrahendo prohibentur, capit. de eo, ubi Gloss. & Doctores caus. 30. quest. 1.

Mors Presbyteralis seu occisio presbyteri etiam impedit occidentem, ne matrimonium contrahere possit, c. 2. de penitent. & remiss. Quod tamen aliqui tantum obtinere volunt, ubi quis in iudicio de homicidio convictus, & condemnatus fuerit, ut docent Panormit. & Hostiens. eod. cap. 2.

Pœnitentia sollemnis dicitur, quæ ob crimina graviora injungitur, publicè peragenda, ita ut aliquis certo tempore ante Ecclesiam stare, vel domi jejunare, a gestatione glandii, aut æquitatu abstinere debeat; quæ pœna olim valde frequens fuit; intra hoc ergo pœnitentiæ tempus etiam matrimonium prohibetur, cap. de bis, & cap. ultimo caus. 33. quest. 2.

Denum etiam illis interdicitur matrimonium cum quavis alia persona, qui Deo desponsatas moniales sibi matrimonio jungere præsumplerunt, cap. is ergo caus. 27. quest. 1. Imo de jure civili tales, qui vel tantum attentarint moniales matrimonij jungendi causa, & multò magis qui rapuerint aut violarint easdem, capitali supplicio puniuntur, L. si quis, 5. Cod. de Episcopis & Clericis, quam legem de verbo ad verbum in Corpus Juris Canonici retulit Gratianus cap. 6. de pœnitentiæ dist. 1. qui tamen intelligendus est, quod loquatur de jure Civili & foro sæculari, non autem de foro Canonico: quia Ecclesia nulli infert pœnam sanguinis, vel mortis ex quovis scelere, sed tantum censuras, pœnam carceris, aut alias similes, nisi quod aliquando ob delicti gravitatem etiam clericos prius degradatos iudici sæculari tradat, cap. cum non ab homine, de iudiciis, cap. novimus, de verborum significat.

Si quæras, an omnia prædicta impedimenta etiam hodie in usu sint? Resp. quamvis consuetudo abrogans legem non præsumatur, nisi probetur, nec à consuetudine unius vel alterius loci rectè ad universalem consuetudinem inferatur, nihilominus DD. qui in diversis orbis partibus de matrimonio scripserunt, communiter attestantur, impedimenta impedientia usu hodierno recepta non esse, si quatuor excipias, scilicet. *Ecclesie votum* id est interdictum Episcopi, *tempus feriarum*, *sponsilia*, & *votum*. Arque hanc consuetudinem etiam operari ut in omnibus impedimentis impedientibus (excepto voto & sponsalibus, quæ jure divino & naturali obligant) dispensare possit Episcopus, tradit Sanch. lib. 7. disp. 27. num. 15. & Navar. in Manual. confessor. (quod jam Nonagenarius senex dedicavit Gregorio XIII.) c. 22. nu. 85. testatur, quod nunquam audiverit, super impedimentis impedientibus (intellige exceptis illis quatuor) dispensationem impetrari.

§. V.

De Impedimentis Dirimentibus.

SUMMARIUM.

- 1 Quid sint impedimenta dirimentia?
- 2 Enumerantur.

Impedimenta dirimentia, quæ non tantum illicitum faciunt matrimonium sed & invalidum, his vulgatis versiculis comprehenduntur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen, Cæcus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas, Si sis Affinis, si forte coire nequibis.

S E C T I O I I

De Errore.

SUMMARIUM.

- 1 Error alius in Persona, alius in qualitate.
- 2 Error in qualitate non causat impedimentum, nisi in 3. Casibus.
- 3 Quando dicatur error qualitatis redundare in errorem Personæ.

4 *Consensus vel dissensus habitualis nihil operatur, & ibidem, quod dolosa persuasio non irritet matrimonium, irritet tamen sponsalia.*

5 *Error servilis Conditionis an etiam hodie locum habeat, maxime in illis qui vulgò Leibeigne vocantur.*

1 **E**RROR alius est in substantia seu persona, ut si putans se contrahere cum Bertha contrahat cum Titia, &c. alius in qualitate v. g. si putans se ducere divitem, ducat pauperem,

2 Porro solus error in persona causat impedimentum dirimens, non item error in qualitate, nisi in 3. casibus nimirum 1. si qualitas deducatur in conditionem expressam, v. g. duco te si sis dives, &c. conditio enim suspendit consensum & dum deficit, etiam consensum, & consequenter contractum deficere facit. † 2. si error qualitatis redundet in errorem personæ, si videlicet contrahens non tam habuerit respectum ad qualitatem, quam per ipsam qualitatem certam aliquam & distinctam à præsentibus sibi determinaverit, v. g. si volens contrahere cum primogenita Titij contrahat cum secundogenita, si nimirum non tam ipsam primogenituram, quam personam primogenitam consideret, vel si volens contrahere cum filia pulchra Titij, contrahat cum altera filia deformi non habendo respectum ad qualitatem pulchritudinis, quin potius ad ipsam personam, quam pulchritudo ab altera distinguit. Sed quid si aliquis ita sit dispositus, ut tamen sciret non esse illam quam intendit, nihilominus contraheret; vel è contra si sciret non esse divitem vel nobilem nullo modo contraheret, an his casibus valebit aut dirimetur matrimonium? & talem dispositionem esse tantum consensum vel dissensum habituales, qui nec ad validandum, nec dirimendum matrimonium sufficit antequam aliquis actualem consensum vel dissensum ponat. v. g. dicendo, aut deliberatè cogitando, contraho cum ista quamvis non sit Titia quam intendo, vel non consentio in istam nisi sit dives, unde licet sponsus ex falsa iactatione divitiarum sponsæ dolosè persuasus sit ad contrahendum matrimonium, tamen resilire non poterit, quia illa regula, quod dolus dans causam contractui bonæ fidei faciat contractum nullum, jux. l. Et eleganter. 7. ff. de dolo. locum quidem habet in alijs contractibus ordinarijs, ubi de rebus nostri Patrimonij agitur, ut in emptione, locatione & similibus: non autem in illis contractibus, qui traditione sui ipsius perficiuntur, ut in professione religiosa, & matrimonio. arg. c. dudam. &c. ex parte. De convers. Conjug. Guier. de matrim. c. 89. nu. 6. Etenim in prioribus contractibus, cum omnia ex bona fide agi debeant, Juris interpretatione censetur subesse illa tacita conditio, si ita est, ut dicit, &c. at verò in posterioribus cum regresso ex monasterio, sicut & separatio matrimonij sit scandalosa, ideo professio & contractus matrimonij censentur fieri sine omni restrictione voluntatis, aut reservatione tacitæ Conditionis.

3 In sponsalibus tamen de futuro, utpote in quibus necdum intervenit actualis sui traditio sed tantum promissio de tradendo, procedere supradictam regulam, quod ex dolosa persuasione irritari possint, docet Sanch. lib. 1. disp. 64. n. 3. Olim quando servitus in usu erat, error servilis conditionis dirimebat matrimonium. c. 2. 3. & fin. de conjugio serv. cum enim servi fuerint, in omnimoda potestate dominorum, ita ut ad remotissimas partes mitti, vendari, diversis negotijs occupari potuerint, cohabitatio matrimonialis inter liberum & servum non potuisset commodè haberi, at hodie cum servitus in orbe Christiano majori ex parte sublata sit, quæri tantum potest, an error in illa conditione personæ, quæ vulgò in Germania die leibeigenschaft vocatur, faciat impedimentum dirimens? Tales homines proprios seu lib. igne aliqui adscripticios (qui scilicet glebæ aut fundo colendo perpetuè adscripti sunt) vel originarios, qui ex adscripticijs nati sunt, censent, Gail. lib. sing. de pignorat. obs. 8. nu. 1. aliqui servos anonymos appellant, utpotè qui partim de servis, partim de adscripticijs, partim de libertis participijs. Zasius respons. l. 1. c. 3. & consil. 19. n. 3. Sed quidquid sit de statu istorum hominum, certum est quod servi propriè dicti non sint, ideoque favore matrimonij probabilius videtur, ea quæ de errore in qualitate servili sunt constituta, non esse ad statum istorum hominum extendenda, arg. eorum quæ de adscripticijs docet Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 19. n. 9.

S E C T I O I I.

De Conditione.

S U M M A R I A.

- 1 *Conditio, Modus, Demonstratio, Causa.*
- 2 *Quid sit Conditio?*
- 3 *Quid Modus?*
- 4 *Differentia Modi & Conditionis.*
- 5 *Quid sit Demonstratio?*
- 6 *Quid Causa?*
- 7 *Conditio vel Modus contra substantiam matrimonij illud annullat.*
- 8 *Conditio & modus turpis vel impossibilis habentur pro non adjectis.*
- 9 *Tria bona substantialia matrimonij.*
- 10 *An conditio contra bona matrimonij, sed honesta matrimonium invalidet?*
- 11 *Resolvitur argumentum contrarium.*
- 12 *Conditio vel modus impossibilis loci causa adjectus presumitur.*
- 13 *Sed hæc presumpcio est tantum juris.*
- 14 *Conditiones turpes de præterito non invalidant matrimonium.*
- 15 *An sponsalia invalidentur per adjectionem conditionis turpis vel impossibilis.*
- 16 *Sponsalia consanguineorum sub conditione: si Papa dispensaverit: contracta valent.*
- 17 *Resolvitur argumentum contrarium.*
- 18 *Quando Parochi & testium presentia requiratur ad matrimonium conditionatum.*
- 19 *Sponsi utentes copula non videntur recedere à conditione apposita.*
- 20 *Causa & Demonstratio qualiscunque semper habetur pro non adjecta.*

Sicut omnes contractus non tantum purè & absolutè, sed etiam conditionatè iniri possunt, ita quoque sponsalia & matrimonium, quia verò hodie, quando post Conc. Trid. matrimonium coram parochi & testibus contrahi debet, inauditum est, id sub conditione contrahi, ideo præmittimus plurimas difficultates, quas fusè tractat Sanch. de matrim. toto lib. 5. & aliqua tantum, quæ ad intellectum Canonum & praxin maxime circa sponsalia conditionata deservire possunt, attingemus &c.

Præsuppono, sponsalibus posse aliquid adijci, vel ut conditionem, vel ut modum, vel ut demonstrationem, vel ut causam, quæ omnino inter se differunt.

Nam conditio est, cum aliquid adijcitur suspendens contractum, nec partes ante illius eventum obligari volunt, & explicatur per particulam si, v. g. Ducam te si mille dederis in dotem.

Modus est adjectio oneris, ad quod post contractum volumus alterum obligare, & ordinariè exprimitur per conjunctionem ut, v. g. Duco te, ut mecum mercimonia exerceas. Differt à conditione, quod modus non suspendat obligationem principalem, sed habeat suam obligationem propriam, ad quam implendam alter cautionem præstare debet, & si fortassis non præstiterit, non statim propterea irritum est matrimonium, cum principalis obligatio adhuc subsistat, sed per judicem ad implendum modum compelli debet.

Si dubitetur, an adjectio sit conditio vel modus, quia contrahentes usi sunt verbis dubijs, attendendum erit, an non prius voluerint ratam obligationem, quam illa adjectio expleatur, & erit conditio, si verò prius voluerint ratam obligationem, & postea primum alterum gravatum ad aliquid faciendum, erit modus, sicut docet Bartholus in L. quibus diebus 40. §. sui. ff. de conditionibus & demonstrationibus.

Demonstratio est, quando significatur aliqua qualitas contrahentibus, & explicatur per relativum, aut dictionem importantem aliquam qualitatem, v. g. Duco te quæ de tali stemmate es, &c.

Causa demum illa dicitur, quæ denotatur per dictionem Quia, & indicat matrimonium, seu causam contractus, v. g. Duco te, quia dives es &c. His præsuppositis.

Quæritur I. Quid juris si matrimonio conditio vel modus adijcitur naturaliter vel civiliter impossibilis, id est, ut per naturam, vel cum contra bonos mores sit, per leges licite impleri nequeat, ut si cælum tetigeris, si patrem, si inimicum meum occideris &c.

De jure civili distinguitur, inter contractus & ultimas voluntates, sive testamenta, si de hujusmodi conditionibus agatur. in contractibus conditio impossibilis statim ab initio vitiat contractum, quasi non censeantur habere animum contrahendi, qui conditionem impossibilem adjiciunt, *L. non solum. ff. de obligationibus & actionibus. l. impossibilis. de verborum obligationibus.* Modus autem impossibilis vel contra bonos mores non vitiat contractum, sed vitiat, & pro non adjecto habetur v. g. dono tibi equum, ut caelum ascendas, ut hæreticus fias &c. sicut ex communi docet Medina *de Justit. & Jur. tom. 1. tract. 2. disp. 28. §. impossibilis.* At verò in testamentis & ultimis voluntatibus conditio & modus impossibilis pro non scriptis habentur, propter singularem favorem ultimarum voluntatum, ut potius sustineantur, quam pereant, *§. impossibilis instituit. de heredibus instituentis.*

8 Circa matrimonia hujus questionis decisio habetur *c. ultimo de condition. appof. ubi distinguitur, an tales conditiones sint contra substantiam matrimonij, vel an aliunde sint turpes aut impossibiles: priori casu dicitur esse nullum matrimonium sub tali conditione contractum, posteriori verò valere matrimonium & propter ejus favorem, sicut in testamentis conditionem haberi pro non adjecta. Ad hoc autem ut sciatur, quando conditio sit contra substantiam matrimonij advertendum est secundum *Glof. in eod. c. fin. in verbo. contra substantiam,* tria esse bona conjugij, nimirum, *bonum fidei bonum prolis, & bonum Sacramenti. c. omne. 27. q. 2.* si jam conditio uni ex istis adversetur dicitur contra substantiam matrimonij. *Bono prolis* adversatur conditio: si generationem prolis evitaveris, si venena sterilitatis sumpseris, &c. *Bono fidei*, si te adulterandam dederis pro quaestu. *Bono denique Sacramenti*, quod matrimonium facit inseparabile, si dicas: contraho tecum, donec aliam inveniam honore & opibus ditio-
9 monij advertendum est secundum *Glof. in eod. c. fin. in verbo. contra substantiam,* tria esse bona conjugij, nimirum, *bonum fidei bonum prolis, & bonum Sacramenti. c. omne. 27. q. 2.* si jam conditio uni ex istis adversetur dicitur contra substantiam matrimonij. *Bono prolis* adversatur conditio: si generationem prolis evitaveris, si venena sterilitatis sumpseris, &c. *Bono fidei*, si te adulterandam dederis pro quaestu. *Bono denique Sacramenti*, quod matrimonium facit inseparabile, si dicas: contraho tecum, donec aliam inveniam honore & opibus ditio-*

10 *Quæritur II.* An idem dicendum sit, si conditio adjecta adversetur quidem bonis matrimonij, sed si honesta, v. g. contraho tecum, si mecum in perpetua castitate vivere velis? Pro affirmativa facit, quod dicta bona matrimonij non sint necessaria in executione, aliàs sterilitas vel adulterium semper dissolverent matrimonium, quia deficeret bonum prolis & fidei conjugalis. Item B. Virgo & D. Josephus videntur non potuisse aliter, quam hoc modo contraxisse, cùm jam prius votum castitatis emisissent. & hanc sententiam probabilem dicit Sanch. *lib. 5. d. 10. n. 5.* Contrariam tamen probabiliorem existimamus cum eodem Sanch. quamvis enim dicta bona matrimonij non sint necessaria in executione, & matrimonium esse possit sine copula, debent tamen esse in
11 obligatione: & mutua corporum traditio saltem quoad obligationem est de substantia matrimonij, sine qua matrimonium perfectum dici non potest. est enim matrimonium viri & mulieris conjunctio, non qualiscunque, sed ordinata ad copulam, aliàs inter fratrem & sororem matrimonium dici deberet. De matrimonio B. Virginis dicendum est, non habuisse talem conditionem, sed fuisse simpliciter contractum, quamvis neuter ex desponsat s habuerit intentionem utendi copula. Nam obligatio bene potest consistere sine executione, & cum proposito intermittendæ executionis, præsertim quando per Dei revelationem notificatum est, nunquam ab altera parte executionem petendam, obligationem enim & executionem diversa esse nemo dubitavit, atque in hunc sensum non obscure de matrimonio B. Virginis loquitur August. *in c. 3. 27. q. 2.*

12 *Quæritur III.* An & quando matrimonium censendum sit adjecta conditione turpi vel impossibili, si aliquis reverà non aliter, quam sub tali conditione se obligare intendit?

Omnes DD. laborant, quo sensu Pontifex potuerit vel voluerit conditiones turpes vel impossibiles à matrimonijs rejicere, & matrimonium pro simpliciter contracto habere, cùm tamen jure naturæ consentis ad matrimonium requiratur & sine consensu matrimonium esse non possit, non intelligitur autem consentire, qui noluit se obligare, nisi sub conditione turpi, aut impossibili, juxta text. apertum in *L. non solum. ff. de obligationibus & actionibus.* Breviter dicendum S. Pontificem in illo *c. final.* inducere præsumptionem, quòd scilicet quilibet præsumatur, in contrahendo matrimonio, quoad negotium principale seriò agere, & obligationem suam purè facere propter reverentiam Sacramenti, conditionem autem impossibilem, vel joci causa vel ut modum (qui per superius dicta, si impossibilis sit non obligat) adicere, & cum dubium sit, an faciens conditionem impossibilem habuerit seriam intentionem vel contrahendi matrimonium, vel ponendi conditionem, jura in tali dubio pro favore matrimonij præsumunt.

Quæritur IV. An hæc præsumptio sit & juris & de jure, ita ut nulla probatio in contrarium admittatur; ut, qui reverà non consenserit, nisi sub conditione, nihilominus pro consentiente habendus sit? Resp. esse præsumptionem juris tantùm adeoque cedere veritati, & aliis probationibus, ac fortioribus præsumptionibus elidi posse. Unde non reiicietur conditio, sed potius matrimonium censebitur esse nullum, si ex variis qualitatibus, & circumstantiis qualitate, affectu & interesse contrahentium colligi possit, quòd vel idèd conditionem impossibilem adjecerint, quòd nullo modo obligari voluerint, ut si nobilis dicat rusticæ, contraho tecum, si montem aureum in dotem dederis, vel reverà non realiter, quam expleta conditione turpi, ut si hæreticus dicat Catholicæ, contraho tecum, si Lutherana fias. Item si conditio adjecta non sit simpliciter impossibilis, verbi gratia si pauperi, quæ credebatur dives, dicatur, contraho tecum, si nulle in dotem dederis, non poterit præsumi conditionem tantùm joci causa adjectam, esse. Præterè etiam conditiones turpes de præterito, † ut si Patrem occidisti, ex communi sententia non reiiciuntur, cùm enim non invitent amplius ad delinquendum, sed jam supponantur extitisse, non sunt hoc respectu turpes censendæ. *Covar. de matrim. p. 2. c. 3. §. 2. n. 3.*

Quæritur V. An sicut in matrimonio, ita etiam in sponsalibus de futuro conditiones turpes aut impossibiles reiiciantur, & sponsalia pro absolutè contractis habeantur. Affirmativa communis est apud Sanch. *d. lib. 5. disp. 17. num. 2.* Eò quòd favor matrimonij videatur etiam ad sponsalia extendendus, utpote quæ sunt via ad matrimonium. Negativa tamen, quam tenet Zoësius *de Cond. appof. num. 22.* videtur mihi æqua & probabilior, quia *c. fin. eod. tit.* tantùm loquitur de matrimonij, & ubi agitur de restringenda libertate matrimonij, & inducenda obligatione, non est facilè obligatio extendenda.

Accedit, quòd *cap. fin.* sit correctivum Juris Communis, de quo in contractibus conditiones impossibiles non reiiciuntur, sed vitiant contractum, *L. non solum. de obligationibus & actionibus.* Correctio autem juris est stricte accipienda, *L. præcipimus, in fin. Cod. de appellationibus.* Unde ulterius infero, si aliquis dicat: promitto tibi matrimonium, si mecum concubueris, si me in tali scelere juveris, talem non obligari, nisi secuto concubitu, vel scelere.

Quæritur VI. An valeant sponsalia vel matrimonium contractum inter consanguineos sub conditione, si Papa dispensaverit, adeoque an pendente tali conditione alterutra pars resiliire, & cum alio contrahere valeat, vel dispensatione obtenta novus consensus requiratur? Negant non pauci cum Sylv. *verb. matrimonium 3. quest. 9.* conditio enim, quæ dependet ex Principis voluntate, inquit, est impossibilis, quia ordinario jure fieri non potest, *per text. in Leg. continuis, §. cum quis, & L. inter stipulantem, §. sacram. ff. de verbor. obligat.* Si ergo talis conditio, si Papa dispensaverit, tanquam impossibilis reiiciatur, utpote dependens ex Principis voluntate, sponsalia vel matrimonium valere non poterunt, quia absolutè consanguinei ad contrahendum inhabiles sunt.

Nihilominus dicendum est, non esse conditionem impossibilem, & consequenter valere contractum, dummodò ponatur casus, in quo Pontifex solet dispensare, si nimirum consanguinei non sint in gradu valdè propinquo, & simul habeant iustam causam petendi dispensationem, quod enim frequenter, & quotidie fieri solet, non est impossibile, sed dispensationes inter consanguineos quotidie impetrari solent, ergò &c.

Ad argumentum contrarium Resp. conditionem, quæ dependet à principis voluntate reputari impossibilem, quando princeps id concedere non solet, nisi de extraordinaria sua potestate, & rarissimis in casibus, &c. Præterè promittens femina matrimonium sub conditione, si Papa dispensaverit, tenetur insuper hanc dispensationem impetrare, quia qui obligatur ad principale, obligatur etiam ad accessorium, sine quo principale haberi non potest, Sanch. *ad lib. 5. num. 12. & 36.*

Quæritur VII. Si hodie post Trident. contraheretur matrimonium conditionatum, quandonam Parochus vel testes intervenire debent, an tempore contractus, vel postquam conditio extitit? Resp. utroque tempore, etenim si non intervenirent tempore contractus dicerentur tantùm sponsalia de futuro, non matrimonium, quia, ut sæpè dictum, nullum hodie post Trident. est matrimonium sine Parochi, & testium præsentia. Tempore verò existentis conditionis nisi intervenirent Parochus, & testes, non possent in foro externo testari, matrimonium verò, & substantialiter con-

tractum esse, sed tantum fuisse contractum inchoatum, pendente, & adhuc solubilem, quod utique intentioni Trid. adversatur, quod idem parochum, & testes requisivit, ut de matrimonio in foro externo ad multa incommoda evitanda testificari valeant. Sufficit autem ut ipsi contrahentes coram Parocho, & testibus affirmet, conditionem esse impletam, nam hoc ipso satis intelliguntur purificare contractum, licet parochus vel testes per se conditionem impletam non viderint, teste Laym. de matrim. p. 2. nu. 24 qui tamen putat sufficere, ut tempore contractus presentia parochi, & testium accedat.

19 *Quæritur VIII.* An hodie post Concil. Trid. si contrahentes post sponsalia conditionata utantur copula carnali pendente conditione censeantur per hoc à conditione recessisse, & sponsalia purè con raxisse? Licet ante Concil. certum fuerit, quod copula accedens sponsalibus tantam vim habuerit, ut non solum conditionem à sponsalibus sustulerit, sed etiam verum consensum de presenti, & matrimonium induxerit, quia præsumptione juris, & de jure, contra quam non admittebatur probatio in contrarium, sponsus non præsumebatur alio, quam affectu maritali suam sponsam cognovisse, cap. si fidei 30. de sponsal. cap. per tuas 6. de conditionibus appositis. Attamen hodie post Concil. Trid. quando matrimonium sine Parocho, & testibus non subsistit, certum quidem est, quod sola carnalis copula non habeat amplius vim efficiendi matrimonium, an verò partes præsumantur, saltem à conditione apposita recessisse, dubitatur? Id aliqui satis probabiliter affirmant, eò quod in hac parte Tridentin. nil mutaverit adeoque sub constitutione Juris veteris reliquerit, Zypæus Consultation. Canonica, lib. quarto Concil. 1.

Negativam docent Sanchez. lib. 1. disp. 26. num. 12. Fundamentum est, quod hodie post Trident. cesset ratio legis, quæ olim præsumebat recessum à conditione per copulam, quia olim ista præsumptio oriebatur, ne Ecclesia præsumeret delectum fornicationis, præsumpsit copulam factam affectu matrimoniali, & consensum de presenti, quod hodie post Trident. non potest amplius fieri, cum solus consensus de presenti non sufficiat ad matrimonium, ut diximus. Si tamen ex tali copula sponsa grave damnum incurrisset, ut quia esset imprægnata, diffamata, & inde difficilior nuptura, æquitas suadet, tale damnum per matrimonium compensari, & priorem sententiam amplecti. Pro cujus confirmatione forsitan non incongrue dici posset, quod illa præsumptio juris de copula conjugali non fuerit ratio adæquata Canonis tollentis conditionem, sed etiam æquitas, ut damnum copulæ per matrimonium compensetur, & alia præsumptio, quod non facile fœmina consentura sit in copulam, nisi sub certa spe matrimonij, quæ certitudo firmatur rejecta conditione.

20 *Quæritur IX.* An, quod hætenus de conditionibus dictum est, id etiam procedat, si demonstratio vel causa turpis, impossibilis aut falsa adiciatur, v.g. contraho tecum, quia sterilis es, quia nobilis es, cum tamen non sit? Resp. Demonstrationem vel causam per se sumptam non quidem suspendere vel vitare matrimonium, sive sit turpis sive contra substantiam matrimonij, sive falsa, sed potius haberi pro non adjecta, arg. L. falsa 38. De condition. & demonstrat. quia tamen falsa causa vel demonstratio inducit errorem & error nonnunquam facit deficere consensum, & consequenter matrimonium, idèd hic observanda erunt, quæ præced. lect. de errore dictæ sunt.

S E C T I O III.

De Voto.

S U M M A R I A.

- 1 *Quid & quotuplex sit Votum?*
- 2 *Tantum votum solenne irritat matrimonium.*
- 3 *Votum simplex contracto matrimonio impedit exactionem debiti.*
- 4 *Quid de voto ingrediendi religionem?*

1 **C**onstat votum castitatis aliud esse simplex, aliud solenne, nimirum quod in Religione ab Ecclesia approbata emittitur, vel sacris Ordinibus clericalibus annexum est.

2 Porro tantum votum solenne irritat matrimonium non autem votum simplex. Votum quidem simplex impedit matrimonium, & si contrahatur, penitentia Ecclesiasti-

ca mulctandi sunt contrahentes, non tamen propterea annullatur, ut clarè decisum est in capite unico de Voto, in 6.

Licet autem matrimonium cum voto simplici castitatis contractum valeat, votum tamen non expirat, sed adhuc obligat ex parte voventis, in quantum ab eo servari potest, ut scilicet nunquam exigat, sed tantum alteri parti exigenti (cui votum alterius præjudicare non potuit) reddat debitum conjugale.

Attamen propter quotidianum periculum transgressionis consultitur hujusmodi voventi, ut ipse vel alius ejus nomine dispensationem putat, quam ob periculum incontinentiæ, & difficultatem adeundi Pontificem concedere solet Episcopus, cum ea moderatione, ut supplicans stante matrimonio jam contracto valeat reddere, & exigere debitum conjugale, dissoluto autem matrimonio per mortem alterius conjugis votum obliget, sicut prius, &c.

Verum alia est ratio de votis ingrediendi religionem, suscipiendi ordines clericales, aut vivendi in cælibatu, absque expresso voto castitatis, cum talibus enim votis, licet matrimonium absque peccato mortali & violatione voti contrahi non possit, contractum tamen valebit, neque hic erit abstinendum à petitione debiti, quia necdum castitas actu promissa est, Sanchez. lib. 9. disp. 33. nu. 9.

S E C T I O IV.

De Cognatione.

S U M M A R I A.

- 1 *Quid sit cognatio spiritualis?*
- 2 *Inter quos contrahatur?*
- 3 *Tantum unus & una admittitur ad levandum baptizandum.*
- 4 *An, si plures levant infantem, omnes contrahant cognationem?*
- 5 *Ad contrahendam cognationem requiritur tactus baptizandi.*
- 6 *An principalis vel procurator levans contrahat cognationem?*
- 7 *An levans in casu necessitatis contrahat cognationem.*
- 8 *Pater baptizans filium amittit jus petendi debitum.*
- 9 *Quid cognatio legalis?*
- 10 *Quid & quotuplex sit adoptio?*
- 11 *Tantum arrogatio inducit impedimentum.*
- 12 *Inter quos arrogatio inducat impedimentum de jure Canonico.*
- 13 *Inter quos etiam de jure civili?*
- 14 *Requisita ad adoptionem.*
- 15 *Ex unione prolium non nascitur impedimentum.*
- 16 *Quid sit consanguinitas?*
- 17 *Propugnatur definitio à D. Thoma data.*
- 18 *Explicantur nomina consanguinitatem exprimentia.*
- 19 *Etiam ex copula illicita nascitur impedimentum consanguinitatis.*
- 20 *Explicatur consanguinitas.*
- 21 *Linea quid & quotuplex?*
- 22 *Regula pro consanguinitate.*
- 23 *Regula juris civilis circa consanguinitatem.*
- 24 *In quibus lineis, & qualiter matrimonium dirimatur?*
- 25 *Ad quatum gradum extendatur impedimentum consanguinitatis.*

Notum est, cognationem, quæ impedimentum dirimens matrimonij constituit, aliam esse spiritualem, aliam legalem, aliam naturalem, de quibus hac Sectione agemus, & primò quidem.

De Cognatione Spirituali.

Cognatio spiritualis oritur ex Sacramento Baptismi, & Confirmationis, atque hodie non extenditur ultra personas in Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 6. denuntiatas, ut videlicet patrinus tantum ad baptizatum ipsum, & baptizati patrem ac matrem, item baptizans ad baptizatum, & baptizati parentes cognationem spiritualem contrahat.

Similiter ut cognatio, quæ ex Confirmatione oritur confirmantem & confirmatum, illiusque parentes ac tenentem seu patrinum non egrediatur.

Unde nihil obstat, quin inter baptizatum, & filiam vel Uxo-

Uxorem baptizantis, (supposito, quod is laicus foret) vel patrini, & inter baptizantem & levantem seu patrinum, vel inter ipsos patrinus, si vir & femina simul levant, matrimonium consistere possit, quamvis olim contrarium fuerit statutum in c. 3. 4. & ultimo de Cognat. spiritual.

3 Præterea constituit Trid. in d. c. 2. ut unus tantum, vel ad summum unus & una baptizatum de baptismo suscipiat, ut parochus antequam ad baptismum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectat, nimirum parentibus sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de sacro fonte suscipiant, & eum vel eos tantum ad suscipiendum admittat, & in libro eorum nomina describat, doceatque quam cognationem contraxerint, quod si alii præter designatos baptizatum tetigerint, cognationem spirituales nullo pacto contrahent.

Ex quo text. Trid. qui vult admitti unum & unam tantum, primitus advertendum est, non esse permissum, ut duo viri vel duæ femina concurrant ad levandum infantem, sed debere esse homines disparis sexus, ut generatio spiritualis imitetur naturalem, & ita à Cardinal. declaratum refert Sanch. lib. 7. disp. 57. n. 4.

4 Sed quid, si contra Conc. plures, quam duo, levaverint, & parochus eos admiserit, an omnes contrahent cognationem? R. Si Trid. in aliquo loco receptum non sit, minus dubium est, quin standum sit juri antiquo, ex quo omnes tangentes seu levantes contrahunt cognationem, c. ultim. cod. tit. in 6. atque idem puto procedere, etiam si Trid. receptum sit, & parochus per incuriam neglexerit designationem duorum; quia Trid. prohibens plurium admissionem non irritat factum contra prohibitionem, nisi eo tantum casu, quo designationis facta plures præter designatos baptizatum tetigerint, consequenter etiam hoc casu res manet sub dispositione juris antiqui, Zoes. de Cognat. spirit. n. 7. Sanch. d. l. n. 15.

5 † Requiritur tamen, ut omnes tangant, sine tactu enim non contrahitur hæc cognatio, licet baptizandus sit adultus, quia cæremonia sustentationis non est ab Ecclesia ad sustentandam corporis infirmitatem, sed ad significandam animæ imbecillitatem. Verba autem patrini ad substantiam hujus cognationis non requiri, communis est sententia. Zoes. d. l. num. 11.

6 Queritur etiam, quis contrahat cognationem spirituales, si patrinus non ipse levet, sed sui loco procuratorem mittat? R. à Congreg. Cardin. declaratum dici, principalem contrahere cognationem. Zoes. d. l. n. 1. Sa v. matrimonium de impedim. divinent. n. 3. Si verò abstrahatur ab hac declaratione (quæ debet vel usu esse recepta, vel apparere in forma authentica cum sigillo & subscriptione juxta mandatum Urbani VIII. quod refert Barb. Jur. Eccles. univ. lib. 1. cap. 4. n. 83.) in jure probabiliter defendi posset, neutrum contracturum cognationem. Non procuratorem, quia non levaret suo nomine, nec haberet intentionem per se existendi patrinus. Nec principalem, quia actu non tetigit infantem, qui tamen contactus physicè factus videtur necessariò ad contrahendam hæc cognationem requiri per omnes illos Canones qui de hac cognatione loquuntur ut passim in causa 30. q. 1. 2. 3. & 4. quemadmodum de jure Civili in actione famosa condemnatus per procuratorem nec ipse (quia sententia lata est in procuratorem) nec procurator ejus (quia non suo, sed alieno nomine egit) infamiam contrahit. L. furti. 6. §. 2. & L. Servus. 14. ff. de his qui not. infam.

7 Circa Baptismum, qui in necessitate à laicis confertur, sciendum est, quod baptizans ad baptizatum & parentes ejus cognationem contrahat, levans verò probabiliter ab hac cognatione excusetur, quia potius commoditatis causà, quam ut patrinus infantem tenuisse censetur, cum in casu necessitatis nullæ observentur patrinorum solemnitates, nec talis tenens pro baptizato spondeat aut respondeat.

8 Quid autem, si Pater proprium filium baptizavit? R. contractam esse cognationem respectu matris, & si matrimonium nec dum initum sit, sed filius v. g. tantum ex fornicatione conceptus, amplius sine dispensatione contrahi non poterit, contractum verò matrimonium talis cognatio non dissolvit, sicut nullum aliud impedimentum matrimonio jam contracto superveniens. Si tamen pater extra causam necessitatis scienter proprium filium baptizasset, per antiquos Canones separabatur ab uxore, per posteriores verò id immutatum est, & constitutum, ut tantum jus petendi debitum conjugale amittat, reddere autem teneatur, vid. caus. 30. q. 1. Vallensis tit. de cognat. spirit. in fine. Notanter autem dicitur, si extra casum necessitatis aliquis proprium filium baptizavit, nam existente necessitate jus petendi debitum conjugale non auferunt Canones.

De Cognatione Legali.

Cognatio Legalis dicitur, quæ primitus à Legibus Civilibus est inventa, & deinde per Sacros Canones recepta in c. unico h. t. & c. 1. caus. 30. q. 3. Estque illa, quæ oritur ex adoptione. Adoptio verò dicitur actus legitimus, per quem is qui filius non est, in filium assumitur.

10 Dicitur in arrogationem & adoptionem in specie. Arrogatio dicitur, quando homo sui juris autoritate principis in filium assumitur, ac in arrogantis potestatem & familiam transit. Adoptio verò in specie, quando quis in sui patris naturalis vel avi potestate remanens in filium autoritate inferioris magistratus assumitur. §. 1. & ibi Interpretes Inst. de adoptione.

11 Nascitur porrò impedimentum dirimens legalis cognationis ex communi DD. non ex qualibet adoptionis specie, sed tantum ex arrogatione, tum quia illa conjunctio personarum, quæ subest in arrogatione, non reperitur in adoptione in specie, cum tantum arrogatus in potestatem arrogantis ejusque familiam sicut filius naturalis transeat: tum quia in arrogatione propter simultaneam cohabitationem occasione matrimonii contrahendi magnum fuisset incontinentiæ periculum, nisi leges matrimonium prohibuissent, & ita omnem prætextum suspèctæ conversationis sustulissent, aut denique, quia impedimenta extendenda non sunt, cum impediunt libertatem matrimonii valde favorabilem, & consequenter odiosa reputantur, Sanch. lib. 7. disp. 63. n. 9. Zoes. De Cogn. Leg. n. 2.

12 Quod atinet ad personas, inter quas propter hanc cognationem matrimonium consistere non potest, sciendum est, in Canonibus non reperiri aliam prohibitionem expressam, quam inter adoptantem & adoptatum, & inter filium vel filiam naturalem adoptantis & filium vel filiam adoptivam. d. c. 1. caus. 30. q. 3. & c. unico h. t.

13 In legibus tamen Civilibus major est & extensior prohibitio, quam etiam de jure canonico sequimur: quia tum ex c. 1. tum ex Rubrica Decretalium, quæ de cognatione legali inscribitur, leges generaliter in hac materia à SS. Canonibus approbantur, sicut & aliàs, quod deest juri Canonico, aliquando ex Civili suppletur, si utrumque eandem materiam pertractet. c. 1. de novi operis numiatione. Panorm. ad rubricam hujus tit. n. 1. & communiter alii.

Igitur in primis inter eos, qui per adoptionem sibi loco parentum & liberorum esse ceperunt, matrimonium etiam finita arrogatione contrahi non potest, velut inter adoptantem & adoptatum, ejusque liberos & descendentes, inter adoptantem & adoptati uxorem, tanquam inter socerum & nurum, & vice versa, inter adoptatum & uxorem adoptantis tanquam inter novercam & privignum, L. adoptivus 1. & L. quin etiam ff. de ritu nuptiar. Deinde in linea collateralis sive inter eos, qui fratrum & sororum locum obtinent, eo usque se extendit impedimentum, quousque patria potestas, proinde inter adoptatum & filiam naturalem adoptantis matrimonium consistere non potest, durante adoptione & patria potestate.

Nec obstat, quod ex post facto per emancipationem aut mortem adoptantis possit hoc impedimentum cessare, non enim propterea matrimonium ab initio nulliter contractum convalescet, nisi novus consensus accedat, habet enim hic locum regula, quod ab initio nullum est, tractu temporis convalescere non potest, c. non firmatur. 18. de regulis juris in 6. sicut si in alio impedimento dispensatio impetretur, postquam matrimonium jam contractum est.

Verum si filia emancipata, adoptio post mortem adoptantis aut emancipationem adoptati finita, aut si filia naturalis tantum, id est, illegitima, adeoque nunquam in potestate patris fuerit, matrimonium cum ea valide contrahetur. L. adoptionem. 17. & L. 55. 1. ff. de ritu nuptiarum c. unico h. t.

Inter ipsos adoptatos ab eodem patre matrimonium non reperitur aliqua lege expressè prohibitum. Unde quidam probabiliter docent, posse filium adoptatum ducere filiam adoptatam, quia impedimenta dirimentia cum sint odiosa & restringenda, sine textu expresso etiam ex paritate rationis non sunt facile constitutenda: Sanch. d. l. n. 28. Zoes. h. t. num. 6.

14 Postremò ex hæcenus dictis facile colligitur non statim censeri al. quem adoptatum & legaliter cognatum, si forsan ex misericordia in defectu propriorum parentum tanquam filius alimentetur, nisi solemnitates juris interveniant, videlicet ut arrogans 18. annis sit major arrogato, ut si impubes sit arrogatus, causa cognitio adhibeatur, an expediat pupillo arrogatio, ut autoritas principis accedat, & alia quæ præscribuntur in §. cum autem Instit. de adopt. & L. 2. & L. final. Cod. eodem.

Deinde quamvis in Germania unio prolium (*ein Rindschaffi oder Erbkerbruderung*) species sit adoptionis ejusdemque solemnitates requirat teste *Gail lib. 2. observ. 125. n. 6. & 8.* Nihilominus verius puto, exinde non nasci impedimentum legalis cognationis, quia ut prædictum, non omnis adoptio causat impedimentum, & talis unio non tam fit propter majorem conjunctionem personarum, quam potius bonorum, ut diversorum matrimoniorum liberi æqualiter in bonis tam paternis quam maternis succedant. Quare si viduus ducat viduam, & ambo jam prius ex alio matrimonio habeant liberos, quos deinde per unionem conjungant, non obstante hac conjunctione adhuc inter eos matrimonium esse poterit, cum enim hæc unio prolium sit de jure scripto incognita, & tantum de consuetudine introducta, leges nihil de ea constituerunt, sine textu autem expresso aliquod impedimentum statuere planè inconueniens videtur. *Auth. Consideremus, De Triente & semisse.*

De Cognatione Naturali.

Inter Naturaliter cognatos, id est, consanguineos matrimonium contrahi non posse, vulgò notum est, nisi vel in gradu remotiori sibi conjuncti sint, vel dispensationem obtinuerint.

16 **C**onsanguinitas igitur secundum nominis Etymologiam dicitur, quasi sanguinis unio, & sanguinei, qui ab eodem sanguine descendunt. Definit autem consanguinitatem D. Thomas in 4. p. dist. 40. q. unic. a. 1. quòd sit Vinculum personarum ab eodem stipite descendendum, carnali propagatione contractum.

17 Non desunt, quibus displiceat hæc definitio, ajunt enim, exinde sequi, omnes homines esse consanguineos, ed quòd omnes ab uno stipite, scilicet Adamo, descendunt.

Verùm R. verba D. Thomæ accipienda esse moraliter, & intelligi de stipite aliquo propinquo, cujus generationis gradus numerari & distingui possint, cujusque virtus in descendentes perseveret. Quamvis enim virtus Adami in omnibus descendentes perseveret secundum similitudinem specificam, scilicet humanitatem, non tamen perseverat secundum qualitates certæ personæ & familiæ proprias, & sic secundum similitudinem individuum, juxta quam avus & parentes assimilant sibi prolem, quæ eorum imaginem, complexionisque ac morum effigiem refert. Nam virtus paterna non secundum totam suam perfectionem diffunditur in filios, sed quo in plures generationes descendentes derivatur, debiliior ac imperfectior redditur, ut tandem cum ipsa etiam ratio consanguinitatis evanescat, quo sensu loquitur *Isid. in c. unic. caus. 35. q. 4.* Quamvis de cætero non sit nobis magna cura, an definitio habeat omnia requisita logicalia, dummodo rem ipsam utcumque describat, quia *in Jure omni definitio periculosa est, & parùm est, ut non subverti possit*, ait *Juris Conf. in L. 20. ff. de regulis Jur.*

18 Sunt autem consanguinei alii ex persona patris, qui in jure dicuntur *agnati*, & idem nobiscum nomen ac gentilitatis insigne gerunt, alii ex persona matris conjuncti, qui speciali nomine *cognati* nominantur, quamvis generaliter etiam aliquando agnati cognati dicantur, cum cognatio sit genus ad *agnationem & cognationem in specie*. Similiter si duo fratres eundem patrem habuerint, sed diversas matres, dicuntur *fratres consanguinei*, si eandem matrem, sed diversos patres, *uterini*, si ex eodem patre & matre genti sint, *germani* seu *duplicis vinculi nuncupantur*.

Porrò in successioneibus hæreditariis præcipuè verò *feudalibus* distinctio fit inter *agnatos & cognatos*, item inter *fratres duplicis vinculi & unilaterales*, ut frater *germanus* succedat fratri defuncto solus, exclusis fratribus ab uno tantum parente ipsi conjunctis, & *agnati* regulariter tantum succedant in feudis exclusis *cognatis*.

Circa matrimonia tamen nulla talis distinctio adhibetur, sed æquè impedimentum dirimens est inter agnatos, quam cognatos, sorores & fratres tam unilaterales, quam germanos. 19 Præterea quamvis de jure Civili neque *cognatio* neque *affinitas* dicatur otiri, nisi ex justis nuptiis, *L. non facile. §. sciendum. 8. ff. de gradibus affin.* de jure tamen Canonico tam *cognatio* quam *affinitas* etiam ex copula illicita & fornicaria nascitur, neque illegitimè natus ducere potest fæminam ab eodem patre vel matre, quamvis ex illegitima nativitate, sibi conjunctam. Ipse quoque textus civilis non de cognatione à natura introducta intelligendus est, ex qua illegitimus reverà etiam filius, vel frater aut cognatus est, *totò tit. ff. C. de naturalibus liberis*. Sed quòd non sit cognatus quoad effectus juris Civiles, qui cognatis adscribuntur, ut circa

successionem hereditariam, tutelæ administrationem, nobilitatem familiæ &c. Utrum autem in eodem gradu cognatio vel affinitas orta ex copula illicita dirimat matrimonium, in quo dirimit orta ex copula matrimoniali, alibi dicemus &c.

Distinguitur & explicatur consanguinitas per lineas & 20 gradus. *Linea* est ordinata collectio personarum ab uno stipite descendendum, diversos continens gradus. *Gradus* est distantia personarum, qua cognoscitur, quo intervallo consanguinei sibi invicem conjungantur. *Stipes*, ex quo linea ducitur, & initium distinguendi gradus desumitur, est illa persona, à qua reliquæ, de quarum cognatione quæritur, descendunt, & in qua tanquam primà & una radice conveniunt, v. g. si de duorum fratrum filiis quærat, eorum stipes est avus, non autem unus ex fratribus, qui quidem genuit suum, non verò alterius fratris filium, ex avo ergo amborum fratrum filii mediàtè tanquam ex radice descendunt.

Rursus *linea* consanguinitatis est triplex, scilicet *linea 21 ascendendum* sive parentum & avorum: *linea descendendum* sive liberorum & nepotum, qua utraque *linea* etiam *recta* dicitur: & demum *linea collateralium*, id est eorum, qui nec à nobis geniti sunt, nec nos ab ipsis, sumus tamen eodem sanguine propagati, ut nostri vel parentum nostrorum fratres & sorores, aut eorum fratrum liberi.

Hæc *Collateralium* *linea* iterum dividitur, quòd alia sit *æqualis*, quando uterque ex cognatis æqualiter distat à communi stipite, sicut duo fratres vel eorum filii. Alia *inequalis*, quando unus ex consanguineis gradu remotior est, ut si me comparem cum filio mei fratris.

Aliter autem computantur gradus de jure Civili, aliter de 22 jure Canonico; de jure Canonico triplex assignatur regula, prima est, *In linea recta seu ascendendum & descendendum tot sunt gradus, quot sunt persone* (computatis mediis & extremis, de quarum cognatione quæritur) *una dempta*. Sive alio modo: *Tot sunt gradus, quot sunt generationes, usque ad illam personam, de cujus cognatione quæritur*, v. g. si quærat, quoto gradu sit nepos avo conjunctus? Dico, avus, filius, nepos, sunt tres personæ, una dempta, manent duæ, ergo duo gradus. Vel: avus genuit filium, est una generatio, & unus gradus, filius genuit nepotem, est secunda generatio, consequenter secundus gradus, & sic de cæteris.

Secunda regula est, *In linea collateralium toto gradu consanguinei distant inter se, quoto quisque eorum à communi stipite*.

Sic duorum fratrum filii sunt sibi in secundo gradu conjuncti, quia avus est communis eorum stipes, respectu avi autem uterque est nepos, & sic in secundo gradu &c.

Tertia regula: *In linea collateralium inequali remotior trahit ad se viciniorum*, id est, quoto gradu remotior distat à communi stipite, toto distat inter se: ut autem sciatur quoto gradu quisque distat à stipite, advertendum est, quemlibet ex collateralibus respectu stipitis esse descendendum & in *linea recta*, adeoque adhibendam esse primam regulam.

De jure civili una tantum est universalis regula, ut singulæ personæ singulos gradus constituent, & ita tot sint gradus, quot sunt personæ, quæ à stipite descendunt, una minus, sive ipso stipite non computato. Unde duo fratres ex hoc jure sunt sibi in secundo gradu, fratrum filii in quarto conjuncti.

Rationem diversitatis inter utramque computationem canonicam & civilem assignat Pontifex *in cap. ad sedem. caus. 35. q. 5.* quòd computatio canonica sit instituta circa matrimonium, quod semper inter duas personas contrahitur, & sic semper duæ personæ in eodem gradu ponuntur, computatio verò civilis sit instituta circa successionem hereditariam, quæ de persona ad personam devolvitur, hinc est, ut quoties de hereditate vel actu alio præter matrimonium quæritur, in quo parentelæ respectus habetur, computatio fiat secundum jus civile, non tantum in foro civili, sed etiam Canonico & inter Clericos teste Covar. *de matrim. p. 2. c. 6. §. 6. n. 8. Barb. c. ult. de consanguin. n. 4.*

Præcognita graduum & consanguinitatis notitia ulterius 24 dicendum est, aliter in *linea recta* & aliter in *transversa* seu collateralium dirimi matrimonium per consanguinitatem. Etenim *in linea recta* propter reverentiam parentibus debitam communis est sententia, prohibitionem esse in infinitum, prout in jure civili expressè constitutum est, *in L. nuptiæ. 53. ff. de ritu nuptiarum & §. 1. Instit. de nuptiis*. Idque in jure Canonico circa hanc lineam apertè correctum non reperitur, in dubio autem jurium correctio non præsumitur, *c. cum expediat. de elect. in 6.* & quod deest juri Canonico, ex Civili suppletur, & vice versa, *c. 1. de novi operis nuntiis*.

In *linea transversa*, quamvis olim de jure Canonico antiquissimo simpliciter inter consanguineos, quousque gradus

ac generationis memoria retineri poterat, matrimonia prohibita fuerint, *c. de consang. c. in copulatione* 35. q. 2. id tamen jure posteriori ad septimum, & demum jure novissimo, quo hodie utimur, ad quartum gradum inclusivo limitatum & restrictum fuit, *c. non debet, & c. ult. de consang. & affin.*

25 Sunt quidem aliqui existimantes, universum tam in linea recta quam transversa non extendi impedimentum extra quartum gradum propter *d. c. non debet*, quod generaliter, & sine distinctione loquitur, sicut docet Sanch. l. 7. disp. 51. num. 13. quod tamen ex prædictis refutari potest, nec huic disputationi parum utili longius immoror, cum conditio, & brevitatis vitæ humanæ sine miraculo vix admittat videre descendentes in quinto gradu, &c.

De dispensatione autem tam super hoc impedimento cognationis quam alius, inferius sect. 13. dicemus, ubi etiam, quo jure divinatione an humanis singula impedimenta, & cur aliqui gradus consanguinitatis & affinitatis ultra prohibitionem juris naturalis statuantur.

SECTIO V.

De Crimine.

SUMMARI A.

- 1 Quid nomine criminis intelligatur?
- 2 Sola promissio non constituit impedimentum.
- 3 Quando & quæ machinatio constituat impedimentum?
- 4 Machinatio debet habuisse effectum.
- 5 Occiso tam viri quam femine causat impedimentum.
- 6 Homidium factum non causa matrimonii non causat impedimentum.
- 7 Adulterium, & promissio diverso etiam tempore facta causant impedimentum.
- 8 Soluta & norans complices esse uxorem acceptans promissionem non contrahit impedimentum.
- 9 Qualis debeat esse promissio, ut causet impedimentum.

1 **C**rimen hoc loco intelligitur adulterii & homicidii. Dicendum ergo, quod solum adulterium per se quidem non sit impedimentum impediens matrimonij, si tamen una cum adulterio concurrat matrimonij promissio, ubi legitimus mortuus fuerit, & multo magis si de facto per verba de præfenti matrimonium attentetur, vel machinatio in mortem legitimi conjugis interveniat, statim insurget impedimentum criminis, & nunquam inter tales adulteros matrimonium esse poterit, *c. super e. significasti e. cum haberet & c. passim de eo, qui duxit, quàm pot. ut per adul.* quod ad excludendum votum captivæ mortis ita statutum est, ne, si talia matrimonia tolerentur, frequenter adulteri in vitam infantis conjugis infidias sternerent. Nunc autem

2 **Quæritur I.** An sola promissio sine adulterio constituat impedimentum dirimens, si v. g. uxor promittat alicui matrimonium, postquam maritus mortuus fuerit? Resp. Negative, quamvis enim etiam sola promissio possit inducere votum captivæ mortis, tamen impedimenta matrimonij tanquam odiosa, potius restringenda sunt, quàm ultra casus in jure expressos extendenda, & majus est semper periculum, si promissio conjugatæ adulterio, quàm si sit sola, cum homines libidine excæcati majora facinora temerè audere soleant, pro hac conclusione textus est satis clarus *c. ultim. eod.* Attamen talis promissio licet non irritet matrimonium ex post facto per novum consensum contractum, ex se tamen non est obligatoria, neque vim sponsalium habet, quia constante matrimonio de alio pacisci turpe pactum reputatur, & aliquam saltem occasionem captivæ mortis præbet, prout in simili de Jure civili pactum super viventis hæreditate plenum tristissimi evenit, & propterea invalidum dicitur, *L. ult. Cod. de pactis.*

3 **Quæritur II.** An sola machinatio in mortem conjugis absque adulterio causet nullitatem matrimonij? Inter diversas DD. opiniones illa videtur probabilior, quod machinatio unius ex desponsatis non causet impedimentum, nisi conjuncta fuerit cum adulterio, secus autem, si uterque consilio, auxilio, consensu aut conspiratione ad mortem conjugis innocentis concurrerit, ita non obscure colligitur *ex c. 1. de convers. infidel.* ubi propter hoc solum quod mulier cum alio viro soluto conspiraverit in mortem sui mariti, dissolvitur inter ipsos conjugium, nulla facta mentione adulterii, quare reliqui textus, qui de sola machinatione loquuntur, de conjuncto adulterio explicandi sunt, ut ultra casus clarè in jure expressos non fiat impedimentorum extensio, Panormit. & Barb. in d. c. 1. de convers. infidel.

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

Quæritur III. An requiratur, ut machinatio habuerit effectum, & conjux occisus sit? R. affirmative, quia in materia pœnali & odiosa verba strictè & cum effectu accipienda sunt, deducitur *ex c. si quis vivente caus. 31. q. 1.* ubi dicitur cum adultera contrahi posse matrimonium, nisi fortè vir aut mulier priorem maritum, qui mortuus fuerat, occidisse notetur.

Quæritur IV. An sit verum, quod impedimentum criminis tantum ex occisione uxoris nascatur, è contra de casu, quo uxor mariti mortem procurat, nihil in jure dispositum sit, adeoque nec ad eum tanquam rarius contingentem extendendum juxta *L. nam ad ea. ff. de legibus.* Sicut docent Victor, Ledesma, & Henriquez apud Gutierrez de matrim. q. 105. n. 10. R. Nullam inter viri & uxoris occisionem faciendam esse differentiam, ita apertè convincitur *ex c. 1. de convers. infidel. & in d. c. si quis vivente. caus. 31. q. 1.* quæ capitula de occisione uxoris loquuntur.

Quæritur V. An oriatur impedimentum, si homicidium cum adulterio quidem concurrat, sed factum sit ex alia causa, quàm intentione ineundi matrimonij, v. g. ex rixa orta & ob injuriam illatam. R. Non oriri in tali casu impedimentum probabiliter videtur, quia ratio prohibitiva legis non subest in omni homicidio, sed tantum in illo, quod intentione matrimonij committitur, ne scilicet adulteri spe matrimonij illecti frequenter in vitam innocentis conjugis insidiantur. *Sanch. lib. 7. disp. 18. n. 13.*

Quæritur VI. An ad constituendum impedimentum criminis requiratur, ut simul & semel concurrat promissio & adulterium? R. Sufficere, si utrumque sit factum constante matrimonio priori, sive deinde acciderit eodem tempore promissio & adulterium, sive diverso, ut satis colligitur *ex c. ult. de eo, qui duxit & c.* in illis verbis: *Ceterùm tolerari non debet, si prius vel postea, cum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluerit.*

Quæritur VII. Quid juris, si femina soluta peccet cum conjugato, ignorans eum esse conjugatum, ex post facto autem, cum jam de hoc est certiorata, promissionem acceptet, vel de facto contrahat matrimonium? R. tali casu valde probabiliter dici posse, nullum subesse impedimentum, quia illa copula ex parte femine ob ignorantiam status conjugalis in altero non fuit formale adulterium, neque etiam adulterorum pœnam meretur, consequenter nec istam, quæ à jure tantum adulterio cum promissione matrimonij conjuncto infligitur. *Barb. in c. 1. de eo qui duxit n. 2.*

Quæritur VIII. Qualis debeat esse promissio, quæ concurrens cum adulterio constituat impedimentum, an debeat habere connexam repromissionem, vel an sufficiat alterius partis promissio, acceptatio vel taciturnitas, quid si ficta tantum cum intentione alteram partem ad peccatum inducendi? R. 1. Requiritur promissionem, quæ habeat obligationem determinatam ineundi matrimonium cum adultera: adeoque non sufficere, si v. g. adulter dicat, *nisi esset uxora tua, te ducerem*, &c. quia talia verba necdum continent actualem promissionem, sed intentionem tantum & propositum. Item & illa verba probabiliter excusari possunt ab impedimento, si adulter dicat: *mortua uxore nullam aliam ducam nisi te.* Cum ita promittens non præcisè se obliget ad matrimonium, quin possit ab eo abstinere, ut superius de sponsal. traditum. Non tamen requiritur, ut promissio sit juramento firmata, sicut latè probat *Sanch. lib. 7. disp. 79. n. 29.* contra quosdam contrarium sentientes.

2. Quamvis sola promissio sine repromissione alterius partis sufficiat ad constituendum impedimentum, si cum adulterio concurrat, quia Canones solius promissionis nullibi autem repromissionis circa hoc impedimentum meminerunt, necesse tamen est, ut promissio ab altera parte per signum aliquod externum acceptetur, sola autem interna acceptatio vel taciturnitas non sufficit, tum quod jura non soleant actu merè interno pœnam statuere, sicut dicitur, quod cogitationis pœnam (in foro externo) nemo patitur, *c. cogitationis de penitentia dist. 1. & L. cogitationis ff. de panis*, tum etiam, quod tacens in dubio non censeatur consentire in sui præjudicium: & cum talis acceptatio sit illicita, & delictum, non præsumatur. *L. merito ff. profecio.*

3. Etiam fictam promissionem sufficere, dummodò altera pars seriò intellexerit, & acceptarit, quia tunc periculum captivæ mortis saltem ex parte acceptantis quæ subest, ac in promissione vera.

Demum hic adnotari potest, non oriri impedimentum, si promissio adhuc durante priori matrimonio fuerit mutuo consensu remissa & dissoluta, quia tunc perinde est, ac si nunquam imposita fuisset, &c.

Neque etiam ab infidelibus impedimentum istud contrahitur, cum jure tantum Ecclesiastico sit statutum, ideoque matrimonium

monium cum crimine in infidelitate contractum valebit, aut crimē tunc commissum non nocebit post baptismum, quo minus cum adultera contrahi possit: nisi una pars tempore commissi criminis fuit fidelis, *Sanch. lib. 7. cap. 79. n. 42.*

Utrum autem hoc impedimentum contrahatur etiam ab ignorantibus invincibiliter, colligi poterit ex iis quæ inferius *sect. II. III.* dicentur.

S E C T I O VI

De Disparitate Cultus.

S U M M A R I A.

- 1 Ex continuo usu Ecclesie irritum est matrimonium fidelis cum infideli.
- 2 Matrimonium Catholici cum hæretica est illicitum, non tamen invalidum, & quid in Germania.
- 3 Pacta, ut liberi aliqui in fide hæretica educantur sunt impia.
- 4 Contrahentes in infidelitate cum impedimento an sint separandi post conversionem ambarum?
- 5 An & quomodo conversus possit repellere alterum conjugem non conversum.
- 6 Quinam intelligantur nomine infidelium?

Propter disparitatem cultus irritum est matrimonium à fidei contractum cum infideli juxta illud Apost. 2. ad Corinth. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*, &c. quamvis autem hic rextus, sicut & alii, qui ex Scriptura & jure Canon. allegantur *ut cap. cave, cap. non oportet, & c. Judæi, 28. quest. 1.* non loquantur in propriis terminis de irritatione, sed tantum prohibitionem matrimonij fidelis cum infideli, tamen quod ex continuo usu Ecclesie irritum habeatur matrimonium fidelis cum infideli contractum testis est Sanch. cum Soto, Bellar. & aliis *lib. 7. disp. 1. n. 8. cit.*

Matrimonium autem Catholici cum hæretica est quidem illicitum, & sine peccato non contrahibile, non tamen est invalidum: imò in Germania ac aliis locis ubi hæretici permixti cum catholicis vivunt, planè non esse illicitum Catholicæ personæ cum hæretica tenet Sanch. *d. l. 7. disp. 72. nu. 5. Azor. insit. mor. lib. 8. c. 11. qu. 5.* quia illa conjugia inter Catholicos & hæreticos inest aliorum contractuum ob communem pacem & tranquillitatem, dummodo Catholica liberè permittatur, & absque perversionis periculo in fide; quod periculum, quia ordinariè subest, difficulter excusandi sunt parentes, qui aliquando nulla necessitate cogente propter respectum aliquem merè temporalem v. gr. honores, aut divitias liberos suos cum hæreticis conjungunt. † Pacta verò, ut quidam ex liberis nascituris in fide Catholica, quidam in hæretica educantur, profus impia & contra jus divinum pugnantia meritò asserit Sanch. *d. l. Nav. Causil. 1. de Constit. nu. 6.*

Quod si duo infideles inter se contraxerint matrimonium, id jure naturali validum erit, & propterea, si ambo ad fidem convertantur, ab invicem separari nec possunt nec debent, tamen si forte cum aliquo impedimento dirimentis jure tantum humano Pontificio introducto v. g. in 2. & 3. consanguinitatis gradu lineæ collateralis contraxerint, quia eo tempore, quo contraxerunt, non ligabantur jure Pontificio, utpote qui per baptismum nunquam in Ecclesiam ingressi, ejusque subditi effecti sunt: post conversionem autem talia impedimenta censentur primùm supervenire matrimonio & ideò illud non dirimunt, sicut si inter Catholicos post contractum matrimonium aliqua affinitas ex parte uxoris induceretur, ut quia ipsius soror à marito cognita esset, *c. gaudemus, 8. de Divort.*

Si verò aliquis in infidelitate plures uxores habuerit, primam, cum qua contraxit, retinere debet, quia cum illa sola verum fuit matrimonium, non obstante, quod fortassis eam ante conversionem repudiaverit, cum talis repudiatio, quantum ad dissolutionem vinculi matrimonialis non valeat, *d. cap. gaudemus, vers. quia verò.* Dico autem, si ambo convertantur, nam si unus tantum conversus fuerit, nondum erit Sacramentum, quia matrimonium in utroque conjugate est unum numero Sacramentum, sicut est unum numero matrimonium, ergò si in uno non est Sacramentum, nec erit in altero, Sanch. *de matr. lib. 2. disp. 8. & 9.*

Matrimonium infidelium quamvis consummatum potest dissolvi, ex speciali privilegio Christi in fidei favorem dato, & per Apostolum Paulum promulgato, si alter conjugum ad fidem convertatur, alter autem in infidelitate pertinax nolit

cohabitare, vel saltem non sine contumelia vel blasphemia Creatoris, & quin alterum ad peccatum pertrahat, ita enim inquit Apost. 1. ad Cor. 7. *quod si infidelis discedit, discedat, non enim servituti subiectus est frater aut soror hujusmodi*, & idipsum confirmatum est in cap. quanto de Divort. Interim non ipso facto dissolvitur matrimonium, quando infidelis declaravit, se nolle cohabitare, sed tunc primùm, ubi fidelis ad alias nuptias transierit; quare si ante contractas nuptias infidelis penitentia ductus etiam convertatur, à fidei prius converso ad conjugium recipi debet, *d. c. gaudemus in fine de divort.*

Si infidelis nolit quidem converti, velit tamen converso pacificè cohabitare, is à converso admittendus est. *Ceteris autem*, inquit Apost. *d. l. dico ego, non dominus, si quis frater habet uxorem infidelis, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam.* Sed quia per hæc verba insinuare videtur Apostolus, non esse præceptum Christi, ut fidelis cohabitaret infideli, ideò non pauci sunt, qui putent, Apostolum ibidem tantum consilium tradidisse, & absolutè loquendo matrimonium dissolvi posse, si alter conjugum nolit converti, licet velit pacificè cohabitare, imò etiam ipsam cohabitationem tantum in primitiva Ecclesia, ubi in dies multi convertantur ad fidem, propter spem conversionis permisam fuisse docent, hodie verò, ubi refrigerante charitate magis periculum perversionis est, dictam cohabitationem non amplius admitti. Quo faciunt text. in *c. 8. & 10. caus. 28. q. 1.* Verùm, cum utraque sententia multis DD. auctoritatibus, & rationibus stabiatur, apud Sanch. *de matr. lib. 7. disp. 74. nu. 8. & 9.* Ego puto in hac controversia plurimum esse tribuendum arbitrio Episcopi, ita ut si ex cohabitatione fidelis cum infideli speretur conversio infidelis, Episcopus admittendo cohabitationem sequatur priorem sententiam, posteriorem autem tunc si ex dicta cohabitatione (ut communiter inter Judæos propter pertinaciam eorum & inconstantiam, in fide accidere solet) rationabiliter timeatur, fore periculum perversionis.

Quæ autem hætenus de infidelibus diximus intelligenda sunt de iis, qui nunquam baptismum susceperunt, non verò de Apostatis, qui per baptismum in Ecclesiam ingressi, ejusque subditi effecti, postea verò ad infidelitatem defecerunt, horum enim matrimonia cum semel fuerint Sacramentum, & baptismus imprimat characterem in anima, qui per abnegationem fidei deleri non potest, ideò sunt & manent semper quoad vinculum indissolubilia. Dico quoad vinculum, nam quoad cohabitationem, tanquam propter adulterium spirituale dissolvi posse inferius de separ. matrim. dicetur.

S E C T I O VII.

De Vi.

S U M M A R I A.

- 1 Differentia inter vim & metum.
- 2 Metus invalidat contractum matrimoniale.
- 3 Qui dicatur iustus metus.
- 4 Metus reverentialis an sit iustus.
- 5 Metus non incussus ad eliciendam obligationem, vel propria culpa causatus non est iustus.

Quamvis *Vis* & *Metus* in propriis terminis differant, eo quod *vis* sit corporalis coactio de præsentis alicui illata, *metus* autem dicatur, mentis terpidatio instantis vel futuri periculi causa, quia tamen utrobique tollitur libertas consensus, ideò quod in contractibus de *vi* dicitur, de *metu* quoque cæteris paribus sentiendum est, *L. 1. & seqq. ff. quod metus causa.*

Porrò ex communi sententiâ gesta ex metu regulariter ipso jure valent, sed tantum per sententiam judicis rescinduntur, habent enim causam obligationis, scilicet consensum, cum etiam voluntas coacta sit voluntas, *L. si mulier, 21. §. penult. ff. quod metus causa.* Attamen communis etiam est sententia, hanc juris subtilitatem non attendi in spiritualibus, in quibus metu gesta ipso jure nulla sunt, præsertim in matrimonio, electionibus, & votis, ad quorum substantiam non qualiscumque voluntas sufficit, sed omninò libera requiritur; specialiter verò circa matrimonium pulchram rationem assignat Panormit. in cap. cum locum 14. de sponsal. num. 7. nimis, quod metus, præterquam quod non significet omninò voluntariam conjunctionem Christi cum Ecclesia (quam Sacramentum matrimonij denotat.) adverteatur etiam bonis matrimoni, ut *bono prolis*, cum propter displicentiam coactus non intendat procreationi, & *bono fidei*; cum propter

invitas

ia vitas nuptias conjuges facile labantur in adulterium. Sed ut metus faciat impedimentum, debet esse iustus, & ad eliciendam promissionem incussus.

3 Dico I. metum debere esse *justum*, qui scilicet in virum constantem cadat, *cap. ad audiendam*, 4. *de his que vi metusve*, & c. 6. C. *cod.* cujus metus plura passim in jure enumerantur exempla, ut carceris, servitutis, verberum, mortis, & c. l. 3. § 4. *qui in carcerem*, 22. ff. *d. t.* Licet autem jura loquantur de metu in virum cadente, nihilominus conditio personarum attendenda erit, ita ut levior metus in femina, quam viro sufficiat, & ided ex parte mulieris requiritur metus, qui cadat in constantem mulierem, teste Panorm. *in d. cum locum* n. 6. & notabilem doctrinam ponit Barbof. *in collect. ad c. sacris*. De his que vi, & c. *vers. pro resolutione*, quod ille dicatur justus metus, per quem aliquis eligit minus malum ad vitandum majus. Deinde nomine justus metus is intelligitur, qui contra bonos mores irrogatur, non quem Judex pro sua jurisdictione facit l. 3. § 1. ff. *quod metus causa*, unde sine dubio valebit matrimonium, tamen Judex Ecclesiasticus sponsum per arrestationem aut Censuras ad contrahendum matrimonium cum sponsa ad sponsæ instantiam compellat.

4 Celebris est questio, an metus *reverentialis* sit *justus metus*, an valeat matrimonium si liberi aut subditi propterea contraxerunt, quia ob reverentiam parentum vel dominorum non sunt ausi contradicere? Quod talis metus justus non sit, videtur evinci posse ex L. *ad invidiam*, C. *quod metus causa* l. *de jussor*. 26 § 1. *De pignor*, l. *si Pater* 22. *De ritu nupt.* in quibus locis satis declaratur, quod sola *reverentia* pro justo metu allegari nequeat. Econtrario æquè fortiter pugnat l. *penult. ff. De furis*, & l. 1. § *in summa*, 6. ff. *quarum rerum actio non datur*. Ubi metus & nimia reverentia equiparantur. In hac questione omittis aliorum sententiis breviter statuo, quod *reverentia* superiori debita non indistinctè pro justo metu allegari possit, alias nullus foret locus efficaci contractui inter Dominum & subditum, vel in presentia parentum, si præteritione *reverentia* qualibet cavillatio concederetur, quo sensu accipiendæ erunt leges primitus allegatæ. Sin autem præter *reverentiam* alia insuper adminicula concurrant, ex quibus colligi possit, aliquem reverà fuisse invitum, ut inæqualitas contrahentium, periculosa minæ, importuna persuasiones, & ut verbo dicam, si modesta contradictio nihil javisset, tunc metus *reverentialis* etiam pro justo metu habendus erit, *vid. Rota apud Farinac. in decis. crim. & test. decis. 242 Cov. de matr. p. 2. c. 3. § 6. n. 4. Facchin. 2. contrav. c. 96. Gutrier. de matr. c. 44. n. 31.*

5 Dico II. metum debere esse ad eliciendam obligationem seu promissionem incussam, quare valebit matrimonium, si propter delictum in carcerem conjectus, ad favorem Judicis & sui liberationem impetrandam cum ejusdem filia contrahat, vel si puella in periculo latronum vel naufragii constituta alicui ad se liberandum promittat matrimonium. *Arg. l. metum*, 9 § 1. ff. *quod metus causa*. Illud etiam matrimonium valere probabile est, quod contractum est ab eo, quem Pater in delicto cum filia deprehendit, eique imputatus est mortem vel accusationem, nisi filiam duxerit, nam metus, in quem quis se propria culpa conjicit, maximè si in compensationem damni illati exigit matrimonium, sicut in dehortatione *juxta c. 1. & 2. De adult. & stupro*, non est satis justus ad matrimonium irritandum, *Gutrier. de matrim. c. 76. n. 49.*

Præterea ex nova constitutione Concilii Trid. *Sess. 24. de reform. matrim. c. 6.* inter raptorem & raptam, quamdiu hæc in potestate raptoris manet, matrimonium consistere non possit, supra §. 4. *de raptu sub num. 16.* diximus, ubi plura de raptu.

S E C T I O VIII.

De Ordine.

S U M M A R I A.

- 1 Ordines sacri dirimunt matrimonium.
- 2 Quæ pœna sint contrahentium in ordinibus sacris.
- 3 Matrimonium non dissolvitur per susceptionem Ordinum, sicut per ingressum monasterii. Et ordinatus efficitur irregularis.
- 4 In minoribus ordinibus validè contrahitur matrimonium.
- 5 In minoribus contrahens est ipso jure privatus suis beneficiis; fallit tamen si prius sponsalia de futuro contraxit.

Clerici in majoribus ordinibus constituti matrimonium contrahere nullatenus, possunt propter votum castitatis, quod Sacris ordinibus annexum est, & in quod suscipiendo Sacram ordinem ipso facto consentire censentur, quamvis aliis verbis non exprimant, *c. un. De voto in 6.* Si de facto contrahere præsumperint ad dimittendas mulieres, & agenda penitentiam per suspensionis & excommunicationis censuram compellendi sunt *c. 1. De cler. conjug. imò ex clem. un. de consang. & affin.* Ipso facto excommunicationem incurunt, fiuntque irregulares, ita ut nec in susceptis ordinibus ministrare, nec ad altiores valeant promoveri: in qua tamen irregularitate post peractam penitentiam dispensare Episcopo concessum est, dummodo cum vidua non contraxerint, *c. 1. & 2. Qui clerici vel vov. & c. 4. De cler. conjug. c. fin. De bigam. non ord.*

Quid autem Juris, si post contractum matrimonium aliquis laicus suscipiat Sacros Ordines, anne tali casu dissolvatur matrimonium, sicut superius *sect. 3. num. 2.* de ingressu in Religionem dictum? De hac questione extat constitutio in *Extravag. un. Joan. XII. De voto*, quod votum solemnitatum per susceptionem Sacri Ordinis dirimat quidem matrimonium post contrahendum, non autem matrimonium antea contractum, etiam si id per carnis copulam consummatum non sit, eò quod nec jure divino, nec per sacros canones reperitur hoc statutum. Præcipit item S. Pont. ut, si aliquis de facto post contractum matrimonium Ordinatus fuerit, id tamen necdum consummaverit, per Ordinarium instanter moneatur & inducatur, ut Religionem ingrediatur, quod si forsitan renuerit adimplere, ipsum, si uxor ejus insisterit, per censuram Ecclesiasticam compellat contractum matrimonium consummare. Cæterum post contractum Matrimonium Ordinatus efficitur irregularis & manet talis etiam soluto matrimonio, si tamen Religionem approbatam ingressus fuerit, & professionem tacitam vel expressam fecerit, poterit cum ipso Episcopo dispensare, *d. Extravag. un. Sed quare potius Sacri Canones statuerunt, ut per ingressum in Religionem dissolveretur matrimonium ratum, quam per susceptionem sacrorum ordinum? R. illam (præter alias, quas refert gl. in d. Extrav. un. in v. est censendum) posse congruentiæ rationem assignari, quod ingrediens Religionem censetur spiritualiter mundo mortuus, cap. placuit 8. ubi gl. in v. mortuus, 6. qu. 1. & ab omni consortio prioris sponsæ in perpetuum separatus: econtra qui tantum Sacros ordines suscipiens in sæculo remanet multis occasionibus & tentationibus expositus sit, ad relietam sponsam mutata voluntate & reconcepto pristino amore revertendi.*

Clerici in minoribus ordinibus constituti matrimonium quidem contrahere possunt, sed si contrahant, omnibus beneficiis Ecclesiasticis privantur, qui simul voluptatibus & carnalibus desideriis, ac divinis & Ecclesiasticis obsequiis vacare non valent, ait Pont. *in c. 3. De cler. Conjug.* & quod hæc privatio ipso jure inducatur etiam ante sententiam Judicis, nec post contractum matrimonium tuta conscientia clericus contrahens possit amplius percipere fructus sui beneficii, innumeris penè autoritatibus probat Barb. *in Collect. ad c. 1. De cler. conjug. n. 2.* cui non resistit, quod pœna in conscientia ante sententiam Judicis saltem declaratoriam locum non habeant; nam responderi potest, quod supradicta privatio non proveniat propriè ex pœna sed magis ex incompatibilitate beneficii cū statu matrimoniali, & ita ex interpretativa renunciatione beneficii à Clerico per contractum matrimonium facta. Est autè hic notandum, quod de privatione beneficii dicitur, esse intelligendum si ipsum matrimonium actu contractum sit; si verò sponsalia tantum de futuro Clericus in minoribus contraxit, necdum suo beneficio renunciasset censetur, quia necdum statum incompatibilem actu suscepit, *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 46. n. 23.*

S E C T I O IX.

De Ligamine.

S U M M A R I A.

- 1 Polygamia damnata in fide Ort. hodeca.
- 2 Cur & quomodo in veteri Testamento plures uxores concessæ?
- 3 Secundæ nuptiæ non admittuntur, nisi solutis primis per mortem aut dispensationem.
- 4 Quid si quis vivente prima uxore superinduxerit alteram?
- 5 Quæ probationes requirantur ad probandam mortem alterius conjugis.
- 6 Quando uti liceat matrimonio secundo, si dubitetur de morte primi conjugis?

De fide Christiana credimus damnatam esse polygamiam, nec uni viro licet habere simul & semel plures uxores, vel uni mulieri plures viros, ut definit Trident. sess. 24. de reform. matr. can. 2. & constat ex Evangelio Matth. 19. ubi Christus dicit adulterium committi, si quis una uxore dimissa, aliam ducit, & revocat matrimonium ad primam institutionem, ubi Deus unum virum & unam feminam creavit: ad versatur enim polygamia nisi saltem secundario matrimonii; quia impeditur cohabitatio matrimonialis pacifica, & si maritus erga unam uxorem magis affectus esset, quam erga alteram, periclitaretur alterius castitas, & ita matrimonium respectu hujus uxoris minus a marito dilectæ non esset remedium, sed potius periculum peccati, unde cum hoc impedimentum ligaminis Juris divini & naturalis sit, nulla consuetudine vel dispensatione humana tolli potest, *vid. inf. sect. 13. sub num. 4.*

2 Quod verò in veteri Testamento Patriarchis & Judæis licuerit simul & semel habere plures uxores, dicendum est, Deum matrimonij & naturæ auctorem, in lege, quam ipse posuit, ad gentis suæ electæ multiplicationem dispensavisse, eamque dispensationem postea a generis humani Reparatore revocatum esse, argumento *c. gaudemus de Divort.*

Id autem nunquam licuit, ut una mulier simul, & semel haberet plures viros, quia talis cohabitatio impediret etiam finem primarium matrimonij, cum ex sententia medicorum rarè aut nunquam inde sequi solet proles generatio, & deinde omnia jura pro patre, & filio lata confunderentur, quia incertus pater esset.

3 Porro ut hodie liceat inter Christianos ad secundas nuptias transire, debet prius matrimonium quoad vinculum fuisse dissolutum; & siquidem fuerit matrimonium ratum per dispensationem Pontificis, aut ingressum in religionem, si autem consummatum, per mortem alterius conjugis.

4 Quòd si quis de facto contraxerit matrimonium vivente prima uxore, distinguendum erit, an mulier sciverit, virum legitimam habere uxorem, vel an ignoraverit, si scivit ab initio, vel ex post facto, & insuper passa est se cognosci ab eo (secus, si cognita nunquam fuisset,) tunc etiam post mortem primæ propter adulterium, & fidem datam est impedimentum dirimens inter ipsas, si ignoravit secunda uxor vitam prioris toto tempore ante mortem ejus, tunc in potestate quidem secundæ uxoris decepta est, separari à viro putativo, eo quod matrimonium mortua prima uxore non confirmetur, cum consensus in matrimonium propter impedimentum fuerit illegitimus, vir tamen si mala fide egit, ratione promissionis & deceptionis compelli potest ad contrahendum de novo cum decepta, de quibus omnibus videatur text. & Gloss. in *c. l. c. veniens*, & *c. fn. De eo qui duxit*.

5 *Quæres.* Si alter conjux dicatur mortuus in remotis locis, quales probationes ad demonstrandam mortem ejus requirantur? Resp. Licet de jure civili uxoribus dubitantibus de morte mariti concedatur licentia ad alias nuptias transeundi, si maritus ultra spatium 5 annorum abfuerit, ut apertè constet ex *L. uxores*, 9. ff. de divort. Aliud tamen de Jure Canonico constitutum est, ut scilicet post quancunque temporis absentiam non aliter permittatur conjux presens ad secundas nuptias transire, quam si certum nuntium de morte absentis acceperit, text. *cap. in presentia* 19. de sponsal. neque nomine certi nuntij intelligendus est unus testis, aut fama de morte conjugis, ut quidam volunt apud Barb. in *cod. c. 19 n. 3.* sed illud verbum nuntium accipiendum est in neutro genere, ut significet certam probationem & denuntiationem, cui in judicio fides adhiberi possit. Cum enim per transitum ad secundas nuptias possit conjugi absentis & forsitan adhuc viventi grave prejudicium fieri, non est æquum, ut hic transitus concedatur, nisi plena probatio de morte proferatur: Interim tamen quia ex parte presentis potest esse periculum incontinentiæ, aliæque justæ causæ, ex quibus ad secundas nuptias urgeatur, & aliàs noti juris est, quòd ob difficultatem probationes imperfectæ admittantur per text. & DD. in *leg. non omnes*, §. a barbaris, ff. de re militari. Ideò etiam moralis certitudo de morte conjugis absentis sufficit, cui nimirum arbitrio judicis & prudentis viri rationabiliter credi possit, quamvis absolute infallibilis non sit: unde sufficit, si cum uno teste fama, aliæ circumstantiæ concurrant, ut quia absentia est diuturna, & absens fuit senio vel morbis confectus, in periculo belli, latronum, naufragij vel pestis constitutus, post diligentem & longam inquisitionem nullibi receptus. Ad majori tamen cautelam usus judiciorum obtinuit, ut quando rationabile dubium subest de morte prioris conjugis, licentia transeundi ad secundas nuptias à judice Ecclesiastico petatur, qui, si probationes minus perfectæ sint, solet juramentum conjugi, quòd vitam alterius conju-

gis nesciat, nec credat, deferre: Quod si de facto ante certum nuntium secundum matrimonium contractum sit, ejus valor erit in suspensio, usque dum de rei veritate appareat.

Circa usum autem talis matrimonij generalis quæstio movetur à DD. an & quando sit licitus si dubitetur de valore matrimonij? Resp. tres casus esse distinguendos. 1. si utriusque conjugis saltem probabiliter constet de impedimento, aut uterque rationabiliter dubitet, usus matrimonij ex neutra parte licitus erit. 2. si unus sciat impedimentum, aut rationabiliter dubitet, sciens nec exigere nec reddere; qui verò dubitat, is ex sua parte debitum quidem exigere non potest, alteri tamen parti in bona fide existenti, & nihil dubitanti, si petat, reddere tenebitur, qua de re inferius in fine hujus cap. circa casum matrimonialem in quæst. 5. plura dicentur. 3. si nec adsit scientia impedimenti, nec rationabile dubium, sed tantum scrupulus & levis anxietas, ad consilium Episcopi, Parochi, vel Confessarij deponenda erit, & licitus utriusque sequeretur matrimonij usus, sicut hac de re sunt textus valde notabiles in *c. litteras*, de restitu. sponsal. *c. 2. de secundis nuptiis*, & *c. inquisitioni* 44. de sentent. excomm.

S E C T I O X.

De Honestate Publica.

S U M M A R I A.

- 1 Quid sit publica honestas, & quomodo differat ab affinitate.
- 2 Differentia juris antiqui & hodierni circa honestatem publicam.
- 3 Hoc impedimentum non manet, sponsalibus mutuo consensu dissolutis.
- 4 Manet tamen, si solvantur ex qualibet alia causa.
- 5 Ex matrimonio in forma Tridentini non contracto non oritur hoc impedimentum.
- 6 Quid si quis cum duabus sororibus successivè contrahat sponsalia?
- 7 An & quando hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus conditionatis?
- 8 An conjurat hoc impedimentum ex matrimonio vel sponsalibus à parentibus pro liberis contracto.

Publica honestas est aliqua quasi affinitas quæ per per conjunctionem animorum oritur, tam ex sponsalibus de futuro, quam præsentibus.

Differt à vera affinitate, quòd hæc non tantum ex animorum conjunctione, sed corporum & copula carnali proveniat. Estque hujus publicæ honestatis seu quasi affinitatis effectus, ut impedimentum dirimens matrimonij constituat, ita quidem, ut non tantum stantibus primis sponsalibus, sed etiam illis dissolutis cum prioris sponsi vel sponsæ consanguineis intra certum gradum constitutis matrimonium nec illicitè nec validè contrahi possit, *c. si quis uxore*, cum seq. *caus. 27. qu. 2.* Rem totam aliquot quæstionibus expeditur.

Quæritur I. An circa hoc impedimentum sit aliqua differentia inter jus antiquum & hodiernum, Resp. olim de jure Decretalium ex unanimi DD. opinione hoc impedimentum diremisse matrimonium usque ad quartum gradum inclusive, & fuisse natum etiam ex sponsalibus nullis & invalidis, dummodò non fuissent nulla ex defectu consensus, v. g. si alter fidei tantum vel gravi metu adactus, vel erando in persona consensisset, quo casu deficiente consensu deficiebat etiam vera animorum conjunctio in ordine ad matrimonium, & consequenter etiam publica honestas, quæ ex ista conjunctione nascitur, *c. unico de sponsal. in 6.* Hodie verò constituit Trid. sess. 24. de reform. matr. *c. 3.* ut publicæ honestatis impedimentum primum gradum non excedat, & si sponsalia quancunque ratione valida non fuerint, nullum oriatur impedimentum.

Verum quia Conc. in terminis valde generalibus loquitur, & aliàs appellatione sponsalium non veniat matrimonium, & sponsalia de præsentibus, idèd Pius V. in sua Bulla ad Romanum declaravit, hanc correctionem Trid. tantum procedere in sponsalibus de futuro, non autem de præsentibus, in quibus adhuc hodie antiqua jura observari debent. Cum enim sponsalia de præsentibus, sive matrimonium ratum publicè in Ecclesia, consummatio autem occultè fiat, & plerumque impedimenta matrimonij occulta sint, scandalosum foret, si quis defunctæ uxoris (licet matrimonium reverà consummatum non sit) consanguineam intra quartum gradum duceret,

ceret, quæ communi hominum opinione affinis censetur, Barb. ad d. Trid. n. 7.

3 *Queritur II.* An, si sponsalia de futuro mutuo consensu dissolvantur, maneat impedimentum publicæ honestatis? Affirmative respondet Sanch. lib. 7. disp. 68. num. 21. Verum cum in dubio impedimenta matrimonii tanquam odiosa potius restringenda sint, quam amplianda, argum. text. in Trid. sess. 24. de refor. matrim. c. 2. in princ. ideo quicquid per rationes in utramque partem hic disputari possit, S. Congr. Card. declaravit, non manere hoc casu publicam honestatem, prout refert Barb. de Offic. Episc. par. 3. alleg. 51. num. 288. Ratio fortè hæc assignari potest, quòd res quælibet eo modo dissolvatur, quo modo colligata est, L. nil tam naturale, ff. de reg. jur. Sed publica honestas nata & colligata est ex mutuo partium consensu, ergo mutuo eorum dissensu iterum dissolvi poterit.

4 *Queritur III.* An idem sit, si propter aliam notabilem mutationem supervenientem, v. g. deformitatem, inopiam, fornicationem solvantur sponsalia? Resp. sponsalibus hoc modo dissolutis manere publicam honestatem. Nam publica honestas est impedimentum perpetuum, quod etiam durat dissolutis sponsalibus, si illa sponsalia aliquando fuerunt valida, sed talia sponsalia ex supposito fuerunt valida, & tantum ex post facto dissensu unius dissoluta ob supervenientem mutationem, ergò &c. Dices, in dissolutione ob fornicationem intervenit dissensus utriusque, nam fornicans frangendo fidem censetur dissentire, & pars altera resiliendo a sponsalibus. Resp. dissensum ex parte fornicantis esse tantum præsumptum seu interpretativum, potest enim contingere, ut retinuerit affectum erga sponsam lapsus humana fragilitate. Si verò ponatur sponsalia his casibus insuper vero mutuo dissensu dissoluta, idem quod in priori quæst. dicendum erit.

Queritur IV. An ex matrimonio, quod non est contractum coram parochio proprio, & testibus juxta formam Trid. oriatur publica honestas? Pro affirmativa facit, quod etiam hodiè stante declaratione Pii V. publica honestas oriatur ex matrimonio qualitercumque nullo, dummodo non sit nullitas ex defectu consensu.

5 Nihilominus negativa sententia mihi videtur valdè probabilis, quam etiam docet Sanch. de matrim. lib. 7. disput. 70. nu. 17. eo quòd talis contractus ex defectu formæ substantialis non habeat formam aut figuram matrimonii, sicuti si propter aliud impedimentum matrimonium nullum esset, oritur verò publica honestas ex conjunctione animorum non qualicumque, sed illa, quæ sit in forma matrimonii, vel sponsalium, si tamen admittatur matrimonium clandestinum valere in vim sponsalium de futuro, tunc etiam concedendum erit, ex tali matrimonio tanquam ex sponsalibus usque ad primum gradum nasci impedimentum.

6 *Queritur V.* Quid si aliquis cum duabus sororibus successivè contrahat sponsalia, quamnam in uxorem teneatur habere? Videtur, quod neutram, non primam, quia ex secundis sponsalibus licet in invalidis, si de præsentis sint, nascitur impedimentum publicæ honestatis respectu cujusvis sororis, adeòque etiam respectu ejus, cum qua prius contraxit: nec etiam secundam, quia & respectu hujus ex contractu priorum sponsalium ortum est publicæ honestatis impedimentum. Resp. in dicto casu illam esse retinendam, cum qua primitus contractus initus est, secunda verò sponsalia cum altera, quamvis de præsentis fuerint, propter impedimentum publicæ honestatis invalida esse. Atque illud hic notandum, quòd impedimentum publicæ honestatis non operetur retrorsum, ut vulgò DD. loquuntur, id est, quòd de secundis sponsalibus de præsentis etiam invalidis oriatur quidem impedimentum respectu aliorum consanguineorum, non tamen in præjudicium illius, cum qua prius sponsalia contracta sunt, per text. expressum in cap. unico de sponsal. in 6. Aliud autem dicendum, si quis cum duabus sororibus successivè contraheret sponsalia, & secundam etiam carnaliter cognosceret, tunc enim neutram habere posset, non primam, quia ex copula nata fuisset vera affinitas, quæ etiam dirimit sponsalia præcedentia, c. ex lit. De eo qui cognovit. Neque etiam secundam propter impedimentum publicæ honestatis ex primis sponsalibus ortum.

7 *Queritur VI.* An & qualiter ex sponsalibus conditionatis oriatur publica honestas? Resp. ex sponsalibus sub conditione contractis, v. g. si mille in dotem dederis, si parentes consenserint &c. regulariter pendente conditione non oriatur publicam honestatem, proinde, si sponsa ante eventum conditionis moriatur, soror vel alia ex consanguineis licitè, & validè in uxorem duci poterit, d. c. un. de sponsal. in 6. Imò si si quis juxta casum in priori quæstione positum cum duabus sororibus successivè contraxerit, cum prima de futuro, &

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

sub conditione, cum altera de præsentis & purè, quamvis hoc licitè, & sine peccato non fecerit, cum debuisset eventum conditionis expectare, nihilominus hanc secundam retinere tenebitur, quia cum ex primis sponsalibus conditionatis orta non fuerit publica honestas respectu alterius sororis, ideo sponsalia de præsentis seu matrimonium cum ea contractum fuit validum, & dissolvit priora sponsalia de futuro, c. sicut 22. de sponsal. Notanter autem dico, pendente conditione non oriri impedimentum publicæ honestatis, nam si apposita conditio jam extiterit, & v. g. parentes consenserint, mille in dotem numerati fuerint, sponsalia erunt purificata, & perinde censebuntur, ac si nullam ab initio habuissent conditionem. Præterea, si conditio etiam sit præsentis, vel præteriti temporis, ut si sis nobilis, si sis artifex, &c. tunc quia talis conditio statim ab initio non suspendit ipsam obligationem, sed jam tunc vel subest, vel non subest, & ita contracta sponsalia sunt valida vel invalida, ita etiam statim ab initio oritur vel non oritur publica honestas. Unde quamvis fortasse sponsa moriatur antequam de conditione apposita constet, an sit nobilis, si tamen reverà fuerit, ejus soror validè in uxorem duci non poterit, nec attenditur, quòd primum ex post facto illa conditio declarata fuerit.

Queritur VII. An oriatur impedimentum publicæ honestatis, si parentes vel alii nomine liberorum contrahant sponsalia? Resp. hanc etiam conditionem pendere ab ea, an & quando talia sponsalia, quæ parentes pro liberis contrahunt, valida sint, vel non, quam quæstionem tractavimus fuse toto §. 3. c. 5.

S E C T I O XI.

De Impedimento Affinitatis.

S U M M A R I A.

- 1 Quid sit affinitas, & quomodo contrahatur?
- 2 Vir & uxor sunt principium affinitatis, non verò affines.
- 3 Quomodo affinitas habet gradus?
- 4 Regula affinitatis traduntur.
- 5 Inter quos contrahatur affinitas.
- 6 Triplex affinitas de jure antiquo.
- 7 Copula perfecta constituit impedimentum affinitatis.
- 8 Etiam ex copula illicita nascitur affinitas.
- 9 Differentia affinitatis orta ex copula licita & illicita.
- 10 Restriçtio Trid. in impedimento affinitatis non extenditur ad consanguinitatem.

Affinitas est propinquitas personarum ex copula carnali proveniens de se non involvens consanguinitatem. Clarissimè hanc definitionem & nominis etymologiam explicat Juris C. in L. non facile, §. 3. ff. de gradibus aff. Affines, inquit, sunt viri & uxoris cognati, dicti ab eo, quòd duas cognationes, quæ diversæ sunt inter se, per nuptias copulentur, & altera ad alterius fines accedat. Ratio autem fundamentalis hujus propinquitatis est, quòd vir & uxor per copulam efficiantur una caro, Gen. 2. adeòque sanguis unius dicatur alterius sanguinem tangere, & consanguinei unius trahantur ad cognationem alterius, unde affines, seu quasi confines, & propinqui appellentur. Porro circa hoc affinitatis impedimentum.

Not. I. Virum & uxorem non esse inter se propriè affines, sed principium affinitatis, & quasi stipitem, ex quo affinitatis gradus numerentur, & distinguantur.

Not. II. Licet in dicta L. §. 5. dicatur, affinitatem gradus non habere, id tamen intelligendum est, quòd non habeat gradus sicut consanguinitas, quæ fit per diversas generationes, & affinitas etiam ex una copula contrahatur ad omnes consanguineos alterius partis. De cætero autem sicut unus ex consanguineis propinquior est altero, ita etiam inter eos respectu affinitatis diversos gradus constituere necesse est, & utique magis propinqua affinitate mihi jungitur soror uxoris matris, quam illius sororis filius, aut nepos. Atque hoc intellectu non tantum cognatis, sed & affinibus suos gradus esse probatur ex l. Juriscons. 10. ff. jam dicto tit. de gradibus.

Not. III. computationem graduum in affinitate desumi ex regulis hoc capit. §. 5. Sect. 4. n. 22. traditis, nam circa affinitatem una est generalis regula; quòd aliquis eo gradu sit affinis alteri conjugii, quo gradu est alteri consanguineus. v. g. soror uxoris est uxor in primo gradu consanguinea, consequenter, & marito in primo gradu affinis, & sic de reliquis consanguineis dicendum erit. Præterea sicut in consanguinitate alii sunt nobis conjuncti in linea ascendenti, alii in descendenti, alii in transversa, ita eadem lineæ etiam in

affinitate observantur, *ascendentes* sunt socer, socrus, vitricus & noverca: *descendentes* gener, nurus, privignus & privigna: *transversales* sunt, reliqui uxoris vel mariti consanguinei, qui specialia nomina non habent, sed simpliciter affines nuncupantur.

Not. IV. Quamvis omnes consanguinei uxoris sint affines marito, & e contra, inter ipsos tamen consanguineos utriusque partis non contrahi affinitatem, quæ causet impedimentum matrimonii.

Hinc est, quod fratres ex altera parte possint ducere duas sorores, pater & filius ex altera parte matrem & filiam, ut clare decisum habetur in *cap. quod super, 5. de Consanguin. & Affin.*

Not. V. De jure antiquo triplicem fuisse affinitatem, scilicet *primi, secundi & tertii generis*, & singulas has affinitates obtulisse matrimonio. *Primum genus* affinitatis erat inter virum & consanguineos mulieris. *Secundum* inter virum, & affines mulieris, vel inter uxorem & affines mariti, vel inter unum conjugem, & tertium aliquem, qui cum altera conjugum copulam habuit. *Tertium genus* affinitatis erat inter primum conjugem, & alterius conjugis affines secundi generis, ita in his duobus posterioribus generibus ex affinitate oriebatur affinitas, sicut colligitur ex *cap. 3. & cap. ultim. caus. 35, qu. 3.* Verum hodie tantum *primum genus* affinitatis attenditur, reliqua verò nullum amplius impedimentum causant, prout constitutum est, in Concil. Lateran. & habetur in *cap. debet 8. de consanguin. & affinit.* Sed quid si in secundo genere affinitatis constituti sint in linea recta, & se habeant per modum parentum & liberorum, v.g. si quis vellet ducere privignam vel novercam suæ uxoris defunctæ. Negant nonnulli inter tales personas consistere posse matrimonium propter textus in *luxorem 15. ff. de ritu nuptiarum.* Melius tamen dicitur, quidquid leges civiles vel antiqui Canones circa secundum genus affinitatis disposuerint, totum id per dictum Concil. Later. & non debet generaliter abrogatum esse.

Notanter autem pono casum de privigna aut noverca uxoris, quæ cum uxori sint affines, sunt marito in secundo genere affinitatis conjunctæ, vera autem mater & vera filia uxoris, licet ex alio matrimonio habitæ, esset marito in primo genere affinitatis conjuncta, consequenter in uxorem duci non posset.

Not. VI. Ad contrahendam affinitatem non sufficere copulam attentatam, sed requiri copulam perfectam & consummatam, ex sua natura aptam ad proles generationem, quamvis generatio secuta non sit, ut usè deducit Sanchez *Lib. 7. disp. 6. n. 7. & seqq.* Nec obstat *c. juvenis extra de sponsalibus, & cap. fraternitati, de eo qui cognovit consanguineam, & c.* ubi etiam ex imperfecta copula dicitur sequi impedimentum, quia ista capitula intelliguntur de impedimento publicæ honestatis, quod non ex copula, sed ex contractu sponsalicio nascitur, ut præcedenti Sect. declaratum est.

Not. VII. Non tantum ex copula licita sive matrimoniali, sed etiam illicita nasci impedimentum affinitatis inter virum & consanguineos femina.

Not. VIII. Inter affinitatem ortam ex copula licita & illicita hanc esse in effectu differentiam, quod impedimentum ortum ex copula licita dirimat matrimonium usque ad quartum gradum inclusivè, orta verò ex copula illicita hodie per Trid. *sess. 24. de reform. matrim. cap. 4.* tantum ad secundum gradum restricta sit; quod vel idèd necesse fuit statueri, ne matrimonia essent periculo nullitatis exposita, cum affinitas ex fornicatione sit plerumque occulta & frequens.

An autem hæc restrictio Trid. etiam procedat in consanguinitate orta ex copula illicita dubitari potest, eò quod consanguinitas, & affinitas quoad prohibitionem matrimonii æquiparentur, atque favorabile sit pro libertate matrimonii respondere, & ejus impedimenta minnere. Probabilius tamen videtur circa consanguinitatem nihil immutatum esse, si enim id voluisset Tridentinum, utique eadem facilitate sicut de affinitate expressisset, aliunde autem notum est, correctionem jurium sine textu aperto non esse admittendam, *cap. cum expediat de electione, in 6. L. præcipimus, 32. §. ult. Cod. de appellationibus.* Nec verum est, quod consanguinitas, & affinitas in omnibus purificentur, cum major sit conjunctio ex consanguinitate, quam affinitate. Item frequentius ex copula illicita oritur affinitas, quam consanguinitas, ut potius illa quam ista periculosa sit matrimonio, & consequenter ad pauciores gradus restringenda.

Præterea etiam in dubium fortè non nemo vocabit, an in tertio, & quarto gradu affinitatis ortæ ex copula illicita non tantum validè, sed etiam licitè & sine peccato matrimonium contrahatur, ex ea dubitandi ratione, quod olim ante Trident. nec licuerit, nec valuerit matrimonium in illis gra-

dibus, Trid. autem tantum disposuerit de validitate contractus, & nihil dixerit de licentia contrahendi, ergò videtur sub dispositione juris antiqui reliquisse, *argum. d. l. præcipimus.* Verum hoc dubium resolutum est per Bullam Pii V. quæ incipit: *Ad Romanum.* Ubi expressè declaratur, in prædictis gradibus liberè & licitè posse contrahi matrimonium, sicut refert Navar. in *manual. confess. cap. 22. num. 42.* Illud quoque hic addendum est, quod, dum Trid. restrinxit affinitatem ortam ex fornicatione, nomen fornicationis accepit generaliter pro omni concubitu illicito, etiam adulterio, stupro, incestu, & c. Teste Sanchez *d. l. Disput. 67.* Postremò etiam dubitatur an ignorans invincibiliter impedimentum affinitatis oriri ex copula illicita validè contrahat matrimonium cum sanguinea intra secundum gradum feminæ cognita conjuncta? Id affirmant nominati DD. apud Dian. *p. 10. tract. 13. res. 5. l.* Et Adam Burghaber *cent. 2. sel. cas. conf. cas. 54.* quod hoc impedimentum sit statutum in penam delicti, pœna autem non contrahatur ab ignorantibus ex qua ratione etiam aliqui sustinent, nec impedimentum criminis contrahi ab ignorantibus. Veram contraria sententia receptior est teste Burghaber *d. l. & De Dicastillo, tract. 10. de matrim. disp. 19. num. 108.* quia hæc impedimenta non sunt pœna pœna, sed inhabilitationes personarum ex aliis justis causis in affinitate ob reverentiam naturalem propinquitatis, in crimine autem ad tollendum periculum captandæ mortis conjugis innocentis. post matrimonium tamen de factò bona fide contractum, & si impedimentum occultum sit, ad matrimonium etiam contrahendum accedente præsertim iusta causa facilius forsan Episcopo dispensatio concederetur juxta doctrinam Emanuel. *S. v. dispensatio num. 1. Laym. de LL. c. 22. n. 4. & Garc. de benef. p. 7. c. 2. n. 10.* quod Episcopus possit in jure dubio dispensare, aut declarare.

S E C T I O XII.

De Impotentia.

S U M M A R I A.

- 1 Impotentia est impedimentum dirimens matrimonii.
- 2 Quenam requirantur, ut impotentia dirimat matrimonium?
- 3 An sterilitas vel senectus sit impedimentum dirimens?
- 4 An valeat matrimonium in articulo mortis contractum cum concubina?
- 5 An & quomodo Hermaphroditus possit contrahere matrimonium.
- 6 Quomodo probetur, an impotentia sit perpetua vel temporalis?
- 7 Quid juris si dissoluto primo impotentia cesserit in secundo matrimonio?
- 8 An separari possint, qui scienter impotentes contraxerunt?
- 9 An impotentia superveniens matrimonio rato illud dirimat?
- 10 Solutio textuum contrariorum cum 2. notabilibus.

Quamvis nuptias non concubitus sed consensus faciat, ut dicitur *L. nuptias ff. de regulis juris*, quia tamen consensus de mutua corporum traditione esse debet, idèd si hæc conditio vel ex naturali indispositione, aut maleficio sive magica incantatione sit impossibilis, contractus jure nature nullus est, & invalidus, sicut venditio, quæ etiam solo consensu contrahitur, nulla censetur, si fiat de re, quæ tradi nequit, aut in commercio hominum non est. Circa istud impedimentum.

Queritur I. Quenam requirantur, ut impotentia dirimat matrimonium? Resp. Tria principaliter requiri. I. Ut sit impotentia ad copulam perfectam, quæ per se sit apta ad generationem, sicut propterea Sixtus V. in motu proprio de *eunuchorum matrimonii* prohibuit, & invalida declaravit matrimonia ab Eunuchis utrinque exsectis contrahenda, qui licet possint uti aliquo congressu, destituuntur tamen vero semine.

II. Requiritur impotentia perpetua, quæ scilicet nec successu temporis nec modo naturali & licito, nec sine corporis periculo tolli valeat, *text. & DD. in c. fraternitatis, de frigidis & malefic.* Hinc licet contrahentes ob ætatem juvenilem vel infirmitatem aliquot etiam annis ad consummandum matrimonium inhabiles sint, dummodo speretur aliquando cessaturum impedimentum, non debeant ab invicem separari.

III. Requiritur, ut impotentia præcesserit matrimonio, & non primum ex infirmitate vel alio casu matrimonio jam contracto, supervenerit, obligatio enim ab initio re-

contracta non dissolvitur, quamvis deveniat ad eum casum, à quo incipere non posset, sicut nec affinitas nec aliud impedimentum matrimonio ex post facto superveniens id annullare valet.

3 *Quæritur II.* An sterilitas vel senectus sit impedimentum dirimens matrimonium? R. Licet Felinus in cap. cum sit. de foro competenti n. 15. & Iason volum. 1. consil. 115. n. 1. existiment, non minus sterilitatem, quam impotentiam dirimere matrimonium, nec esse verè matrimonium, si v. g. femina sexagenaria & ad generandum inepta illud contrahat, eò quòd finis matrimonij, scilicet proles generatio deficiat: atque hinc factum, quod iure antiquo Civili ex Lege Julia & Papia prohibitum fuerit contrahere matrimonium viris post annum 60. feminis autem post 50. Contraria tamen sententia totius Ecclesiæ usu recepta, tum quod steriles & senes possint uti naturali copula per accidens tantum inepta ad generandum; Imò aliquando contra spem generant prolem; tum etiam quòd matrimonium non tantum propter prolem, sed etiam in remedium concupiscentiæ permissum sit, esto igitur, propter sterilitatem proles obtineri nequeat, adhuc tamen alter finis subsistit, quòd sit infirmitatis remedium, & humanitatis solatium, ut dicitur in c. nuptiarum. caus. 27. q. 1. Unde etiam Justinianus Imp. in L. sancimus 27. Cod. de nuptijs. sustulit dictam legem Juliam, & concessit in quavis ætate matrimonia contrahere, si tamen aliquis senex morbis vel ætate ita exhaustus foret, ut nulla arte medica ad actum conjugalem habilis reddi posset, talem incapacem esse matrimonij docent communiter DD. apud Barb. in c. 2. de frigid. & malef. n. 6.

4 *Quæritur III.* An valeat matrimonium in periculo mortis contractum cum concubina ad legitimandam prolem prius ex ea susceptam; Quòd proles illegitima per subsequens matrimonium cum ejus matre contractum legitima efficiatur, certi juris est ex L. nuper. C. de natural. liberis. & c. tanta qui filij sint legitimi. ubi hæc quæstio explicatur, hic autem tantum controversia est, an valeat matrimonium eo tempore contractum, quo usus ipsius amplius non speratur. Affirmativa tamen sententia concordi DD. calculo recepta est, teste Barb. in d. c. tanta m. 8. & Covarr. de matrim. p. 2. c. 8. §. 2. n. 10. partim quia infirmus morti propinquus non semper habet impotentiam perpetuam, sed temporalem hic & nunc per accidens à morbo causatam; partim etiam, quia in tali matrimonio bonum proles saltem eo respectu subest, quòd proles antea illegitima, & quasi pro non prole habita jam legitimitur, & quo ad omnes effectus juris vera proles efficiatur, imò Ecclesiæ consuetudinem esse ait Laym. de matrim. p. 4. c. 11. n. 6. quòd morituris interdum suadeatur, ut concubinas, quibus diu adhæserunt, in uxores accipiant, tum ut affectus eorum impudicus saltem ad finem in conjugalem commutetur, tum ut proles legitimetur.

5 *Quæritur IV.* An hermaphroditus valeat contrahere matrimonium? R. Esse distinguendum, an alterutro sexu, scilicet samineo, aut virili magis prævaleat, vel an in utroque æqualis sit, quod ex inspectione corporis à medicis facienda judicandum erit.

Priori casu poterit matrimonium contrahere juxta prævalentem sexum, altero autem casu dabitur ipsi electio, juxta quem velit matrimonium inire, debet tamen coram iudice Ecclesiastico prius jurare, quòd tantum eo sexu, quem elegit, uti velit, nec eundem sive in hoc sive in alio matrimonio mutare, sicut post Sylv. Armil. & Summistas communiter in verbo Hermaphroditus tradit Sanchez. de Matr. lib. 7. disp. 106.

6 *Quæritur V.* Qualiter probetur an impotentia sit perpetua vel temporalis? R. Hic non attendendum esse, an conjuges ultro consenteant in iudicio, se esse impotentes, eò quòd mutæ cohabitationis periculi facile colludere possent, & separationem atque licentiam ad aliud matrimonium transigendi impetrare, sed incumbere officio iudicis Ecclesiastici, ut si veritas aliunde haberi non possit, inspectionem corporis fieri jubeat, in viro quidem per medicos, in femina autem per obstetrices, & honestas matronas. Si igitur post inspectionem appareant signa impotentiae, ea vel sunt manifesta, quæ declarant impotentiam perpetuam, vel verisimilia aut dubia, si manifesta signa sint, statim separatio conceditur, esset enim contra naturam permittere copulam imperfectam. Si verisimilia sint signa, & conjuges jam cohabitarint per aliquod tempus, quòd verisimiliter etiam sit sufficiens ad probandam potentiam vel impotentiam, tunc divortium quidem concedi potest, ita tamen ut prius à conjugibus juramentum cum septima pro-

pinquorum manu vel vicinorum præstetur, hoc est, ut prius conjugati jurent, se post omnem operam adhibitam non potuisse consummare matrimonium, & simul septem ex cognatis (in istorum defectu septem ex vicinis, vel in tanto numero etiam deficientibus duo saltem testes bonæ famæ & vitæ) jurent se credere, quòd conjugati verum dicant. Ubi advertendum, quòd conjugum juramentum sit de veritate, testium verò de credulitate, & id ipsum juramentum credulitate etiam medicis ac feminis inspicientibus imponi solet. Si denique signa sint dubia, triennium conceditur conjugibus, intra quod matrimonij consummationem tentare possint, eo verò transacto, si nihil effecerint, tunc præstito prædicto juramento ab invicem separantur, & matrimonium fuisse nullum declaratur, atque ita distinguendo inter signa impotentiae conciliari & explicari poterit c. 1. cum c. laudabilem de frigid. & malef. quæ capitula inter se diversa videntur. Si conjuges discordent altero affirmante altero negante, quòd intra triennium perfecta copula intercesserit, nec ex inspectione oculari certum aliquid aut verisimile appareat, potius viro (cum juramento tamen) credendum esse quam mulieri dicitur in c. penult. caus. 33. q. 1. & c. 1. de frigid. & malef. Sed ista principaliter procedunt, si impotentia appareat ex causa naturali, si autem judicetur esse ex maleficio, sive magica incantatione, quamvis signa impotentiae sint manifesta, nonnunquam ultra triennium (prius spiritualia media adhibita non censeantur) arbitrio iudicis differri potest separatio, & interim injungitur conjugibus, ut exorcismis, orationibus, confessionibus, aliisque pijs operibus studeant à Domino Deo sublacionem maleficii impetrare, si autem triennium vel tempus à iudice Ecclesiastico præfixum elapsum sit, nec tamen maleficium cessarit, imposterum conjuges tanquam perpetuo impotentes reputari debent, licet etiam ex post facto maleficium fortè per miraculum aut solutionem ipsius maleficii vel per aliud maleficium contrarium aut superstitiones tolli possit, quia tamen miraculum & maleficii solutio non est in potestate conjugum, maleficium autem alio maleficio vel superstitione tollere apud Christianos illicitum est, idèd nihilominus impotentia perpetua censetur. c. ult. caus. 33. q. 1.

Quæritur VI. Quòd si post separationem ex causa impotentiae concessam & fortè jam aliud matrimonium contractum, cesset impotentia, an primum matrimonium redintegrandum, & secundum separandum sit? R. Si impotentia sublata sit per miraculum vel artem magicam, aut aliam viam præternaturalem, valere primam separationem, & secundum matrimonium, quia impotentia ex se verè fuit perpetua ut habetur, in d. c. ult. Si verò impotentia cessaverit modo naturali, per usum secundi matrimonij, ita ut verisimiliter etiam in primo sublata fuisset, dummodo conjuges debitam diligentiam adhibuissent, invalida censetur prima separatio & secundum matrimonium, adedque primum redintegrandum erit, tex. & DD. in c. fraternitatis. de frigid. & malef.

Quæritur VII. An si contrahentes jam ante matrimonium sciverint suam impotentiam nihilominus deinde possint separationem petere? Pro negativa adducitur cap. 4. eodem. ubi iuxta summarium videtur decidit, quod scienter contrahentes cum impotentibus non separantur, sed ut ibidem ait Pontifex, quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores, proinde tales scienter contrahentes cum impotentiis videntur sibi invicem copulam remisisse, & in effectu non tam ad matrimonium, quam perpetuam vitæ societatem & alia obsequia domestica sese obligasse, sicut putant Innoc. & Panorm. eodem c. 4. Verum longè probabilius puto cum Henr. Zochio eodem tit. n. 9. etiam scienter contrahentes cum impotentia posse ex postfacto ab invicem separari, quia certum est, tale matrimonium propter impossibilem mutua corporum traditionis esse invalidum, ergo ex eo desponsati ad perpetuam cohabitationem non tenentur. Sed neque ex contractu societatis tenebuntur, tum propter incontinentiæ periculum, tum quod societas etiam in perpetuum contracta dissolvi queat, si subnascatur rixæ & dissensionibus, vel alia iusta causa suboriatur, L. si convenerit. 4. ff. pro socio.

Porro ad c. 4. De frigid. & malef. R. Quod impotentes contra suam voluntatem & invito separari non debeant, attamen etiam hic aliqua limitatio est addenda, quòd scilicet ista voluntaria cohabitatio non aliter permittenda sit, quam si nullum periculum timeatur, ne inter istos cohabitantes actus imperfecti & illiciti exercentur, ac propterea ex constitutione Sixti V. de eunichorum matrim. prohiberi debent, ne in eodem lecto impotentes condormiant.

Quæritur VIII. an impotentia, quæ supervenit post ma-

trimonium ratum necdum tamen consummatum causet nullitatem matrimonij? Negativa sententia passim inter DD. recepta est, paucis dissentientibus apud Sanch. *lib. 7. disp. 102.* Ratio esse potest, quod matrimonium ab initio rectè contractum non dissolvatur, licet ex postfacto aliquod impedimentum incidat, sicut superius q. 1. diximus, sed tale matrimonium fuit ab initio rectè contractum, cum ex supposito tunc nullum adfuerit impedimentum, ergo &c. Et confirmatur ex *c. hi qui. caus. 32. q. 7.* Ubi generaliter deciditur matrimonium propter supervenientem impotentiam non esse dissolvendum. † Textus, si aliqui videantur contrarij ut *in c. quod proposuisti. ead. q. 7. & c. ex litteris. de frig. & malef.* explicandi sunt de impotentia, cujus causa jam erat ante matrimonium. Duo tamen hic adnotanda sunt. 1. quòd cum matrimonium ratum ex dispensatione papali dissolvi possit, talis impotentia ei superveniens sit justa dispensationis causa. 2. quòd in dubio, an impotentia præcesserit matrimonium, vel primùm postea supervenerit, præsumendum sit præcessisse, sicut valdè probabiliter docet Pannorm. *in c. fraternitatis eod. in 6.*

S E C T I O XIII.

De Dispensatione Super Impedimentis.

S U M M A R I A.

- 1 Quid abrogatio, irritatio, declaratio, & dispensatio?
- 2 Earum differentia.
- 3 Qualiter & qualia impedimenta tolli possint?
- 4 Quae impedimenta non admittant dispensationem, & ibi quid de casu Erdfurtiano.
- 5 Ad quorum gradum consanguinitas dirimat matrimonium?
- 6 Ad quorum affinitas?
- 7 Cur jus positivum ad plures gradus impedimentum consanguinitatis & affinitatis extenderit?
- 8 Decem cause, propter quas dispensatio conceditur.
- 9 Quando dispensatio valeat impetrata per allegationem falsitatis aut suppressionem veritatis.
- 10 Exempla allegata falsitatis & suppressio veritatis.
- 11 Quis præter S. Pontificem super impedimentis dispensare possit?

1 **P**Rænotandum est, obligationem legis alicujus cessare vel per irritationem, vel per abrogationem, vel declarationem, vel dispensationem, quæ omnia inter sedifferunt. Nam irritari dicitur lex, cujus obligatio statim ab initio non admittitur, v. g. si princeps nolit confirmare statuta civium. Abrogare legem, est cassare postquam semel obligavit. Declarare est interpretari legem ex mente legislatoris de tali casu non loqui, aut in eo aliquam vim obligandi habere. Dispensatio est relaxatio legis, ob justam causam in particulari aliquo casu.

2 Unde differt Dispensatio primò ab abrogatione legis, quòd abrogatio tollat totam obligationem legis, in omnibus casibus, in quibus prius valebat, dispensatio autem tantum in particulari casu, & circa particulares personas. Item differt à declaratione, quòd declaratio supponat legem nunquam in tali casu obligasse, dispensatio verò supponat obligationem, & tamen ob justam causam hic & nunc relaxet.

3 **Q**uæritur ergo I. an omnia impedimenta matrimonij possint tolli sive deinde per abrogationem sive per dispensationem. Ad hanc quæstionem præsciendum est, quædam impedimenta esse à jure naturæ & divino statuta, alia verò jure humano & Pontificio. In impedimentis jure humano introductis nemo dubitat dari posse dispensationem aut abrogationem, quia is, qui habet potestatem condendi legem, habet utique etiam potestatem abrogandi, & contrarium ponendi, cum lex totam suam auctoritatem ab ipso habeat, nec tamen propterea rectè infertur, quòd lex abrogata fuerit irrationabiliter à Pontificibus lata, nam ¶. Non sequi hoc esse rationabile, ergo contrarium est irrationabile, quia propter rationem circumstantiarum, loci & temporis, item propter imbecillitatem nostri intellectus, qui non potest semper genuinam veritatem prospicere, datur medium inter rationabile & irrationabile, scilicet magis rationabile, optimus text. *in c. alma mater, de sentent. excomm. in 6.* ubi Pontifex inquit, *Alma mater ecclesia multa rationabiliter ordinat, quæ tamen rationabilius reformat.* In impedimentis jure naturali & divino introductis non desunt, qui doceant, pos-

se summum Pontificem ex urgentissima aliqua causa & de plenitudine suæ potestatis dispensare, quos refert Sanch. *Lib. 8. disp. 6. n. 8.* quorum ratio dicitur à paritate, nimirum quod sicut recta Ecclesiæ gubernatio exigit, ut Episcopus aliquando in lege Pontificis ob necessitatem & difficultatem adeundi Pontificem dispensare possit, ita etiam exigit eadem Ecclesiæ gubernatio, ut Pontifex quandoque dispense in Lege Dei, qui adiri non potest. Contraria tamen sententia verior videtur & conformior usui Ecclesiæ recepta, quæ hæctenus in nullo tali casu dispensavit. Nec valet adducta paritas quia Pontifex tanquam homo non potuit omnes casus prævidere, qui subinde indigeant dispensatione, quod de DEO qui perfectissimè omnia cognoscit, convenienter dici non potest, sicut notavit Barb. *Juris Eccles. univers. lib. 1. c. 2. n. 120.* & licet utilitas alicujus Regni procurari posset per dispensationem v. g. inter fratrem & sororem, attamen indecentia naturalis in tali casu, & periculum, ne occasione talis dispensationis inter fratres & sorores frequens peccatum admitteretur, præponderat utilitati etiam alicujus regni, quod Deus, si velit & videat suas leges accurate custodiri, bene potest aliter, quam per tale scandalosum matrimonium conservare, ex qua ratione scandali cum pluribus aliis citatis id etiam tenet Sanch. *d. l. m. 10.* quamvis de cætero putet summo Pontifici non esse semper denegandam potestatem dispensandi in jure divino, si modò detur causa, quæ vincat turpitudinem actus præcepto divino contrarij.

Quæritur II. quænam sint impedimenta jure naturali aut divino introducta, quæ abrogationem aut dispensationem non admittant? ¶. Quamvis multa sint impedimenta dirimentia matrimonij, interim tamen aliqua tantum jure naturali aut divino, cætera jure humano dirimunt matrimonium.

I. Igitur jure naturali dirimitur matrimonium, si deficit consensus, prout fit, si error in persona interveniat, aut conditio apposita deficiat, si violentia & metus gravis ad extorquendum consensum adhibeatur, si ratio naturalis deficiat, ut in amentibus. 2. Si quis jam alio matrimonio ligatus sit, de fide Christiana credimus, non posse contrahi matrimonium cum aliâ. Refertur quidem Erdfurti extare tale monumentum, ubi alicui binæ uxores simul concessæ fuerunt, cum priorem, quam amissam credebat, contra spem reciperet, & secundam super inductam ob affectionem nollet dimittere. Verum si retentio secundæ non fuit de facto attentata, sed à Papa, ut dicitur, concessa, explicanda hæc res erit *Juxt. c. 4. de frig. & malef.* ut secunda non potuerit retineri per modum uxoris, sed sororis. 3. Si nimis propinqua sit sanguini conjunctio, &c.

Quæritur III. usque ad quorum gradum consanguinitas jure naturali vel divino faciat irritum matrimonium? ¶. Inter ascendentes & descendentes, item inter collaterales primi gradus scilicet fratrem & sororem jure naturæ prohiberi matrimonium excepto casu necessitatis, quo genus humanum aliter conservari non posset, sicut factum est in exordio mundi, & post diluvium. De cætero autem extra istum casum necessitatis omnes gentes liberaliter educatæ à tali conjugio tanquam inhonesto vel turpi abhorrent, esseque inter tales personas naturalis pudor ac reverentia, quam tolleret conjugium. In secundo verò gradu lineæ transversæ, quamvis indecens sit matrimonium contrahere, non tamen tale matrimonium est irritum jure naturæ, ita enim Abraham duxit Saram filiam fratris sui teste, August. *In c. quæritur caus. 22. q. 3.* Et Nacor duxit Melcham pariter sui fratris filiam *Genes. 11.* unde in *c. gaudemus de divortis.* concedit Pontifex, ut pagani, qui in secundo vel tertio gradu contraxerunt matrimonia, si ad fidem convertantur, possint in talibus matrimonijs persistere, quia tempore matrimonij contracti non erant ligati ecclesiasticis statutis, quasi diceret Pontifex, matrimonium in secundo gradu consanguinitatis contractum non tam jure naturæ quam ecclesiastica constitutione irritum censeretur. Item in *Trid. Sess. 24. de reform. matr. c. 5.* dicitur, in secundo gradu cum magnis principibus, & ex publica causa dispensari posse. Nec obest, quòd in veteri testamento *Levit. 18.* matrimonium etiam in secundo gradu veluti cum sorore patris fuerit prohibitum, nam illa leges non erant omnes morales, sed quædam judiciales aut ceremoniales specialiter pro Judæis traditæ, quæ per adventum Christi expiraverunt, *c. unico de Purific. post partum,* prout in *Trid. Sess. 24. de Sacram. matrim. can. 3.* anathema dicitur, qui negat Ecclesiam in quibusdam gradibus prohibitis in *Levitico* dispensare possit.

Quæritur

6 *Quæritur IV.* an etiam in affinitate quædam sit juris naturalis vel divini prohibitio? Satis conveniunt DD. quod in linea affinitis transversa sive collateralis nullus gradus ne quidem primus sit jure naturali adeo prohibitus, ut eo jure irritum faciat matrimonium, ita enim Jacob Patriarcha duxit Liam, & postea sororem ejus Rachælem *Genes. 20.* Imo *Deuter. 25.* universum præceptum fuit Israelitis, si fratrum unus sine liberis decederet, alter uxorem ejus acciperet, licet interim jure gentium & naturali indecens esse videatur, sine gravi causa cum affinitibus intra primum gradum contrahere propter reverentiam, quam aliquis debet fratri cum quo uxor ejus una caro reputatur, juxta illud *Levit. 18. Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudinem fratris tui est.*

Verum quid dicendum sit in linea recta affinitatis de matrimonio inter novercam & privignum, socerum & nurum &c. diversæ sunt DD. opiniones. Multi negant, multi affirmant, sicut tradit Sanch. *lib. 7. disp. 66.* & Laym. *de matrim. p. 4. c. 16. n. 5.* In praxi certum est, Ecclesiam non solere inter eos dispensare. Si autem casus contingeret, ut aliqui ad fidem converterentur, qui prius in infidelitate in linea recta affinitatis contraxissent, putarem summum Pontificem esse consulendum, cum aliàs tale matrimonium sine scandalo vix tolerari posset propter auctoritatem affirmantium, jure naturæ esse irritum, vel separari propter auctoritatem ipsorum negantium.

7 *Quæritur V.* Quare jus positivum Ecclesiasticum ultra prohibitionem juris naturalis adhuc alios gradus in consanguinitate & affinitate interdixit? Resp. id factum esse ex quatuor causis. I. Propter reverentiam, quam ob communicationem sanguinis cognati sibi invicem debent II. Ne, cum consanguinei & affines plerumque soleant simul esse sub prætextu conjugij frequens, peccatum admittatur. III. Ne naturalis amor ex consanguinitate aut affinitate ortus, si addatur amori & licentiæ conjugali nimis faciat effranem libidinem. Quarta denique causa est politica, ut amicitie vinculum non tantum inter consanguineos consuet, sed per viam matrimonij etiam ad alios homines protendatur, & ita confederatio ac societas inter homines tantò melius conferatur.

Cur autem Ecclesiæ prohibitio præcisè quarto gradu concludatur, & non sit amplior vel restrictior, dicendum est, id propter factum, quod usque ad illum gradum plerumque inter homines daret consanguinitatis amicitia, ulterius autem deficiente jam sanguinis virtute rarè alter alterum speciali amore tanquam consanguineum vel affinem prosequatur.

8 *Quæritur VI.* Quænam sint causæ, ex quibus concedi soleat dispensatio in gradibus à jure positivo prohibitis. Decem tales causas refert Barb. *ad Trid. sess. 24. de reforms. matrim. c. 5.* & DD. ibidem cit.

I. Est paupertas supplicantis propter quam suo statui patrem maritum habere non potest, quam aliquem ex consanguineis, vel affinitibus.

II. Est angustia locorum, si in vicinia (sicut plerumque in locis montanis sit) nullus sit paris conditionis, cum quo nuptiarum spes esse possit, & istæ duæ causæ humaniter sunt considerandæ, ut procedant, licet adsit aliquis, qui vellet feminam ducere, sed ei ob ætatem aut mores valdè contrarius.

III. Si per matrimonium graves inimicitie inter consanguineos vel affines componi possent.

IV. Evitatio magni alicujus scandali vel delicti. V. Si locus ob milites vel piratas non sit securus, atque ad eum extranei accedere non soleant, quæ causa ad angustiam loci referri potest. VI. Conservatio famæ mulieris v. g. quia jam passim dicitur à consanguineo corrupta, & ideo nunquam vel difficiliter nuptura est. VII. Quia femina 24. annum excedens hætenus virum paris conditionis non invenit. VIII. Est conservatio divitiarum in familia. IX. Est excellentia meritorum in Ecclesiam. X. Proles vel copula habita cum consanguinea, & multò magis, si matrimonium jam defacto contractum sit. Sed circa hanc causam advertendum est, quod debeat ab initio adfuisse ignorantia consanguinitatis, & in matrimonio debita solennitates fuisse adhibita, aliàs qui mala fide, aut sub spe obtinendæ dispensationis peccavit, vel contraxit cum consanguinea, non obtinebit dispensationem juxta *Trid. d. c. 5.*

9 *Quæritur VII.* An valida sit dispensatio, si quis eam impetrarit allegando causam falsam, vel tacendo veritatem. Hæc quæstio potissimum dependet ex *tit. de rescri-*

ptis, ubi de valore rescriptorum & gratiarum papalium ex instituto tractatur. Interim ad nostram rem breviter dicendum est, falsitatem expressam aut veritatem occultam aliquando esse causam finalem dispensationis, aliquando tantum impulsivam, causa finalis tunc est, quando ea non existente Papa non dispensasset, vel saltem non eo motivo, quo dispensavit, sed magis restrictè & clausulatè. Itaque si falsitas expressa, vel veritas occultata sit causa finalis dispensationis obtentæ, talis dispensatio nulla erit, nec impetrans tuta conscientia uti poterit, omnia enim rescripta habent hanc tacitam conditionem, si preces veritate nitantur. *c. 2. de rescriptis.* Secus autem est, si falsitas expressa vel veritas occultata fuerit tantum causa impulsiva, tunc enim nihilominus valebit dispensatio.

Dices, hoc ipsum esse planè incertum, quondam Pontifex dispensaret, si falsitatem ac veritatem cognosceret. R. Ex stylo Curie Romanæ, vel quando de eo non constat, ex arbitrio prudentis viri desumendum esse, & hodie ferè omnes casus, qui contingere possunt circa impetrationem dispensationis, complexus est Sanch. *de matrim. 100 lib. 8. præsertim disput. 21. & seqq.* Cujus sententiæ licet non sint infallibiles, nisi quatenus textu expresso nituntur, potest tamen vir prudens ex ejusdem rationibus & auctoritatibus, quas allegat, suum judicium formare. † Ut autem ex innumeris tantum aliqua magis quotidiana referamus. I. Non erit valida dispensatio, si una tantum causa in rescripto allegata sit, & ea falsa fuerit, quia licet Pontifex possit sine causa dispensare, id tamen in dubio non præsumitur facere, nisi ex causa expressa. II. Si non exprimitur, quod copula intervenit scienter cum consanguinea maximè spe dispensationis impetrandæ. III. Si impedimentum exprimitur sub dubio, quod erat certum, v. g. si dicat, se dubitare, an votum castitatis emiserit, & tantum ad conscientiam tranquillitatem petere dispensationem, quia qui dispensat in impedimento dubio, non statim dispensat in impedimento certo, vel saltem non eodem modo, nam dubium votum castitatis per dispensationem tollitur absolutè, certum autem regulariter tantum ad unum matrimonium, quo finito rursus obligat IV. Si impedimentum affinitatis ponatur pro consanguinitate, vel è contra, dispensatio enim est strictæ interpretationis, & non extenditur ultra expressa. V. Si quis dicat, se in gradu remotiori v. g. in quarto, cum sit in tertio. Aliud autem est, si quis, cum sit in quarto, dicat se in tertio, quia tunc Pontifex dispensando in tertio censetur etiam dispensasse in quarto.

De eo olim inter DD. fuit magna controversia, an in linea collateralis inæquali sit necesse non tantum gradum remotiorem, sed etiam proximum exprimere, v. g. dicendo, quod una persona sit stipiti in secundo, altera in tertio conjuncta, eo quod major videatur conjunctio si alteruter ex consanguineis ita propinquè ad stipitem accedat. Sed Pius V. anno 1566. in motu proprio, qui incipit: *Santissimus*, decidit, valere dispensationem absque dicta expressione gradus propinquioris, ita tamen ut ex postfacto litteræ declaratoriæ desuper impetrentur, in quibus Pontifex declaret, priorem dispensationem valere, eas autem declaratorias tantum ad tollendum scandalum requisitas non desiderari, si nullum ex tali dispensatione scandalum oriretur. ut quia res ad forum externum delata non est, & homines ignorant, an supplicantes omnia expresserint, docet Sanch. *d. l. disp. 24. n. 31.*

Quæritur demum, an præter Pontificem in impedimentis nemo dispensare possit? R. Cum inferior in lege superioris nihil immutare possit, *Clement. Ne Romani in principio. de electione.* ideo regulariter & in ordine ad matrimonium contrahendum nec Episcopus nec etiam Legatus quivis Sedis Apostolicæ in impedimentis dirimentibus matrimonij dispensare potest, nisi speciale privilegium à summo Pontifice habeat. Dico autem regulariter & in ordine ad matrimonium contrahendum, nam communis & notabilis est exceptio, quod Episcopus dispensare valeat istis concurrentibus. I. Quod matrimonium jam publicè & præmissis denuntiationibus contractum sit. II. Quod sit contractum bona fide, id est absque scientia impedimenti juxta *Trid. sess. 24. c. 5.* sufficit tamen si unus ex conjugibus in bona fide fuerit. III. Quod propter paupertatem & incontinentiæ periculum difficilis ad summum Pontificem vel alium ex privilegio jus dispensandi habentem accessus detur. IV. Quod impedimentum sit tale, in quo soleat concedi dispensatio, adeoque non in primo aut secundo gradu

consanguinitatis. In affinitate autem ex copula illicita (puta si quis duxerit eam, cum cujus sorore vel consanguinea prius peccavit) ipse scio in primo & secundo gradu contracto jam matrimonio dispensationem ab Episcopo datam esse. V. Denique quod impedimentum sit occultum; dicitur autem occultum, etsi unus vel alter sciat, non tamen in loco divulgatum sit. Videatur Sanch. lib. 2. disp. 40. Hoc insuper adnotari potest, quod si dubitetur an sit impedimentum inter contrahentes, possit Episcopus declarare nullum esse impedimentum, aut etiam ad cautelam dispensare, sicut docet Garzias de beneficijs. p. 9. cap. 2. nu. 10. & Laym. in Theol. moral. de legibus, c. 22. nu. 4.

§. VI.

De Sollemnitate Matrimonij.

SUMMARIUM.

- 1 Duplex sollemnitas matrimonij.
- 2 Quomodo duplex sollemnitas extrinseca?
- 3 Pœna Sacerdotis omittentis denuntiationes.
- 4 Quibus diebus possint fieri denuntiationes?
- 5 Quando omitti possint?
- 6 Cause, cur omitti possint?
- 7 De benedictione secundarum nuptiarum.
- 8 Pœna Sacerdotis benedicens secundas nuptias.
- 9 Intrinseca sollemnitas matrimonij.
- 10 Tridentinum per sollemnitatem intrinsecam invalidatio matrimonij clandestini.
- 11 Resolvitur hæreticorum argumentum pro matrimonio clandestino.
- 12 Quis sit proprius parochus contrahentium?
- 13 Quis Parochus vagorum?
- 14 Parochus non ut minister, sed ut testis excellens assistit.
- 15 An valide assistat alienus Parochus ex presumpta licentia, vel ratificatione.
- 16 Parochus non debet facile credere dicenti se habere licentiam.
- 17 Insignis disputatio, an Parochus alienus valide assistit matrimonio ex presumpta licentia, quæ revera quidem data est, assistenti tamen non innovuit.
- 18 In matrimonio quales testes sufficiant.
- 19 Necessitas vel ignorantia non excusat ab observatione forme.
- 20 Per plures conclusiones resolvitur questio de matrimonio contracto in loco, vel ab incolis non recepti Concilij.

- 1 **N**E matrimonium esset clandestinum, Conc. Trid. duplicem ei sollemnitatem præscribit, unam extrinsecam & accidentalem, alteram intrinsecam & substantialem.
- 2 Sollemnitas extrinseca est, ut desponsati ante actuale contractum matrimonij à suo proprio Parocho tribus festivis diebus in Ecclesia publicè denuncientur, ut parochus mutuo desponsatorum consensu interrogato dicat, Ego vos conjungo in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, ut ante sacerdotalem benedictionem in templo suscipendam conjuges in eadem domo non cohabitent. hæc, inquam, sollemnitas extrinseca & accidentalis est, ejusque omissio non irritat matrimonium, omitti tamen sine peccato & pœna arbitraria non potest, quia in præcepto est
- 3 **I**ndè parochum omittentem denuntiationes incurrere triennem suspensionem tradit Barb. ad Trid. sess. 24. de reform. matr. c. 1. n. 31. per text. in c. 3. §. sanè de clandest. despons. Quod tamen ego non credo, nec textus hoc dicit, sed tantum loquitur de illo casu, ubi parochus patitur aliquos in consanguinitate vel aliquo alio impedimento existentes contrahere. Et etiam isto casu non ipso jure suspensus parochus, sed primùm per sententiam Judicis Ecclesiastici suspendendum esse non obscure ex eod. text. colligitur, aliunde autem nota est regula, quod nulla censura sine text. expresso ipso jure infirgatur, arg. c. is qui 18. de sentent. excomm. in 6.
- 4 Cæterum denuntiationes non ita præcisè in diebus festis fieri debere videntur, quin etiam alijs diebus, ubi v. g. propter litanias vel processionem magnus concursus est populi, fieri possint, sicut notavit Barb. d. l. n. 23. Si con-

trahentes sint ex diversis parochiis, tunc in utriusque parochia denuntiationes faciendæ erunt, atque idem, si quidem jam tempore sponsalium sint ejusdem parochiæ, sed ante modicum tempus fuerint diversarum, nam etiam tunc in parochia, ubi prius vel unus tantum, vel ambo habitaverunt denuntiandi erunt, quia ibi melior habetur personarum notitia, an aliquando impedimento affectæ sint.

Aliquando tamen denuntiationes vel prorsus omitti possunt, vel una tantum pro tribus fieri, vel post contractum matrimonium differri, si rationabilis causa accelerandi matrimonij subsit, & licentia Ordinarij vel Vicarij accedat. **I**ndè si necessitas valde magna & urgens fuerit, & commodus accessus ad ipsum Ordinarium haberi nequeat, etiam solus Parochus eam desponsatis gratiam facere poterit, ut vel unam tantum, vel post contractum matrimonium ante consummationem (quam interim prohibere poterit ac debet) denuntiationes faciat.

Plures autem sunt causæ ordinariè dispensandi circa denuntiationes, ut si contrahentes sint in conditione, fortunæ, vel ætate admodum inæquales, unde minus honorificè vel non sine irrisione aliorum denuntiantur. Item si duo jam diu cohabitarint, & pro conjugibus habitati sint, si tempus quadragesimæ, vel repentinus discessus instet, & generaliter quoties notabilis utilitas contrahentium speretur, vel ex denuntiationibus denum. aliquid notabile incommodum timeatur, Barb. ubi supra n. 62. Illis tamen casibus, quibus remittuntur, vel differuntur denuntiationes ob causam accelerandi matrimonium, vel suspicionem, rationabilem, ne quidam se malitiosè opposituri sint, aut similem aliam considerationem, usus obtinuit, ut juramentum à contrahentibus præstetur, quod in nullius præjudicium, & sine omni impedimento canonico contracturi sint. Sollemnitas etiam extrinseca est, ne conjugati ante Sacerdotalem benedictionem in templo suscipiendam cohabitent, Trid. sess. 24. de reform. matr. c. 1.

Circa secundas nuptias autem advertendum est, quod benedictiones nuptiales, quæ à Sacerdote post copulationem in Ecclesia Neoconjugibus impenduntur, sint omittendæ in secundis nuptiis, nisi in primo conjugio neuter benedictionem accepisset, c. 1. §. 3. de secund. nuptiis. ut enim major sit reverentia benedictionum, non solent ejusdem rei benedictiones solennes repeti sæpius, quod DD. etiam ad eum casum extendunt, quo unus tantum è conjugibus jam in priori matrimonio suscepisset benedictionem, puta si viduus ducat virginem, tum quod d. c. 3. loquitur sub disjunctione, si vir vel mulier ad secundas nuptias transierit, tum quod benedictio non possit impendi uni parti, quin etiam impendatur alteri, consuetudinem tamen locorum in hoc casu observandam monet Barb. in eod. c. 3. n. 3.

Pœna Sacerdotis benedicens secundas nuptias traditur in c. 1. de secund. nupt. ut ab officio beneficioque suspensus Romam mittatur pro absolutione, sed quia hæc pœna videtur nimis austeræ, idè imprimis sentiunt aliqui, quod non incurratur ipso jure, seu per sententiam, & quod missio Romam sit sublata per quandam extravagantem Joannis XXII. ut refert Barb. in eod. c. 1. n. 5. & 8. Imo valde probabile est, quod docet Sanch. d. l. 7. disput. 84. n. 30. pœnam esse arbitrariam, & illud c. 1. intelligi de presbytero benediciente secundas nuptias, quæ prioribus nondum dissolutis temerè contractæ sunt.

Intrinseca & substantialis sollemnitas est, ut matrimonium non aliter valeat, quàm si contrahatur coram parochio, vel alio de ipsius aut Ordinarij licentia, & duobus vel tribus testibus, Trid. sess. 24. c. 1.

Matrimonium quidem clandestinum semper prohibuit Ecclesia, ut apparet ex c. 1. & passim caus. 30. q. 5. non tamen invalidavit, usque dum Trid. hanc sollemnitatem præscripsit; est quidem difficilis tex. in d. c. 1. caus. 30. q. 5. ubi matrimonium sine sollemnitatibus ibidem præscriptis contractum dicitur non esse legitimum, & quamvis iste terminus possit explicari de matrimonio non licito, tamen mox in vers. ita peracta. additur, aliter verò presumpta conjugia adulteria potius & fornicationes judicate &c. consequenter etiam invalida. Sed cum ex alijs Canonibus appareat matrimonium olim solo consensu contrahi potuisse, existimo textum in d. c. 1. loqui presumptive, quod scilicet præsumatur contra matrimonium clandestinum, usque dum verum matrimonium probetur, idque arguunt verba finalia. d. c. 1. nisi voluntas propria suffragaverit & votis succurrerit legitima.

Hæc tamen sollemnitas non ad statuenda sponsalia de futuro requiritur, sed præcisè circa ipsum matrimonium, sponsalia autem de futuro adhuc hodie nullam aliam sollemnitatem

ratem præter mutuam consensum desponsandorum requirunt.

11 Sed, inquit hæretici, Ecclesia non potuit facere ex Sacramento non Sacramentum, sed matrimonium clandestinum ante Conc. Trid. fuit Sacramentum, ergo &c. &c. Ecclesia non potuit facere ex Sacramento non Sacramentum, directè, hoc est mutando vel tollendo materiam & formam determinatam à Christo conceditur: indirectè mutando aliquid sub directione & determinatione Ecclesiæ relictum negatur. Ecce enim Christus Dominus instituit quidem contractum pro materia Sacramenti matrimonij, sed non omnem & quemcumque, sed tantum contractum validum, quis verò dicendus sit contractus validus pro Sacramento matrimonij, ipse Christus Dominus non determinavit, sed sicut aliàs principes & legislatores sæculares possunt leges contractibus præfigere, eosque certis casibus irritare, ut ex utroque Jure tam Canonico quàm Civili apertum est, ita pari modo summus Pontifex, qui contractum matrimoniale propter annexam rationem Sacramenti suæ jurisdictioni reservavit, potuit eidem certas leges statuere, & illis non observatis irritare, nihil autem propterea mutavit in ratione materiæ, quæ semper in contractu valido consistit, unde & contractus clandestinus olim fuit materia Sacramenti, non quatenus clandestinus, sed quatenus tunc temporis validus, in simili, sicut qui potest corumpere species panis & vini, potest indirectè irritare Sacramentum Eucharistiæ, ita etiam Ecclesia potest indirectè irritare Sacramentum matrimonij ex justis causis contractum annullando.

12 Quoniam verò superius dictum est, *intrinsicam & substantialem* solennitatem esse ex constitutione Trid. ut matrimonium contrahatur coram proprio Parocho, vel alio de ejus aut Ordinarj (quo nomine præter Episcopum etiam intelligitur Capitulum sede vacante, vicarius Episcopi generalis, Legatus de Latere in provincia suæ Legationis, Abbas habens propriam territorium, Barb. ad d. c. 1. Trid. nu. 98.) licentia; sciendum est, proprium parochum esse, in cujus parochia vel ambo contrahentes vel unus tantum domicilium habitationis fixit, neque hic verum domicilium requiritur, ut scilicet habitatio sit perpetua, sed quasi domicilium sufficit, si nimirum desponsati per majorem anni partem actu in parochia habitaverint, vel animo habitandi advenerint, licet ibidem sint non ut parochiani, & donum propriam habitantes, sed ut conductores & famuli, vel quovis alio modo.

13 Si omnino vagi sint contrahentes, qui nullibi constanter habitent, à quovis paracho copulari poterunt, Ordinarj tamen licentia, & examen accedere debet, quia tales homines nonnunquam plures uxores diversis in locis ducunt adeoque juramentum etiam ab eis exigendum est, quod nullo impedimento canonico vel alio matrimonio jam prius ligati sint. Trid. f. 24. de matr. c. 7.

14 Præterea licet Parochus non requiratur tanquam minister Sacramenti, sed ipsi contrahentes censentur sibi ministrare Sacramentum matrimonij, ipse verò parochus personam excellentis alicujus testis exercent, & proinde etiam invitus, prohibitus, vel excommunicatus, validè assistat, etiam extra parochiam suam, cum sit actus voluntariæ jurisdictionis. L. 2. ff. de offic. procon. requiritur tamen ut ita sit præsens ut actum, qui agitur, percipere & intelligere possit.

Item ut alius, quàm proprius parochus, validè assistat, proprij parochi licentia accedere debet, & non sufficit ratihabitio sequens, quæ enim sunt de forma actus, non possunt per æquipollens impleri, §. tutor autem. Inst. de auctor. tut. Barb. d. l. n. 108. & seq. Menoch. de arbit. Casu. 453. nu. 13. nisi fuerit ratihabitio de præsentis præsumpta ex tolerantia parochi scientis & non contradicentis. l. qui patitur. ff. mandati Sanch. lib. 3. disp. 35. n. 10. & hæc sententia quod non sufficiat licentia subsequens, ita passim inter DD. & in praxi recepta est, & per eam evitantur multæ malæ consequentiæ, quia plerumque, qui coram proprio paracho nolunt contrahere, impedimentis quibusdam affecti sunt.

16 Est quoque advertendum Parocho alieno, ut non facile credat dicentibus se habere licentiam à proprio paracho, nisi ostendant aliqua saltem verisimilia indicia, aut essent personæ nullatenus suspectæ & fide dignæ, licet enim in ijs, quæ præcisè ad forum animæ spectant, credatur dicenti se habere licentiam, ut v. g. alieno Sacerdoti confiteatur, secus tamen est in matrimonio, & alijs (v. g. absolutione à censuris c. sicut. de sent. excom.) quæ etiam ad ream fori externi gubernationem pertinent, Sanch. d. lib. 3. disp. 37. Barb. ad d. c. 1. Trid. f. 14. n. 119.

17 Sed quid, si Parochus vel Ordinarj alteri Sacerdoti vel Parocho licentiam dederit ad assistendum, is verò ante

acceptam notitiam hujus licentiæ de facto adfuerit matrimonio, anne valebit? Communissima DD. sententia distinguit, an data sit licentia ad instantiam alieni parochi, vel motu proprio; priori casu censent sufficere, quod licentia fuerit data & insinuata nuncio pro ea missa, altero autem casu non habere effectum ante acceptam notitiam, idemque tamen si aliquis tertius (sine mandato tamen Parochi assistentis) licentiam impetrasset argumento eorum, quæ de Privilegijs tradi solent, quod non prius habeant effectum quàm privilegiato innotuerint. ita Sanch. d. lib. 3. disp. 36 Barb. d. l. n. 117. Hurtado de matrim. disp. 5. difficul. 13. & alij plerique, ut vix sit reperire dissentientem.

Verum quia credo & fundamentum (ut fatentur CC. DD.) consistit in paritate ducta à Privilegio, idè res ista theoreticè examinata non est tam certa, quin omiſsa distinctione generaliter in hoc casu pro valore matrimonij magna probabilitas adferri possit.

Etenim quod privilegia habeant effectum à tempore, quo data sunt, etiam ante acceptam notitiam ab eod. Sanch. d. l. sub n. 1. allegantur 12. magni nominis Doctores & præter rationes & argumenta ibi adducta, etiam non parum stringit, quod in litteris gratia (quibus accensetur Privilegia) non attendatur tempus presentate, sed tempus date, ita ut statim tunc, cum datæ sunt, parti jus quærat, sicut cum communi docet Rebus. in praxi benefic. in tit. differentia inter rescripta gratia & justitia n. 5. c. cum te. De Rescript. c. si eo 9. Eod. in 6. Accedit, quod in proposito casu serventur finis & verba Concilij Trid. Finis quidem, quia matrimonium contrahitur publicè coram Parocho & testibus, & excluditur periculum abnegandi illud: Verba autem, quia data est licentia alieno Sacerdoti; utrum verò hæc licentia debuerit ipsi prius innotuisse, hoc in Concilio non est expressum, & quamvis DD. id asserant, tamen fundamentum eorum admodum dubium & controversum est. Cum igitur de jure veteri (de quo tale matrimonium indubiè valuerat) non censetur plus correctum, quàm expressum, L. præcipimus in fin. C. de appell. & in dubio potius favendum matrimonio, c. fin. de sent. & re jud. cujus irritatio est odiosa, & plerumque scandalosa, ita ut vel ex unius Doctoris Classici singulari opinione sustineri possit. Sanch. lib. 1. disp. 18. n. 7. atque æquitas rigori Juris sit præferenda. l. placuit. c. de judic. planè opinor, probabilem esse hujus matrimonij valorem.

Videamus quid argumentis à Sanch. d. disp. 36 n. 2. adductis reponi possit. I. in c. 1. de Concess. præb. in 6. dicitur, privilegium prodesse a tempore scientiæ. R. in primis esse allegationem partis, deinde ibi non deciditur an non aliquando proficit, à tempore quo datum est, sed alia quæstio movetur, an nimirum si agatur in privilegio de jure tertij, requiratur ut privilegium illi tertio innotuerit? & idè pars dixit, sufficere quod innotuerit privilegiato. II. in beneficio absenti collato non acquiritur jus ante acceptationem. c. si tibi absenti. de præb. in 6. Consularis dignitas acquiritur litteris præstitis, id est, præsentatis, l. fin. junct. gl. C. de Consul. servo absenti non quæritur libertas data ante certiorationem ejus. L. qui absenti ff. de acquir. poss. Donatio non confert jus donatario ante acceptationem l. absenti. ff. de donat. Legitimitio liberorum per rescriptum Principis desiderat eorum ratihabitio. Autb. quib. mod. natur. §. illud tamen. Col. 7. R. ex his omnibus non rectè necessariò inferri ad privilegia & multò minus ad licentiam datam alieno Parocho, quia in illis propterea requiritur alterius partis acceptatio, quod trahant secum aliquam ejus reciprocã obligationem, ita beneficiatus tenetur ad onera beneficij, & subjectionem Episcopi: Consul ad onera consularia, servus manumissus ad Jus Patronatus & operas libertorum. Donatarius ad antidota & evitanda ingratitude, juxta l. fin. C. de revoc. don. liberi legitimitati ad Jus Patriæ potestatis. In privilegijs autem, præsertim verò dispensationibus gratuitis vel licentia ad assistendum matrimonio (quam assistentiam parochus alienus per se paratus est facere) nulla talis reciproca obligatio est. Cæterum ex d. c. si tibi absenti. non leve argumentum pro contrario desumi potest, hoc ipso, quod ante notitiam quærat beneficiato saltem jus ad rem, ita ut Episcopus illud beneficium sine consensu ejus alteri nequeat conferre. Deinde in allegatis locis non deciditur, an secuta ratihabitio non quærat beneficiato vel alijs jus in re à die primæ collationis, sicut in legatis, quæ etiam requirunt acceptationem & tamen cedunt à die mortis. Valorem autem matrimonij etiam quandoque posse esse in suspensio jam superius dict. de Cond. appof. notavimus.

3. Parochus non potest exercere jurisdictionem, quam ignorat se habere. R. cum Parochus in matrimonio potius testis, quàm judex aut minister sit, idè assistentiam ma-

rimoniam non esse propriè exercitium jurisdictionis, aliàs Parochus invitus vel excommunicatus validè non assideret, quod tamen docet Sanch. lib. 3. disp. 39. & ead. lib. 3. disp. 21. nu. 4. & hoc ipsum est in questione, an actus, qui ab alterius licentia dependet, non possit exerceri ex rationabili illius licentiæ præsumptione, præsertim quando iam actu data est, licet adhuc incognita, demùm etiam illa opinio Sanch. d. disp. 36. nu. 7. & 8. qua in casu, quo per nuncium licentia petita est, requirit, ut saltem data licentia ipsi nuncio innotuerit juxta ea, quæ præmisit lib. 1. disp. 6. nu. 20. & disp. 7. numero 35. non est extra controversiam, quia multi & graves DD. apud eundem Sanch. CC. contra sentiunt quibus etiam potest addi Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 23. sub numero. 10. ubi docet, & petita & rationabiliter præsumpta dispensatione (si actu data sit, quamvis necdum cognita) validè contrahi posse. Nam ex mente omnium DD. concessio quæcumque valet, quando concurrunt consensus utriusque, sed quando unus petit, & alter dat, concurrunt consensus dantis & accipientis, sicut in stipulatione per interrogationem unius, & responsionem alterius statim nascitur obligatio, nec requiritur, ut interrogans responsionem denudò acceptet. & in clem. 1. de procurat. procurator constituitur, si unus per litteras rogaverit, & rogatus litteras sine protestatione retinuerit.

18 Testes porro, qui ad contractum matrimonij præsentés esse debent, non requiruntur omni exceptione majores, sed ne matrimonia frequenti periculo nullitatis exponantur (sicut testamenta in quibus tam exacti testes desiderantur) quoscunque testes rationis compotes, & intelligentes rem, de qua agitur, etiam domesticos, infames, faminas, confanguineos, &c. sufficere tradit Barb. d. l. n. 121.

19 Nulla tamen necessitas vel ignorantia excusat ab observatione legis, quæ formam actui præscribit, quatenus ea forma non servata actus valere possit. Quare licet ante repentinum discessum contracturus Parochum vel testes habere non possit, vel homo rudis invincibiliter ignoraret requiri, nihilominus sine eorum præsentia invalidè contraheret Text. in Trid. s. 24. de Reform. matrim. cap. 2. in princ. Sanch. d. lib. 3. disp. 17.

20 Postremò breviter inquirendum, quid censendum de matrimonio contracto in loco, ubi Concilium Trid. in puncto reformationis Matrimonij receptum non est? & dico 1. si matrimonium contrahatur ab incolis talis loci, illud haud dubiè validum erit secundum antiquos Canones ex quibus ad substantiam matrimonij solummodò mutus consensus & absentia impedimenti dirimentis requirebatur, ubi enim lex nova promulgata vel recepta non est non obligat. c. in istis. vof. leges dist. 4. Navar. in man. c. 23. n. 41. Cbok. de fuisd. ord. in examp. p. 19. §. 8.

Dico 2. Si quida ex loco recepti Concilij excurrat ad locum non recepti Concilij & ibi contrahat cum incola illius loci, pariter valebit matrimonium, cum enim contractus matrimonij sit individuus, regulatur secundum locum uniuscujuslibet ex contrahentibus. Sicut superius dictum est, proprium Parochum sponsi esse etiam proprium sponsæ, si ex diversis parochijs sint desponsati.

Dico 3. Si utraque pars emigraverit ad locum non recepti Concilij sine fraude & ex causa transferendo verum vel quasi domicilium aut etiam per modum transitus, valebit matrimonium juxta morem illius loci contractum. Tum quòd contractus regulatur secundum leges loci ubi celebratur. l. si fungus. ff. de viet. Gall. lib. 2. Obs. 123. tum quòd peregrini ex probabiliori non obligentur legibus domesticis. Non obstat, quòd Trid. inhabilitaverit personas ad contrahendum sine præscripta solennitate, inhabilitatio autem personæ comitetur ipsam personam sicut umbra corpus. Nam hoc procedit, quando persona est in individuo per sententiam judicis inhabilitata secus si inhabilitatio sit generalis ex lege, tunc enim habet legis naturam, ut non obliget, ubi est recepta, arg. c. 2. de constit. in 6. Sanch. de matrim. l. 3. disp. 18. Pont. de matrim. l. 5. c. 9. n. 2. Barb. de Offic. Episc. p. 2. alleg. 32. n. 153. & alij ib. magno. cc.

Dico 4. Si excurfus ad locum non recepti Concilij fiat hac sola intentione contrahendi sine proprio Parocho, adeòque in fraudem legis, dubitant DD. an valeat matrimonium. Nam transiens ad talem locum & ibidem contrahens secundum leges illius, videtur uti jure suo, adeòque nemini fraudem aut injuriam facere. l. nullus videtur. ff. de R. L. l. 3. §. 2. ff. de lib. hom. exhib. Intentio quoque mala, quamvis aliquando actum faciat illicitum, non tamen statim invalidum, ut si quis Parochum corrumpat, ut se sine denuntiationibus in fraudem prioris sponsæ copulet. Si filiusfam. aut Clericus bona inter vivos alienent, eo quòd de his testari nequeant, &c.

Nihilominus à Sac. Cong. Card. decisum & ab Urbano VIII. confirmatum esse, quòd matrimonium ita contractum invalidum sit, refert Lugo in Resp. mor. dub. 36. Barb. de Par. c. 21. n. 26. Bossius de contract. matr. c. 1. §. 29. & pro hac decisione facit, quòd fraus & dolus non debeant patrocinari c. sedes de rescript. l. 1. de aqua pluvia, quòd contra legem facere & in fraudem legis æquiparentur, l. contra legem, cum L. seq. ff. de ll. l. ex factis 43. §. fin. de Vulg. subst. L. 3. §. is autem ff. ad S. C. Maced. c. pen. de R. L. in 6. ita in l. hoc modo 64. de Condit. & demonstrat. notanter constitutum est, ut si per fraudem præiudicetur Legi Reip. utili, ipso jure rescindi, quod fraudandæ legis gratia factum est. Quis verò non videat, Consilium Trid. cum tanta præstantissimorum virorum deliberatione conclusum, esse legem Reipub. utilissimam, & si id defraudari permittatur, januam aperiri raptibus & clandestinis desponsationibus cum ingenti nonnunquam præjudicio parentum, & priorum sponsalium aliorumque interesse habentium. Quare ad rationes contrarias responderi potest, negando, quòd jure suo utatur, qui legem defraudare cogitat, Deinde quòd mala intentio non irritet actum, si nihil mutet in substantialibus à lege requisitis.

Dico 5. Hæretici si permixti cum Catholicis apud quos Concilium receptum est, vivant & in minori numero sint, tenentur statuto Concilij. arg. l. quod major. ff. ad municip. declaratio Card. apud Cyp. lib. 4. De sponsal. 16. Bossius de Contr. matrim. c. 1. §. 24. n. 65. & §. 28. sunt enim hæretici per Baptismum intra januam Ecclesiæ recepti, & ejus subditi effecti, subditus autem quamvis rebellis utique ad leges sui Superioris tenetur. Inde etiam fit, quòd Ecclesia magis hæreticos ad fidem compellat, tot. tit. X. de Heret. quam Judæos & Gentiles, qui non sunt propriè ejus subditi, dicente Apostolo: quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare.

Dico 6. Principes & Domini sæculares possunt punire adjuvandi juris Ecclesiastici causa tales excurrentes, vel alia illicita matrimonia contrahentes, Sanch. lib. 3. disp. 46. n. 13. laudabile est enim Principi Ecclesiam ejusque statuta defendere. arg. c. excommunicamus. §. monentur. de Heret. c. decernimus. de sent. excomm. in 6. clem. un. de jurctur. Extrav. unam sanctam de Major. & obed. inter com.

Dico 7. Qui vice versa ex loco non recepti Concilij veniunt ad locum, in quo receptum est, tenentur secundum formam Concilij contrahere. Quidquid enim sit, an & quando peregrinus teneatur ad leges loci, per quem transit, (quòd de legibus juris communis probabilius affirmatur cum Nav. in man. c. 25. n. 120. Laym. de LL. c. 12. n. 3.) recepta est doctrina, quòd circa solennitatem contractuum teneatur. Sanch. d. disp. 18. n. 26.

De dissolutione & Separatione Matrimonij.

S U M M A R I A.

- 1 Matrimonium aliud propriè tale, aliud impropiè seu attentatum.
- 2 Magis interdum congruum est, impedimentum quovis modo tollere, quam conjuges invitos ab invicem separare.
- 3 Qualiter matrimonium nullum ex defectu consensus in alterutro reconvalidari possit?
- 4 Qualiter matrimonium cessante impedimento dirimente occulto reconvalidari debeat.
- 5 An ad reconvalidationem matrimonij debeant etiam repeti solennitates?
- 6 An Parochus vel confessarius teneatur monere habentes impedimentum, si id ignorent.
- 7 Matrimonium dupliciter dissolvi potest, vel quo ad vinculum, vel quo ad thorum.
- 8 Matrimonium ratum duobus tantum casibus: Consummatum verò nunquam, exceptà morte, quò ad vinculum dissolvi potest.
- 9 Occurritur objectioni hæreticorum contendentium saltem ob adulterium matrimonium consummatum etiam quò ad vinculum solubile esse.
- 10 Matrimonium consummatum 6. de causis quò ad thorum dissolvi potest.
- 11 Ex solo adulterio matrimonium consummatum quò ad thorum in perpetuum dissolvitur.
- 12 An sicut maritus uxorem, ita uxor maritum propter adulterium dimittere possit.

- 13 An etiam oscula, vel amplexus uxoris aut suspicio tantum adulterij divortium causare possint.
- 14 Quales probationes requirantur, ut iudex divortij sententiam ex causa adulterij proferre valeat?
- 15 Ob paritatem delicti denegatur divortium, etiamsi pars innocens primum post latam sententiam adulterium committat.
- 16 Maritus uxori etiam indiretè tantum dans causam adulterij, divortium petere non potest.
- 17 Bona fides, uti & violenta oppressio, vel etiam metus cadens in constantem mulierem excusat à divortio.
- 18 Tollitur divortium ex condonatione injuriæ, & quando hæc condonatio fieri possit?
- 19 Si conjux innocens nocenti injuriam condonet, tenetur nocens acceptare, & ad cohabitationem redire.
- 20 Cur hæresis sit causa divortij?
- 21 An conjux catholicus teneatur recipere hæreticum post latam sententiam revertentem?
- 22 Meritò etiam ob periculum peccati divortium fieri debet.
- 23 Demùm ex sevitia conjugis rectè dissolutio matrimonij petitur.

Matrimonium aliquando dissolvitur, quia invalidè contractum cum impedimento dirimente, quod quidem, non est propriè matrimonium, sed matrimonium attentatum? aliquando verò valde ab initio contractum ex causa superveniente.

De Separatione Matrimonij ob Nullitatem.

- 1 **M**atrimonium nulliter contractum propriè quidem & de jure matrimonium dici non potest; dicitur tamen matrimonium impropriè seu de facto attentatum. Porro matrimonium tale attentatum ob quodcumque impedimentum non aliter separandum est, quam accedente auctoritate Judicis Ecclesiastici. Est autem hæc advertendum, quod non semper in vitis conjugibus matrimonium separandum sit, dummodò impedimentum vel causa nullitatis per dispensationem aut alium modum tolli possit. Imò si vir tantum in mala fide, & feminam ignaram impedimenti deceiverit, videtur planè ex naturali æquitate ad tollendum impedimentum & dispensationem impetrandam cogi posse.
- 2 *Queritur autem primò.* An si nullitatis causa sit occulta, & uni tantum parti cognita, aliquando convalidari possit matrimonium absque eo, ut alteri parti ignorantibus significetur, posset enim nonnunquam ex notificatione impedimenti oriri dissensio, perplexitas, infamia aut aliud scandalum.
- 3 *Responsio affirmativa communiter est recepta.* Quò ad modum autem convalidandi distinguendum est, an matrimonium sit nullum ex defectu consensus in alterutro, vel an ob aliud impedimentum dirimens occultum. Priori casu convalescet matrimonium, si verè consentiat ille, qui fidè tantum consentit: neque enim ad matrimonium necessarius est consensus viri & femine formaliter simultaneus, sed sufficit, quòd is, qui priori tempore consentit, in sua voluntate perduret, usque dum etiam pars altera consentiat, aliàs matrimonium per procuratorem contrahi non posset, cum principalis, qui procuratorem mittit, longo tempore prius consentiat, quam altera persona, ad quam procurator mittitur. Volunt tamen Doctores, ut iste novus consensus non sit merè internus, sed per signum aliquod externum, veluti per verba, quæ conjugalem effectum indicent, aut per copulam exprimentur, quæ ad essentialiam sacramenti requiruntur signum visibile. Licet verò in tali casu jam prius adfuerit signum scilicet contractus extrinsecus matrimonij & tantum defuerit consensus; reputatur tamen hoc signum insufficiente, quia tunc temporis, quando positum erat, fuit solummodò putativum & falsum.
- 4 *Altero casu, si occultum impedimentum cessarit, v. g. in affinitate occulta dispensatio clam obtrita sit, uxor legitima, de qua nihil sciebatur, mortua &c. requiritur quidem novus utriusque consensus, quia prior propter tale impedimentum erat invalidus, interim tamen non est necesse, ut uxor v. g. ignara nullitatis prius de ea certioretur, & ita novus ipsius consensus petatur, sed satis erit, si dissimulata nullitate interrogationi de præsentia factæ consentiat, ut si maritus dicat, si non esses mea uxor velles fieri? & de facto vis esse mea uxor &c. qua de re videatur Sanchez, de matrimonio l. 2. d. 36.*
- 5 *Queritur II.* An ad reconvalidationem matrimonij debeant reiterari solemnitates Conc. Trid. ut scilicet denuò interveniat Parochus cum testibus? & esse distinguendum, an impedimentum ita occultum sit, ut probari nequeat? vel utrum juridicè saltem per duos testes probari possit? priori casu sufficiet, quòd solemnitates ab initio adhibitæ sint, quia eorum

effectus etiam imposterum censetur durare, hoc ipso, quòd matrimonium tali casu negari facile non possit, cum constet de contractu publico & non constet de impedimento. At in posteriori casu propterea solemnitates reiterandæ sunt, quia sine his subesset periculum, ne quandoque matrimonium negaretur, si nullitas in primo contractu propter impedimentum probari possit, & consensus novus defectu solemnitatum esset omninò occultus. Verùm ne passim divulgetur, quòd duo conjugati impedimento canonico laborent, notabilis est cautela, ut Parochus vel confessarius petens licentiam à Parocho in præsentia duorum testium, qui possunt esse de consanguineis aut alijs bonis amicis, partes coram se privatim conjugat.

Queritur III. An si confessarius vel alius quisunque ex privata scientia adverterat, conjugatos habere ignorantiam impedimenti, teneatur eis impedimentum & nullitatem matrimonij indicare?

Resp. non teneri, imò plerumque non esse consultum admonere conjuges in bona fide existentes, si tamen ista concurrant. 1. ut impedimentum sit occultum, & non sit scandalum apud alios homines. 2. ut ignorantia non sit mortaliter culpabilis, sicut ordinariè ignorantia juris excusat homines plebeos, fæminas, milites & alios similes *L. cum de indebito. §. 1. ff. de probationibus.* & ignorantia facti excusat omnes. 3. ut penitens nullum omninò dubium habeat de valore matrimonij, quia confessarius vel alius vir doctus interrogatus de valore matrimonij tenetur veritatem dicere, ne causam erroris præbeat. 4. ut prudenter timeatur, ne ex admonitione timeantur dissensiones, infamiæ, periculum incontinentiæ, & alia scandala vel gravia incommoda. Ratio autem, cur istis concurrentibus rectè omittitur admonitio, ista est, quia nemo obligatur ad actum inutilem & proximo nocivum; esset verò talis admonitio inutilis & nociva, tum propter incommoda subsequenda, tum quòd conjuges prius in bona fide existentes, per usum matrimonij putativi non peccarint, jam autem post indicationem impedimenti periculo peccandi exponantur, ergò &c. Idque confirmatur ex *c. quia circa, de consanguinitate & affinitate. & c. si quis autem, de penis. dist. 7.* non obstat difficilis textus in *c. 3. extra. de regulis juris*, ubi dicitur: quòd utilius scandalum nasci permittatur, quam veritas relinquantur. Nam explicari potest de tali veritate, quæ sine peccato taceri non potest, & ad quam manifestandam aliquis tenetur; ut si partes sint in mala fide, vel dubio aut culpabili ignorantia. Item Concionator aut Professor Publicus tenetur veritatem dicere, licet fructus alicujus privati non speretur, sed potius scandalum, quia talis doctrina ordinatur ad bonum publicum, idè ob privatum alicujus malum non est intermittenda. Pluribus examinat hanc quæstionem Sanchez, d. l. disput. 38.

De Separatione matrimonij validè contracti.

Matrimonium validè contractum aliquando separatur 7 vel quò ad vinculum, ita ut prorsus cesset esse matrimonium: vel tantum quo ad thorum & mutuum cohabitationem, manente vinculo conjugii.

Quò ad vinculum matrimonium ratum duobus casibus dissolvitur, scilicet per ingressum in religionem, & dispensationem S. Pontificis; quia matrimonium ratum, cum tantum significet conjunctionem Christi cum anima fideli (quæ & magis intendi, & per peccatum tolli potest) non est indissolubile. At verò matrimonium consummatum, cum significet indissolubilem conjunctionem Christi cum unica sponsa Ecclesia, nullo casu, excepta morte naturali, quo ad vinculum dissolvi potest: ita enim illam legem Hebræorum *Deut. 24. c.* ex qua licebat dare libellum repudij uxoris, aperte & iteratò sustulit Christus *Matth. c. 5. & c. 19.* his verbis: *Moses ad duritiam cordis vestri* (intellige, ex dispositione Dei) *permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem & aliam duxerit, mæchatur.*

Sed Hæretici suo more semper proni ad carnis libertatem (quam prohibet Apostolus *ad Galat. 6. ad Rom. 8. c.*) f. & Evangelij jugum excutiendum, ergò, inquirunt, saltem ob fornicationem uxoris solvetur matrimonium consummatum, eaque dimissa licebit aliam ducere. hunc errorem, quem plerique hæretici nostri temporis amplectuntur, anathemate damnavit Conc. Tridentinum *sess. 24. de Sacramento Matrimonij. Can. 7.* & pluribus demonstrat Bellarm. *lib. 1. de matrim. c. 15. & seqq.* etenim textus allegatus in hunc modum interpretandus est, ut illa exceptio de fornicatione uxoris referatur

tantum ad verba *precedentia*, ut scilicet non liceat dimittere uxorem *excepta causa fornicationis*: non autem ad verba *subsequentia*, quasi in super ob causam fornicationis aliam ducere liceat, sicut cum S. Thoma in 4. p. dist. 35. q. unica communiter Scholastici explicant. Doctrinam autem hereticorum ineptam esse. Iprobatur ex interprete Christi Paulo Apostolo, qui I. ad Corinth. 7. inquit: *is, autem, qui matrimonio juncti sunt, precipia non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere inuptam, aut viro suo reconciliari ubi in prioribus verbis: precipio, à viro non discedere*, loquitur Apostolus de discessu injusto, in posterioribus autem de discessu justo, scilicet ob causam fornicationis, quem discessum Christus dicto loco permittit; aliàs si etiam in posterioribus locutus fuisset Apostolus de discessu injusto, non potuisset dare optionem uxori, an vellet inupta manere, aut viro reconciliari, sed simpliciter debuisset jubere, ut ad virum reverteretur, deinde probatur ratione, quia si propter adulterium dissolveretur conjugium, aperiretur janua infinitis repudijs, & conjunx volens esse liber tantum adulterium committeret, & ita ex suo delicto commodum reportaret, atque ad alias nuptias prohibitu transire valeret. Verum matrimonium consummatum, licet quoad vinculum dissolvi nequeat, quoad zhorum tamen & mutuam cohabitationem de causis dissolvitur. I. Propter adulterium. II. Propter hæresim. III. Propter incitationem ad peccatum. IV. Propter sævitiam. V. Propter ingressum in Religionem mutuo consensu factum, Et VI. Propter morbum contagiosum.

Instant autem hoc loco iterum heretici dicentes, si juxta nostram explicationem is fuit sensus Christi, ut non liceat dimittere uxorem, *excepta causa fornicationis*, quomodo ergo hic ultra fornicationem plures separationis causæ conceduntur? **R.** Nostram explicationem ulterius declarandam esse in hunc modum, ut ex solo adulterio liceat dimittere uxorem in perpetuum, & etiam nolentem ac invitam: aliæ vero causæ hic enumeratæ ex sua natura non sint perpetuæ, vel certe non sunt contra voluntatem alterius partis, sicut ingressus in Religionem mutuo consensu factus. Unde cessante hæresi, periculo peccati, sævitia & morbo contagioso cohabitatio separata rursus restaurari debet, non autem cessante adulterio, quia fides conjugalis semel violata semper manet violata, & sanè, si Apostolus I. ad Corinth. 7. potuit concedere temporalem separationem conjugum ex consensu causa orationis; potuerunt utique etiam Pontifices ex alijs iustis causis, scilicet propter periculum corporis vel animæ talem separationem indulgere: etenim Pontifices tanquam Christi in terris Vicarii Apostolica autoritate perficiuntur, usque non minus quam Apostolis jus divinum interpretari ac declarare convenit.

De Separatione propter Adulterium.

12 **Quæritur I.** Utrum non tantum maritus uxorem, sed etiam vice versa uxor maritum propter adulterium dimittere possit? **Affirmativa** sententia communis & vera est. Ratio enim hujus divortij consistit in violatione fidei conjugalis, quæ haud dubie non tantum per adulterium uxoris sed etiam mariti contingit, cum conjuges non debeant ad imparia judicari. *c. gaudemus. de divortijs. c. ultimo, causa 32. q. 5. c. placuit. eadem causa. n. 7.*

Non obstat, quod Christus Dominus *Matth. 5. & 19.* tantum de dimissione uxoris meminert, quia intelligitur locutus fuisse de eo, quod frequentius accidit, prout etiam in dicto *c. ult.* ait Innocentius, quod viri frequentius soleant mulieres de adulterio accusare, quam è contra mulieres viros suos. Item dici potest, quod ibi Christus tantum de dimissione uxoris à Judæis interrogatus fuerit, & idè juxta interrogata responderit.

13 **Quæritur II.** An etiam propter oscula, vel amplexus uxoris aut suspicionem tantum adulterij possit cohabitatio dissolvi? Pro affirmativa facere videtur *lex. consensu. 8. §. 3. de repudijs*, ubi iusta divortij causa esse dicitur, si mulier invito marito aliena convivia appetat, aut extra domum pernoret. Item textus *in lib. 1. feudorum tit. 5.* ubi statuitur, quod vassallus feudum perdere debeat, non tantum, si cum uxore Domini adulterium commiserit, sed etiam, si committere attentaverit, vel cum ea turpiter luserit. Negativa tamen sententia verior est; quidquid enim leges civiles statuerint & permiserint, ut ex alijs etiam pluribus causis, quam ex solo adulterio matrimonium quoad ipsum vinculum missio libello repudij dissolvi possit, prout constat ex toto tit. ff. *Cod. de divortijs & de repudijs*. Itæ tamen leges invalidæ reputantur, quia causa matrimonij secundum Canones & E-

vangelium tractanda est, ubi matrimonium consummatum quoad vinculum nunquam, quoad cohabitationem solum propter adulterium in perpetuum separari conceditur, ut superius diximus. Deinde si ab adulterio ad oscula &c. argumentari vellemus, esset argumentum à majori ad minus, quod utique in pœnalibus & odiosis extra casus in jure expressos locum non habet, cum in pœnalibus concepta doctrina ne quidem à simili argumentum procedat. Unde etiam allegata constitutio feudalis ad causam matrimonialem tanquam multo graviores & majoris præjudicij trahenda non est. Hoc tamen rectè admittitur, quod nomine adulterij veniant etiam reliqui concubitus contra naturam, secundum ea, quæ proxime tradit Sanchez *de matrim. lib. 10. disp. 4.*

Quæritur III. Qualiter constare debeat de adulterio, & quales probationes requirantur, ut judex divortij sententiam proferre valeat? **Resp.** Cum delicta carnis sint difficilis probationis, non requiri testes de visu ipsius peccati deponentes, sed sufficere conjecturas & præsumptiones violentas, ex quibus si non physica, saltem moralis certitudo inducatur, ut scilicet quilibet prudenter credere possit, adulterium commissum esse, quales autem sint tales præsumptiones violentæ, traditur per textum & Doctores *in cap. litteris de præsumpt. & multis explicat Farinacius in præxi criminali, de delictis carnis*, & Sanchez *dist. lib. 10. disp. 12.* defumuntur verò ex circumstantia loci temporis, & personarum, veluti si uxor aliàs malè diffamata aut suspecta, sola cum solo, tempore & loco ad peccandum apto deprehendatur, oscula etiam & tactus, quamvis ex se non constituent causam divortij, ut dictum, concurrentibus tamen alijs circumstantiis valdè aggravant præsumptionem adulterij.

Est verò advertendum, quod tales conjecturæ, ex quibus peccatum præsumitur, plenè probandæ sint per testes aut confessionem propriam uxoris, proin non sufficet, si ex. g. solus maritus dicat: se alicui suspectos uxoris vidisse, quia in causa propria nemo testis idoneus reputatur, ex qua nimirum aliquod commodum sperat, sicut hic, ubi propter adulterium uxoris maritus non tantum à jugo matrimonij liberatur, sed insuper uxoris dotem lucratur.

Quæritur IV. An sint aliqui casus, in quibus propter adulterium non conceditur divortium? **Resp.** Varios casus enumerari, qui facilioris memoriæ causa ad 3. capita reduci possunt. **Primum** est: paritas vel causa delicti in altero conjugate. **Secundum**: excusatio delicti à culpa. **Tertium** conciliatio seu condonatio injuriæ.

Ex primo capite denegatur divortium primò, si uterque conjux commiserit adulterium, quia paria delicta mutua compensatione tolluntur, *cult. de adulterijs, & c. 3. de divortijs*, idque probabilius extendunt Doctores, ut si ex. gr. maritus etiam post latam divortij sententiam adulterium commiserit, adhuc ad recipiendam uxorem dimissam cogi possit, sicut enim uxor ex primo adulterio amisit jus quæsitum per contractum matrimonij, ita & multò magis maritus per subsequens adulterium amittit jus quæsitum per sententiam: est enim jus ex matrimonio quæsitum multò fortius, quam quæsitum ex sententia judicis, & cohabitatio matrimonialis favorabilior quam separatio, *Nauarrus tit. de divort. cons. 1.*

II. Maritus divortium petere non potest, si uxori causam adulterij dederit, ipsam prostituendo vel non prohibendo cum potuisset, denegando debitum conjugale, *si sit absines, caus. 37. n. 2.*

Sed quid si uxor ob nimiam mariti sævitiam fugerit ex domo, & extra eam adulterium commiserit? tum excusari uxorem à divortio, docet Sanchez *dicto l. 10. disp. 5. num. 10.* contra quosdam alios gravissimos Doctores, eo quod tibi sævitia non sit directa adulterij causa, *Argum. cap. significasti de divort.*

Nihilominus si mulier necessitate compulsæ fugerit ad talem locum ubi fuit periculo incontinentiæ exposita, non video, quomodo tale adulterium marito imputari non possit, qui inhumanior tractando conjugem, ei in effectu cohabitationem denegavit, & a loco periculoso revocare debuisset. Ad dictum cap. significasti responderi potest, quod ibi mulier sine necessitate fuerit in loco periculoso: vel quod intelligatur, quando vir non tenebatur reddere debitum propter adulterium præcedens, sicut ex casu illius Capituli intelligitur. Interim licet hoc casu denegetur divortium, alia tamen pœna adulterium uxoris rectè puniatur.

Ex secundo Capite cessat divortium II. Si conjux probabiliter credens, alterum conjugem decessisse, vel matrimonium ex falsis probationibus confanguinitatis vel alterius impedimenti separatam sit, alteri nubat, si tamen jam cer-

certainata de vita prioris conjugis aut valore prioris matrimonij, persistit in secundo conjugio debitum reddens ac petens: tunc enim jam verè rea adulterij censetur, ut rectè docet Hostiensis in *summa tit. de divortijs n. 8.*

II. Si uxor per violentiam oppressa sit cui resistere non potuit, imò non tantum violenta oppressio, sed etiam alius justus metus cadens in constantem mulierem excuset à divortio: licet enim metus non soleat in foro interno excusare à transgressione legis divinæ, præceptivæ, & ita à peccato, excusat tamen quò ad penas legales & ab injuria marito illata, arg. *L. vim passa. & L. si uxor. §. si quis. ff. ad Legem Juliam. de adulterijs.*

III. Si quis uxorem acceperit, simulans se esse maritum, cui uxor bona fide nihil mali cogitans credidit. *c. in lectum causa 34. q. 2.* nam sicut hoc casu bona fides tollit culpam adulterij, ita etiam pœnam divortij, ad probandam autem hanc conjugis bonam fidem sufficere ejus juramentum, habito respectu ad ejus honestatem & alias probabiles conjecturas, tradit Hostiensis *dicto n. 8. casu 3.*

18 *Ex tortio Capite tollitur divortium I.* Si conjux innocens expressis verbis injuriam & adulterium alteri condonaverit, cum quilibet possit juri suo renuntiare. *L. penult. Cod. de pactis.*

II. Censetur tacita condonatio, si innocens conscius adulterij cum altera parte nocente sponte matrimonio usus sit petendo aut reddendo debitum. Notanter autem dico, debere id factum fuisse scienter & sponte: unde ex sola adulterij suspitione sine apertis indicijs, per usum matrimonij sibi non præjudicat innocens. Item si lite pendente super adulterio Judex jubeat uxorem reddere debitum marito accusato, ne pendente lite commodo possessionis privetur, *juxta c. 2. lite pendente nil innovetur.* vel si maritus gravi metu uxorem ad usum matrimonij cogat, nullum inde exurgat divortio præjudicium.

III. Censetur facta reconciliatio & condonatio injuriæ, si innocens scienter & sponte nulla necessitate etiam honestatis compulsus, familiarem se exhibeat conjugi adulteranti cum eo ludendo, ridendo, comedendo, & multo magis amplexus & oscula dando: nam per tales actus aboleri injuriam, docent Glossa & Doctores communiter in *§. finali instir. de injurijs.* videatur Sanchez *dicto lib. 10. disp. 14.*

19 *Quæritur V.* An si conjux innocens velit ultro reconciliari nocenti, teneatur nocens acceptare & ad cohabitationem redire? Ratio dubitandi est, quòd innocens dimittendo adulterum dimiserit jus suum, quod in ipsum habuit: remittentibus autem jura sua non sit dandus regressus. *L. quæritur 14. §. si venditor. ff. de adilitio edito.* Affirmativa tamen sententia verior est, quia divortium ex causa adulterij solum in gratiam innocentis concessum est, ergò non debet in ejus odium & incommodum retorqueri. *quod ob gratiam de regulis juris in 6. & sententia non debet prodesse reo; contra quem lata est L. evidenter. 16. ff. de exceptione rei judicata.*

Ad rationem dubitandi *R.* Quòd per actionem & sententiam divortij innocens non remittat suum jus, sed potius ad alter jure suo, quod prius in innocentem ex matrimonio habuit, volente conjuge innocente privetur. Unde ulterius inferitur, quòd adulter non possit ad Religionem transire invito conjuge innocente, nisi is monitus adulterum respicientem & penitentem nolit recipere per textum & interpretes in *c. gaudemus de conversione conjugatorum.*

De Separatione Matrimonij propter hæresin, periculum peccati, sævitiem & morbum.

20 *Hæresim esse causam divortij, inter omnes convenit, in ratione autem assignanda discrepant.* Quidam putant, hoc propterea statutum, quòd hæresis sit spirituale adulterium. In qua sententia videtur fuisse Aug. in *c. idololatria. causa 28. q. 1.* Alij existimant, hæresin esse contra bonum proles, eò quòd proles in vero Dei cultu non educetur. Alij ob periculum animæ id factum asserunt, ne hæreticus Catholicum pervertat. Alij demum in pœnam hæresis ab Ecclesia statutum sentiunt; quæ omnes rationes satis congruè & probabiliter assignari possunt.

Cæterum hanc separationem propter hæresim, si fiat ante Judicis sententiam, qua conjugem hæreticum declaret, non esse perpetuam, sed eò usque durare, donec hæreticus ad fidem revertatur, omnes etiam facilè admittunt. *Juxta c. 6. de divortijs. †* Verum non levis est controversia, an si hæreticus post sententiam latam revertatur, recipiendus sit

Max. Paroebor. P. Ludov. Engel.

ab altera parte catholica? Negativam probabiliorē credit Sanchez *lib. 10. disp. 15. n. 19.* propter textum in *dicto cap. 6. de divortijs.* Qui satis apertè pro hac sententia loquitur, & confirmatur ex *c. ult. de hæreticis in 6.* Ubi in panam hæresis omnes, qui aliqua obligatione hæretico adstricti fuerunt, absolventur. Hanc sententiam quamvis ipse putem, de rigore juris valde probabilem, at tamen de æquitate illam censeo præferendam, quæ distinguit: An conjux catholicus velit ad religionem transire, aut in sæculo remanere, ut priori casu ex speciali privilegio Religionis non teneatur recipere conjugem ab hæresi reversum, sicut decisum est in *c. ult. de conversione conjugatorum.* Posteriori autem casu recipere omnino teneatur, tum quòd causa perpetui divortij solum adulterium carnale à Christo assignatum sit. Tum quòd separatio matrimonij propter periculum incontinentiæ & alia scandala ac damna non sit facile concedenda, præsertim, si uterque in sæculo vivere velit. Tum denique, quòd id satis colligatur ex *c. quanto in fine. de divortijs.* Ad contraria *R.* & imprimis ad *c. ult. de hæreticis in 6.* quòd id tanquam pœnale non sit extendendum ad obligationem matrimonialē, quæ est ex jure divino 2. quòd *c. 6. de divortijs* sit explicandum juxta dictum *c. ult. de conversione conjug.* atque hanc sententiam communem & probabilem agnoscit ipse Sanchez *dicto loco n. 18. Barbosa in dicto c. 6. num. 5.*

Ob periculum peccati meritò etiam separatur matrimonium: 22 Si enim hoc licet propter morbum contagiosum, scilicet lepram, aut similem, & ita ob periculum corporis, multo magis ob periculum animæ. Censetur autem tale periculum, si E. g. maritus velit uxorem prostituere, & lenocinium exercere, si homines impudicos in domum introducat, si ex ufura & furtis velit uxorem alere, si ad patrandam vel tegendam homicidia adhibere, &c. Propter alia autem delicta conjugis, quæ in periculum animæ vel corporis alterius conjugis non redundant, divortium minimè concedi notant Doctores communiter per textum in *cap. 2. de divortijs.*

Ex sævitiâ seu crudelitate conjugis ideò rectè petitur divortium, quia nimis duram esset, obligationem matrimonij ad magnum corporis periculum extendere. Nec verisimile quòd contrahentes cum tanto suo damno se ad cohabitationem obligare voluerint. Porro quanta sævitiâ conjugis esse debeat, ut alteri divertere liceat, Doctores non usque adeò conveniunt: Sunt enim, qui putent, tantum ob vitæ periculum divortium concedi, cum Barbosa *ad Rubric. ff. soluto matrimonio parte 2. n. 31.* verum communius receptum, etiam ob atrociam verbera non tantum actu illata, sed & quæ inferenda probabiliter timentur rectè posse separationem indulgeri, quia ratio superius allata non hic locum habet & facit *lex consensu. Cod. de repudijs.* hoc tamen intelligi non debet de levibus verberibus (habet enim maritus ex rationabili causa potestatem moderatè & leviter, non verò nimis excessivè castigandi uxorem, sicut docet Abbas in *c. quemadmodum. de jurejurando. & Sylvest. verbo. uxor. n. 3*) neque de verberibus jam præteritis, quæ forsitan ex aliquo extraordinario calore illata sunt, si impostero non sit magnum periculum ea ampliùs inferendi. Cæterum cum in casu sævitiæ plerumque periculum in mora esse soleat, non vitio vertitur conjugi, si propria auctoritate à sæviente recedat, nec restituitur, nisi à sæviente idonea cautio de non offendendo præstetur. Hæc cautio, quæ generaliter exigitur, quoties probabile periculum offensionis imminet, præstanda est regulariter per pignora aut fidejussores, ut mulier in eventum læsionis habeat, unde satisfactionem etiam pecuniariam propter injuriam exigere possit, quia in *c. litteras. de restit. spoliar.* requiritur sufficiens cautio, qualis est illa, quæ sit per pignora aut fidejussores. *L. si mandato. 59. §. ult. ff. mandati.* quòd si conjux sævienti ob inopiam pignora aut fidejussores habere nequeat, ejus juramentum pro cautione acceptabitur. *auth. generaliter. Cod. de Episcopis & Clericis.* Si verò sævitiâ conjugis cum tanto furore intentetur, ut alteri non possit sufficienter cautum esse, aut fortassis maritus parum sit Religiosus, qui juramentum non multum timeat, cohabitatio uxori injungi non debet. *dicto c. litteras in fine.* Denum hoc divortium, sicut alia, excepto eo, quòd sit ob adulterium, temporale est, usque dum scilicet conjux mitescat & ad saniorē mentem redeat. unde in praxi usitatum est, ut juxta Ecclesiasticum non proferat absolutam divortij sententiam, sed tantum ad duos vel tres annos concedat tolerantiam ut vocant, ut tantisper probetur resipiscentiâ sævientis.

De ingressu in Religionem videantur text. & Interpp. ad tit. de Convers. conjug. & quæ tradidi, de Privileg. Monast. Privileg. 35.

24 *Morbus contagiosus scilicet lepra, morbus gallicus &c. ex magis communi DD. sententia etiam est causa separationis quoad cohabitationem, si iudicio Medicorum probabile corporis periculum alteri conjugii imminet, quia naturalis æquitas dicitur ne matrimonii obligatio eo usque extendatur contra verisimilem intentionem contrahentium, videtur quidem adversari difficulti text. in cap. 2. de conjug. lepro. ubi Pontif. & *Orum*, inquit, si uxorem leprosum fieri contigerit, & infirmus a sano carnale debitum exigat, generali præcepto Apostoli, quod exigitur, est solvendum, cuius præcepti nulla in hoc casu exceptio invenitur. Verum ut interpretatione legum & Canonum æquitas rigori præferatur, l. placuit, C. de Judic. potest hic textus intelligi, cum Bar. in d. cap. 2. quando iudicio Medicorum non est valde notabile periculum, sicut ordinariè in fœmina admittente virum morbosum contingere ajunt, vel de casu, quo morbus ante matrimonium non fuit ignoratus, & proinde eo non obstante conjuges se ad cohabitationem obligasse censeri possunt, nam leprosis non est interdictum matrimonium contrahere; & licet nemo sit dominus membrorum suorum, l. liber homo, ff. ad leg. Aquil. idèque ad actualem membri amissionem se nequeat obligare, ad periculum tamen corporale se obligare quandoque non est prohibitum, ut in militibus, nautis, aliisque similibus quotidianum est.*

§. VIII.

De Iudicio Causarum Matrimonialium.

S U M M A R I A .

- 1 Omnes cause matrimoniales coram solo Iudice Ecclesiastico tractari debent.
- 2 Cause matrimoniales de jure tantum ad Episcopos, eorumque Vicarios pertinent.
- 3 Coniux propria auctoritate partem dimittens, tenetur fidem recipere, non obstante quocumque impedimento.
- 4 An post receptionem, non obstante impedimento, licitus sit conjugii usus.
- 5 Non tantum conjuges, sed quicumque notitiam impedimenti habentes matrimonium accusare possunt.
- 6 Conjugibus impedimentum ultro consentientibus, non statim credi debet.
- 7 Ad matrimonium contractum dissolvendum requiruntur plene probationes.
- 8 Consanguinitas circa impedimentum consanguinitatis pro testibus accipiendi sunt.
- 9 In dubio pro favore matrimonii judicari debet.
- 10 Cause matrimoniales brevissima tractari debent.
- 11 Sententia lata in causa matrimoniali non transit in rem judicatam.
- 12 Actio matrimonii etiam post lapsum longissimi temporis institui potest.
- 13 Quando agitur de impedimento canonico, nunquam transactio locum habere potest.

Contingit non raro, ut desponsatis vel conjugatis aliquod impedimentum canonicum obiciatur, atque contra eos ad impediendum matrimonium contrahendum, vel contractum dissolvendum agatur. Idè in hoc §. trademus, quid iudicibus in tali processu observandum sit.

Igitur sciendum primò, omnes causas matrimoniales pertinere ad iudicium Ecclesiasticum, quæ propositionem si quis contumaciter negaverit, anathemate damnatur à Concilio Tridentino sess. 24 de Sacramento matrimonii can. 12. unde Iudices seculares se immiscere non possunt, quia cum matrimonium sit Sacramentum, causa illius censetur esse spiritalis, quam non convenit à secularibus iudicibus tractari, & decerni, de iudiciis. Imò tamen causa principalis sit secularis, & quæstio tantum incidat de valore matrimonii (exempli gratia si agatur de hæreditate, & filius, qui hæreditatem præterit, negetur esse legitimus, & natus ex valido matrimonio) adhuc iudices seculares in causa principali superfedere, & illam quæstionem de valore matrimonii ad iudicem Ecclesiasticum decidendam remittere debent, licet aliàs causa connexa dividenda non sit. l. nulli, Cod. de iudiciis, excipitur tamen, si sit spiritalis, quæ à iudice seculari nequit cognosci, cap. tuam, de ordine cognitionum, cap. lator, & cap. causam, qui si ii sint legitimi. Minsing cent. 1. observ. 100. qui ita in Camera Imperiali prædi-

cari asserit, nisi quæstio de matrimonio esset merè facti & non joris. v. g. si diceretur filius merè ex concubinato genitus, & negaretur inter parentes eius aliquando matrimonium fuisse contractum; tunc enim de isto facto, an matrimonium contractum sit, abstrahendo à valore ejus, etiam Iudex secularis rectè cognosceret.

Sciendum II. Causas matrimoniales non ad quosvis Iudices Ecclesiasticos, sed tantum ad Episcopos, eorumque Vicarios pertinere. Unde Decani & Archidiaconi hanc cognitionem causarum matrimonialium sibi de jure vindicare non possunt. Trid. sess. 24. de reform. c. 20. in amplis tamen diocesis, sicut in hac Salisburgensi, solent Episcopi Archidiaconi causas matrimoniales in certo aliquo districtu emergentes judicandas committere, & sibi tantum appellationem reservare, ne partes cum magnis sumptibus & temporis dispendio cogantur semper Episcopale Consistorium adire. Abates quoque nonnulli exempti, qui totum territorium, & in eo jurisdictionem quasi Episcopalem habent, quamvis ipsi de cætero Episcopi non sint, etiam de causis matrimonialibus cognoscere possunt: Nam ad decisionem istarum causarum non requiritur ordo Episcopalis, sed jurisdictionis.

Sciendum est III. Neminem posse propria auctoritate conjugem ob quodcumque impedimentum sine sententia Iudicis dimittere, licet fortassis notoria consanguinitas inter ipsos conjugatos post contractum matrimonium appareret. Imò si defacto v. g. maritus dimisset uxorem, ad recipendam eam & cogendus & insuper pœna arbitraria multandus esset. c. 3. & 4. de divorcijs. † Utrum autem post talem receptionem licitus sit usus matrimonij. Vid. sup. Sect. 9. num. 6.

Sciendum IV. Quod non tantum ipsi conjuges, vel illi, quorum interest, possint matrimonium accusare, & impedimentum Iudici notificare, sed si fama spargatur, quosdam conjugatos aliquo impedimento canonico laborare, Iudex de veritate ex officio inquirere debeat: imò quilibet de populo, cui impedimentum notum est, id iudici proponere, & matrimonium accusare permittatur, ne aliqui sub specie conjugij impune adulteria vel incestus committant, dummodò non sit præsumptio, quod ex odio aut malitia, vel ad extorquendam pecuniam accusator alienum matrimonium turbare velit. c. 5. Qui matrimonium accusare possunt &c.

Oritur autem præsumptio contra accusatorem, si eo tempore, quo denuntiationes ante matrimonium in Ecclesia factæ sint, ipse in loco præfens fuerit, nec contradixerit, & primò post matrimonium contractum accusationem instituat. Quare non erit facile audiendus, nisi juramentum præstiterit, quod primò ex postfacto in veram notitiam impedimenti devenerit, & nulla malitia ad accusandum moveatur. c. ult. ubi Panor. n. 9. x. Qui matrimonium accusare possunt &c.

Sciendum V. Quamvis aliàs propria confessio dicatur optima probatio: si tamen conjugati ultro faterentur impedimentum, v. g. consanguinitatis, impotentiae, criminis, non propterea matrimonium statim separandum foret, nisi ex alijs conjecturis de veritate appareret, ne conjuges cohabitationis pertæsi colludere & impedimentum fingere possint, cap. super eo §. De eo, qui cognovit. Si verò conjuges non petant separationem, sed tantum dispensationem, & ulterius cohabitare velint, creditur simplici eorum assertioni, quia hic nulla causa est, cur de falsitate suspecti sint: nam confessio non est in eorum favorem, sed potius gravamen impetrandæ dispensationis.

Sciendum VI. Causam matrimonialem reputari in jure causam arduam & magni præjudicij, adedque in ea non sufficere qualescunque probationes, sed requiri plenas & integras. Verum hoc intelligendum est, si de matrimonio jam contracto dissolvendo agatur. Sin autem agatur de impediendo matrimonio, quod necdum contractum est, tunc etiam semiplenæ probationes admittuntur, ut dictum unius testis, fama communis, vel alia indicia & conjectura, c. 2. de consanguinitate & affinitate. Ratio est, quia ex tali imperfecta probatione res sit saltem dubia & periculosa: in dubio autem & periculo tutior via est tenenda, & expedit ab initio impedire matrimonium, quam cum periculo peccati admittere, ut fortassis ex postfacto cum scandalo dissolvi debeat.

Sciendum VII. Licet regulariter consanguineus pro consanguineo non sit testis idoneus, si tamen agatur circa matrimonium de impedimento consanguinitatis, potius consanguineus quam extranei pro testibus admittendi sunt, eò quod censentur, optimam habere suæ genealogiæ noti-

notitiam, & non facile incestas nuptias in sua familia toleraturi sint. cap. 3. qui matrimonium accusura &c. c. super. de testibus.

Sciendum VIII. Si aliqui testes aliquid contra matrimonium deponant, vel res ipsa in puncto juris controversa sit, tunc potius pro matrimonio, quam contra pronuntietur esse. arg. c. finalis de sententia & re judicata.

10 *Sciendum IX.* Causas matrimoniales tractandas esse summariter, & quantum fieri potest, brevissime, ut longiores dilationes & frustratoriae exceptiones ex officio Judicis amputentur, ne litigantes ob longiorem moram periculo incontinentiae exponantur. *Clement. 2. de Judicijs & Clement. sapè. de verborum signif.*

11 *Sciendum X.* Quod sententia lata in causa matrimoniali non transeat in rem judicatam, etiamsi ab ea appellatum non fuerit, propterea si quodcumque novae probationes impedimenti emerferint, nova accusatio institui poterit, vel è contra si matrimonium ex falsis probationibus separatum fuerit, & ex postfacto de veritate constet, rursus redintegrari debet c. lat or. & ibi glossa de sententia & re judicata.

12 *Sciendum XI.* Quamvis aliae actiones regulariter extinguantur lapsu 30. vel 40. annorum. *L. sicut & L. omnes. C. de prescriptione 30. annorum.* Accusationem tamen matrimonij post lapsum tanti temporis institui posse: neque enim matrimonium ab initio invalidum tractu temporis convalescit, aut impedimentum tollitur. Hoc tamen concedendum videtur, quòd post mortem conjugum 30. vel etiam 20. annis elapsis non possit disputari de valore matrimonij præteriti, v. g. ut filius vel nepos à successione hæreditaria excludatur; quia cum tali casu jam cessaverit peccatum conjugum, non apparet ratio, cur dispositio juris civilis, quæ post tantum tempus omnem actionem tollit, locum non habeat. Facit etiam textus in *lego querela. ubi Barb. & D. C. ad legem Cornelianam, de falsis.*

13 *Sciendum ultimum,* in alijs quidem causis dubijs consulendum esse partibus, ut transactione vel amicabile compositione liti finem imponant. At verò in matrimonio, quando agitur super impedimento canonico, non esse permissam transactionem, neque juramentum voluntarium, vel compromissum aut alia similia, quæ speciem transactionis continent. *c. ult. de transactionibus.* Quia super illis tantum admittitur transactio, quæ sunt in potestate partium litigantium. Non est autem in earum potestate cum impedimento canonico in matrimonio permanere, vel sine impedimento à matrimonio discedere, ergò. Super expensis autem in lite factis, item si contra filium agatur, de valore matrimonij parentum jam defunctorum, in ordine ad successionem hæreditariam, transactionem procedere, nemo facile dubitarit. Alia ad processum judicalem in causa matrimonij pertinentia ex lib. 2. Decret. defumenda sunt.

Casus matrimonialis perplexus & difficilis.

DUm hoc Manuale Parochorum compono, proponitur mihi casus admodum rarus & intricatus, qui quidem longis abhinc annis, nimirum circa tempus Concilij Constantiensis & Basileensis contigit, potest tamen ejus decisio etiam nostris temporibus inservire, & cum præ cæteris involvat illam practicam quaestionem, *an & qualiter usus matrimonij invalidè contracti sit licitus, quando impedimentum est pland occultum, & un tantum parti cognitum, nolui omittere, quin coronidis loco hic adstruerem.*

Rem gestam oculatus, & in facto proprio testis omni exceptione major describit Joannes Nyder Ord. Præd. Theologus & Professor suo tempore præstantissimus in *fornicatorio lib. 3. c. 3.* placuit ejus verba formalia ponere, quia in plerisque verbis & circumstantijs vis aliqua & consideratio est.

Sequuntur verba formalia:

Me prædicantem, in Diœcesi Basileensi consilij gratia ad me venit femina secundum seculum non infimi status. Cumque fletu tanto inundaret, ut Magdalenam alteram credidisses, nisi quòd ad pedes peccatoris non procidit, & ego quid haberet tristitia ab ea quererem, tandem subsunxit. Pater ego Peccatrix parata penitere omnibus modis mihi possibilibus, & satisfacere, quatuor viros habui, & quem nunc habeo non est meus, cum his omnibus per verba de presenti contraxi, & ex his viventes tres hodie supersunt. Quibus auditis satis obstupui, sciens quòd talibus perplexitatibus summam oportet dare operam, si enodare quis quaestionem vellet. Unde investigata diligenter causa, quam prius nesciveram, didici quòd de omnibus viventibus difficultas aderat, nam de mortuo, si quòd fuit ligamentum, illud cum

Man Parochor. P. Ludov. Engel.

vite termino solutum erat. Primum enim virum ex viventibus percepi antea cum quadam contraxisse, licet clandestinè, & ita in foro conscientiae ab eodem liberam esse. Cum secundo clandestinè etiam contraxerat, & consummatum fuit matrimonium carnali opere, sed ipsa hoc perjurio negante coram Judice Ecclesiastico, divortiatà est ab ipso viro secundo. Cum tertio verò postmodum contraxit in facie Ecclesiae, cum quo jam domicilium habuit, & natos quosdam. Et quid inter hos duos consulerem, ut anima adulteræ salva fieret, anxius valde fui. Erant enim ambo viri animosi ad arma nutriti, rebus ditati, amicis vallati, ad incontinentiam proni, & juxta communem existimationem in conscientijs valde lati. Unde vidi quòd quamvis jure fori femina uxor esset tertii, non tamen jure poli, sed tantum secundi, à quo perjurio mediante ipsa divortiatà extitit. Et quodcumque juberem, videlicet, manere cum tertio, vel redire ad secundum, aut ab utroque se fecernere, in foribus semper aderat, ex una parte aut verisimile homicidium, aut faminae adulterium, aut alterius mortalis criminis periculum. Nam si juberem volui reditum ad secundum sequebantur hæc incontinentia verisimiliter, videlicet quòd zelotypia motus tertius secundum via facti invaderet, & occideret. Secundò quòd femina cum secundo manere nequirit, quia divortii celebratio obsticit facta in judicio Ecclesiae, quamobrem omni jure humano eam tertius à secundo obtinere poterat, imò excommunicare. Tertio vita feminae sic fuisset in periculo utrinque, dum ille tanquam perjuram, vel iste velut adulteram trucidare valeret. Sileo de nota infamiae super facto juramento, quòd perjurium esse nemo nisi ipsa, & fortassis secundus sciebat, quòd propter contractum clandestinum probare contra eam non potuit, nec femina crederetur verbis si sese in hoc infamaret. Si denique ex adverso faminae sinebam manere cum tertio, sequebantur mala animæ in ipsa deteriora, quia quotiens à viro tertio cognoscebatur, totiens adulterium commisit, non suo marito in hoc obediendo, quamquam ipse hoc exigere posset, quem perjuriam putat uxoris latebat, non antem ipsa vice reciproca, quæ impedimentum non ignorabat. Et si suadere volebam, ut cum tertio velut soror ejus casta maneret, hoc quidem ipsa paratissimo subisset animo, sed ipse velut incontinentem jure exigendi debitum nullatenus carere voluisset, prout ex multis conjecturis videre poteram. Porro, si mediam viam faminae consulere volui, videlicet, recessum ab utroque, tam habitatione, quam thoro, pericula multa intuebar obviare, quia si posita esset in monasterio, tunc nullæ prudentes eam ad professionem recipere debent, viro vivente invito, nec ipsa periculo fraudulentiæ se exponere debuit. Si verò extra monasterium latentiam ei consulerem volui, quòd plus mihi placere cepit, ut animam saltem salvare posset, terrebat me, quòd pulchrà facie, & sexu fragilis vix tuta castitate maneret, vel quòd tertius zelotypia motus fugientem lethaliter invaderet. Nescit enim iste famineus sexus fuga se, sicut masculinus, clare, vel tueri. Quid igitur assertivè consulerem ad præsens non habui, nisi quòd penitenti respondi eam consolando, ut Deum sine intermissione pro sua liberatione invocaret eleemosynas pauperibus (quia lucrosa valde fuit) pro se, & pro tertio viro erogaret, & quid sibi consulerem deliberatior factus, & similiter alii prudentes viri, parato animo omnino susceperet. Ad quæ verba consolata aliquantisper abscessit. Interea libros consului, quibus me juvare non potui. Redii ad faminae, & ultimum modum fugæ supratantum ipsi suasi. Ad quem cum se prepararet, de quo tamen mihi periculum non modicum corporis, & sibi majus, & fortè alijs imminere poterat, affuit divina gratia quæ quaestioni difficillimæ solutionem dedit facillimam. Sibi enim incidit, ut quotiescumque vir tertius debitum exigeret, ipsa se per hujusmodi obedientiam lethalem infirmitatem contrahere fingeret, & ne id mendacium esset, ad animæ infirmitatem hoc mente tenuis apud se retorqueret, ex qua infirmitate animæ, scilicet per mortale crimen, certum est secundum nostram fidem, quemque necdum animæ, sed etiam corporis perpetuum mortem subire. Ita fecit ut cogitavit, & divina affidente gratia, vir prius incontinentis faminae compati cepit, quam in alijs veracem sæpè esse didicerat, & usque modo jam annis plurimis eam tantummodò ut sororem habet intactam, nec de adulterio viri quicquam aliunde malè audivi.

SAndè hunc casum maximis difficultatibus intricatum esse nemo non videt.

Assimilemque jugi loris, quæ Gordius olim

Nexuit, atque Jovis Phrygiæ suspendit ad aras.

Ut autem doctrina aliqua Canonica exinde capiatur, resolvam breviter in aliquot quaestiuiculas.

I. Quo Jure polygamia prohibita, & an aliquo modo possit licere?

II. Matrimonium clandestinum quando fuerit validum, & quando, ac quare invalidatum?

III. An post Concilium Trid. ex matrimonio clandestino nascatur naturalis & conscientia obligatio?

IV. Utrum sententia Judicis in causa matrimoniali transeat in rem judicatam?

V. Si quis probare nequeat, aut manifestare sine gravi damno vel periculo nullitatem matrimonij non audeat, si tamen certus, an liceat exigere vel reddere debitum conjugale saltem ad evitandum damnum vitæ, vel famæ (quæ vitæ comparatur arg. l. justa. ff. de manum. vind.) vel aliud scandalum aut periculum?

VI. Quæ sit cautela ad evitandum usum matrimonij cogito impedimento.

VII. An medium, quod ista fœmina apprehendit, fuerit justum & licitum?

VIII. An liberi ex ultimo matrimonio invalido nati fuerint legitimi?

Ad I. Quæst.

Quo Jure polygamia prohibita, & an aliquo modo possit licere?

Sume responsum ex hoc Libello c. 5. §. 5. Sect. 9. An verò Deus possit dispensare, ut una uxor pluribus viris matrimonio jungatur? negat Bellarm. lib. 1. de matrim. c. 11. Afferit Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 80. numer. 15. Si propè sacrilegium est, Summi Principis potestatem in dubium vocare, L. 3. C. de crim. sacril. quomodo præsumat scintilla infimissimi intellectus humani abyssum æternæ Sapientia intra certos limites coarctare? qua fronte dicat creatura Omnipotentissimo Creatori, fignementum fœdori virtutis & potestatis infinitæ, non potes amplius?

Ad II. Quæst.

Matrimonium Clandestinum quando & quare invalidatum?

Respondetur, ante Concilium Trid. sessione 24. quæ fuit habita sub Pio IV. Pontif. die XI. Novemb. Anno M. D. LXIII. ad substantiam Matrimonij solum consensum mutuum de præsentibus absque alia solemnitate suffecisse, ut ex c. is qui fidem. De sponsal. c. 1. & 2. De Cland. desp. & pluribus alijs locis satis apparet. Sed quia experientia docuit, ut ex præsentibus casu abundè patet plurimas polygamias fuisse commissas & matrimonia clandestina contra jus fœque abnegata, idè per Concilium Trid. d. s. 24. de reform. matr. c. 1. optimè constitutum est, ut nullum valeret matrimonium, cui proprius Parochus & 2. vel 3. testes non interessent. Dices, quomodo matrimonia clandestina ante Concilium Trident. valida fuisse pronuntiantur, cum tamen repugnet expressus text. in c. 1. 30. q. 5. ubi pridem Evaristus Papa statuisse legitur in hæc verba: *Aliter legitimum non sit conjugium, nisi ab his, qui super feminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur, uxor petatur, & à parentibus & propinquitatibus sponsetur, & suo tempore sacerdotally benedicatur &c. Aliter verò præsumpta non conjugia, sed adulteria, vel concubernia, vel supra, aut fornicationes esse non dubitate, nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima.* Fateor, difficilis hic textus est, nec benè subsistere videtur communis interpretatio quod non legitimum, idem sit quod illicitum, proinde matrimonium clandestinum ex hoc textu sit quidem illicitum, sed non invalidum, idque colligatur ex verbis finalibus, nisi voluntas propria suffragaverit &c. quomodo enim validum matrimonium est potius adulterium, fornicatio &c. quam legitimum conjugium? Deinde per ipsa verba finalia non parum intricatur textus, nam vel adest consensus mutuus, vel non? si adest, tunc etiam sine enumeratione solennitatis matrimonium erit legitimum: si abest, erit nullum, non ex defectu solennitatis, sed consensus. R. posse sustineri communem interpretationem declarando textum in hunc sensum, ut illa verba: *Aliter verò præsumpta non conjugia, sed adulteria vel concubernia &c. esse non dubitate.* non tam contingant decisionem invaliditatis matrimonij, quam vehementem præsumptionem juris contra talia matrimonia. Hæc ta-

men præsumptio non est juris & de jure sed juris tantum, cum admittat probationem in contrarium c. 1. & 2. De Cland. desp. & licet Pontifex dicat: *non dubitate*, attamen ista verba rectè etiam de gravi præsumptione juris accipiuntur; quamdiam enim stat præsumptio juris, non est dubitandum, usque dum contrarium probetur, veluti non dubitatur, decimas ad Parochum spectare, diœcesanum esse de jurisdictione Ordinarij, quamdiu contrarium non ostenditur. Præterea cum Pontifex d. l. matrimonia clandestina etiam concubernia vocet, forsan poterit adungi alia explicatio desumpta ex c. is qui & c. Christiano d. 34. ubi Christiano loco uxoris concubina permittitur, ad quem textum ibidem subnotatur, quod concubina etiam olim dicebatur uxor ducta quidem validè, sed illicitè & clandestinè.

In casu igitur nostro, qui contigit circa Annum Domini 1430. idè longè ante Concil. Trid. indubitè tenendum est, matrimonium clandestinum, quod mulier cum illo viro à quo ob perjurium suum libera pronuntiata est, contraxit, tunc temporis valuisse, & fuisse verum matrimonium.

Ad III. Quæst.

An post Trid. ex Matrimonio clandestino saltem in conscientia nascatur obligatio?

Resp. cum Concilium Trid. contrahentes sine parochis & testibus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddat, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernat, per hanc inhabilitationem & irrationem censetur ita efficaciter resillere contractui, ut omnem ejus & civilem & naturalem obligationem tollat per ea, quæ superius hæc eadem p. 3. cap. 1. dicta sunt. minimè etiam fuisset obtentus finis Concilij, nimirum evitatio periculorum ex matrimonijs clandestinis oriendorum, & obligatio, vel valor talium matrimoniorum in conscientia foro relictus fuisset.

Utrum autem matrimonium clandestinum hodie saltem valeat in vim sponsalium de futuro, ut contrahens ab initio clandestinè, postea publicas solennitates adhibere teneatur? videantur plurimi DD. in utramque partem relati à Barb. in collect. ad d. c. 1. Trid. s. 24. n. 130. & diximus aliquid in p. 3. c. 5. §. 2. n. 10. si fœmina, quæ aliàs juris ignorantia facilius excusatur, L. cum de indubio ff. de probat. per contractum clandestinum decepta & desolata vel aliàs jam propè extra spem alterius conjugij ob clandestinum hoc matrimonium & cohabitationem posita fuisset, affirmativa sententia magis æquitati consentanea foret. arg. c. 1. de adult. & sup. & per ea quæ dicta sunt d. c. 5. §. 1. sect. 2. n. 13.

Ad IV. Quæst.

An sententia in causa matrimoniali transeat in rem judicatam?

Non transire, etiam in hoc libello p. 3. c. 5. §. 7. nu. 11. dictum est, cum enim transitus sententiæ in rem judicatam fundetur potissimum in tacito consensu, & approbatione ejus, qui contra sententiam potuisset appellare, & non appellavit, idè propè tantum obtinet, quando agitur circa res patrimonij nostri, quas pro nostro arbitrio possumus alienare, aut vindicare, actionem pro iis competentem remittere &c. non verò in alijs rebus, quæ in nostra dispositione non sunt, ut matrimonium, ob impedimentum dirimens invalidum, reddere validum, aut viceversa matrimonium rescindere. Licet ergò secundus maritus in proposito casu, à quo mulier mediante perjurio divortata est, minimè appellavit, non tamen exinde mulier liberationem consecuta est.

Ad V. Quæst.

An cognita nullitate matrimonij non manifestabili, licitum sit exigere vel reddere debitum?

Quo ad petitionem seu exactionem debiti difficultas non est, utique enim ex matrimonio nullo nullum jus petendi est, & activè accedere ad personam, quæ conjunx non

non est, hanc dubie contra sextum Decalogi præceptum est, aliisque leges divinas, quæ omnem immunditiam, & carnalem commixtionem præter matrimonialem damaant, *x. ad Cor. 6. ad Gal. 5.*

Ardua autem quæstio est, an saltem ad vitanda magna damna & pericula liceat reddere debitum: Pro negativa est textus valde clarus in *cap. litteras de resist. spoliat. & in cap. inquisitioni 44. de sentent. excomm.* ubi S. Pontifex referbit, quod mulier conscia nullitatis & impedimenti matrimonii ne quidem ad præceptum iudicis sub censuris emittatum possit absque peccato mortali reddere debitum. Tales enim censuræ non stringunt animam & conscientiam fæminæ, quia sunt lætæ ex falsa præsumptione, (quæ locum non habet in conscientia, juxta dicta superius p. 5. c. 1. nu. 8.) cum Juxta fori externi, qui de occultis non judicat, præsumperit fæminam frivole allegare impedimentum, cujus nullam probationem adferre potest. Ratio autem principalis est, quod concessa in similibus circumstantiis debiti redditionis, sequeretur, fornicationem, aut adulterium, quæ sunt intrinsecè mala, ad vitandum vitæ aut famæ periculum licere, cum tamen propter nullum metum liceat peccatum mortale admittere, *cap. sacris, de his que vi intusor. &c.* Et hanc sententiam cum Sanchez *lib. 2. de Matrim. disp. 39. n. 5.* Guttier. *de Matrim. c. 49. nu. 1.* Barb. *in d. c. inquisitioni n. 3.* Gobat. *in Alphab. Matr. p. 2. nu. 637.* docent plerique Theologiæ & Canonium Interpretes, esto, quævis scandala & damna ex denegatione debiti sequantur, ut dicit Barb. *d. n. 3.*

Verum teste Gobat. *d. l.* multi graves viri olim pronuntiarunt à culpa immunes, qui reddidit debitum ob metum mortis, alii, si ob mandatum Magistratus Ecclesiastici ignorantis illud impedimentum, tunc enim Judicem Ecclesiasticum dispensare ex commissis sibi potestate, si sit juris Ecclesiastici, in specie autem pro hac sententia affirmativa citatur à Sanchez. *d. l. n. 2.* Magister *4. dist. 38. in fine.* Hugo de S. Victore *de Sacram. par. 1. cap. 6. & alii.* Rationes quoque sunt 1. quod iuste potest alter petere, hoc possit imò aliquando tenetur reddere, (licet iustitia petitionis sit tantum putativa ex errore, & persuasione hominum causata, ut in exemplis seqq.) sed conjux alter in bona fide existens iuste potest petere, ut omnes fatentur, ergo &c. 2. Ex multorum sententia iudex potest occidere reum, & ipsi pati mortem, qui publicè habetur pro nocente, licet iudex privatim sciat ejus innocentiam, Covar. *var. resol. lib. 1. c. 1. n. 4.* cum tamen occidere innocentem intrinsecè malum sit. 3. Similiter quamvis dare SS. Eucharistiam indigno sacrilegium sit, potest tamen Parochus, si privatim solum sciat indignum, unde à fortiori, sed Parochus habet jus dandi SS. Eucharistiam iniquè petenti ad conservandam famam ejus, cur non etiam mulier ad conservandam vitam & famam propriam potest dare debitum marito non iniquè petenti? 4. Ratio prioris sententiæ videtur nisi falso supposito, quod reddidit debiti quæ sit in figura Matrimonii publica opinione validi ac ei qui iuste petat, sit formale adulterium, fornicatio aut peccatum, tunc enim dici non potest, mulierem reddendo cooperari peccato, quando potendo peccatum non committitur. 5. Confessarius qui novit aliquos habere impedimentum dirimens, quod ipsi invincibiliter ignorant, non tantum non tenetur eos impedimenti admonere, si exinde sequeretur scandalum vel perplexitas, sed insuper si alteruter ex putativis conjugibus ex alia causa reuatur reddere debitum, potest & debet positivè imperare, ut debitum reddatur, sicut docet Sanchez. *d. l. 2. disp. 38. num. 8.* si ergo licet in uno casu scienter permittere, imò & imperare copulam inter non legitimos conjuges, quare non in altero. Potest enim etiam Conjux conscia nullitatis matrimonii in bona fide esse in ordine ad reddendum debitum, credens ex rationibus, & autoritatibus hæctenus adductis id sibi licere, præsertim concurrentibus gravissimis periculis, ni id fiat. 6. In sententia contraria sequuntur gravia pericula, & damna corporis, & animæ, offensiones, iræ, homicidia, scandala, infamia, perplexitates, desperationes, incontinentiæ (supponuntur enim tales circumstantiæ concurrere) in ista autem nihil: & quamvis omnia illa essent parvipendenda, si offensa Dei esset manifesta, aliud tamen videtur, si sit dubia, & incerta. Et si ex duobus malis minus eligi potest, cur non præ malo certo malum incertum? 7. Contra textus allegatos opponi potest alius in *cap. Pastoralis, §. quia verò, de offic. deleg.* Ubi Ordinarius jubetur sententiam delegati Papalis executioni mandare, licet sciat esse injustam. Deinde textus c. loquuntur de illo Casu, quando impedimentum fuit deductum ad iudicem fori externi, & mulier non timuit propalare, habuitque non tantum scientiam impedimenti, sed etiam conscientiam de non reddendo debito: neque præter excommunicationem alterius magni

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

damni ibidem mentio fit. Nos verò supponimus, mulierem sine gravi periculo (ut in casu enarrato) impedimentum dicere, vel debitum negare non posse. Decisio autem S. Pontif. in uno casu tollit quidem in eo omnem probabilitatem contrarii, sed non in diverso.

Quid igitur dicendum? Sanè nisi tam gravi censura hanc posteriorem sententiam perstringeret Sanchez. *d. disp. 39. nu. 5.* ut asserat esse falsissimum, & in fide periculosam (quod an verum sit, aliorum iudicio relinquo) vix non eam saltem probabilem adstruerem. Verum ne traducar, velle patrocinari sententiæ, quæ periculosa in fide à quibusdam habetur, non pro hæc & nunc à priori discedere. Responsiones ad argumenta posterioris sententiæ ad 3. priora videantur apud Sanchez. *d. disp. 29. num. 12.* Ad reliqua responderi potest, sufficere, quod habeatur decisio S. Pontificis in *litteras, & c. inquisitioni*, reddere debitum cum conscientia impedimenti esse peccatum mortale, quale peccatum ob nullum metum committere permittitur, *dist. cap. sacris de his que vi, &c.* contra quam decisionem argumentari non licet, *cap. in istis distin. 4. cap. ego solus, distin. 9. Ad pastoralis, §. quia verò de offic. deleg.* quidquid alii exinde probare velint, tam in criminalibus quam civilibus causis licere iudici condemnare reum contra propriam suam conscientiam, ego tamen potius iis accedo, qui existimant, id præsertim in causis criminalibus minime licere, sed referendam esse causam ad superiorem, coram quo Juxta testimonium suæ conscientiæ deponit, *argum. cap. dilecti de testibus*, sive deinde superior credat, sive non, iudex inferior erit excusatus: quod si esset præsentis instituti, possem pluribus rationibus propugnare, ideòque puto textum in *d. §. quia verò*, locum habere dumtaxat in sententia iniqua, quæ transit in rem judicatam, & ejus iniquitas ex tacita approbatione (de qua etiam paulo ante in *q. 4. dictum*) purgata est, secus verò in causa criminali, matrimoniali, vel ipso jure nulla, quæ in rem judicatam non transit.

Cæterum quid censendum, si non habeatur vera impedimenti conscientia, sed tantum credulitas vel dubium, superius in *d. p. 3. c. 5.* traditum est, & declaratur, in *d. c. inquisitioni de sent. excomm.* & apud Sanchez. *d. l. 2. disp. 4. 1.*

Ad Quæst. VI.

Quæ sint media ad evitandam redditionem debiti?

Varia enumerat Sanchez. *d. disp. 39. d. num. 13. 1.* Fugere in locum, ubi scandalum cesset. 2. Matrimonio nondum consummato ingredi Religionem. 3. Petere divortium ex causa sævitiæ vel adulterii, si hæc causæ subsint. 4. Cohabitare sicut frater & soror, juxta *c. Laudabilior, de frigid. & malefic.* subjungit tamen, hoc modo moraliter nunquam uti licere propter periculum incontinentiæ. 5. Si impedimentum sit juris Ecclesiastici tantum, ut clam impetretur dispensatio, quam etiam Episcopus concedere potest, ut probat, in *disp. 40. eod. lib. 2.*

Quid autem dixisset vir doctissimus in proposita facti specie, ubi juxta recensitas circumstantias nullum ex his mediis profuisset? Non fuga, quia corpori & animæ periculosa; non Religio, quia matrimonium cum altero vero marito erat consummatum, & cum tertio communiter habebatur pro legitime consummato. Non divortium, quia causa non fuit. Non cohabitatio, quæ propter periculum incontinentiæ uti non licet. Non denique dispensatio, quia impedimentum ligaminis est indispensabile, ut suo loco dictum.

Ad Quæst. VII.

An medium quod fæmina apprehendit in nostro casu fuerit justum, & licitum.

M Allem sane aliorum desuper iudicium audire, quam meum tenue in re difficili, & perplexa educere, & vix nramiter aliquid nunc certi statui potest, quia difficultas in fæsto est, juxta circumstantias loci, temporis, & personarum, quæ modo præter narrationem supra positam incongruæ sunt.

Considero quidem, sicut ob damnum famæ, & multo magis vitæ, potest restitutio rei ad alium spectantis differri, Layman. *in Theol. moral. lib. 3. tract. 2. c. 12.* ita etiam restitutio corporis ex matrimonio alteri debiti. Prout id in specie & ad nostrum propositum, quando prius cum una clandestinè,

Et postea cum alia publice contractum est, asserit Sylv. *verb. debitum conjugale in sine*. Item quod restrictiones mentales ex justa causa à mendacio excusentur, *Nav. in c. humana aures, 22. q. 5. Sanch. l. 2. Mor. c. 6. Zoes. ad tit. de Decret. de jurejur. n. 85.* & denique quod mulier pius operibus addita, atque consilio Joan. Nyder à doctrina & pietate commendatissimi, & celeberrimi usa non facile debeat præsumi in errore inducitur.

Interim tamen cum femina juxta descriptionem Joan. Nyderi fuerit elegantis formæ, prona ad complexus virorum, quod toties iteratæ nuptiæ indicant, & ex parte altera viri superstitis moribus militares, de incontinentiæ suspecti, conscientiæ latæ, &c. Planè hoc medium in se spectatum (abstrahendo à speciali dictamine Spiritus Sancti, quod Legi non subjacet) ab initio quidem in defectu alterius medi tolerari, vix autem in plures annos prædicari potuisset, juxta doctrinam Sanch. *d. disp. 39. num. 16.* quis enim non videat, omnes tres personas, scilicet mulierem, maritum verum, & putativum fuisse incontinentiæ periculo affectu & effectu perpetranda expositas? Maritum *verum* jure suo sine sua culpa privatum, & insuper potuisse instigante diabolo facile cum alia illegitimum matrimonium attentare? Maritum *putativum* impeditum legitimas nuptias contrahere?

Sed quod remedium? Jam præmonui, hanc *falli* potius, quam *Juris* quæstionem esse. Prima *juris* ratio postulavit, mulierem separari à viro *putativo*, & restitui *vero*; vel si hic ob causam adulterij nollet recipere, saltem à *putativo marito* manere separatam, ne in adulterio, aut periculo ejus, perseveret. Quomodo autem hoc executioni mandari potuit, absque eo quod mulier proclamaretur, & graviter puniretur tanquam adultera, polygama & perjura?

Putassem maritum *putativum*, data bona opportunitate per Confessarium vel alios viros idoneos fuisse de nullitate matrimonii certiorandum, & disponendum (qui utique jam sine usu matrimonii constitutus facile consensisset) ut patere negotium ad Consistorium Ecclesiasticum tanquam causam occultam deferri à quo potuisset pronuciari divortii sententia: *ex causa impedimenti oculi sibi cogniti, & coram se legitime probati*, & mulieri ob præcedens perjurium aliqua etiam occulta pœnitentia dictari, sicut apud nos sæpè deferuntur casus occulti matrimoniales ad Consistorium, qui ulterius non propalantur. quemadmodum enim SS. Canones, non tantum ad forum *externum*, sed principaliter ad *internum* ordinantur, *c. novit. de jud. c. us. animarum de Constitut. in 6.* ita etiam Judex Ecclesiasticus, in quantum fieri potest, *fori interni* considerationem habere debet.

Dices, quomodo potuisset mulier probare impedimentum *legaminis*, cum ipsi tanquam perjura, & propriam turpitudinem alleganti non fuisset habenda fides, *Arg. c. sicut nobis 9. x. de restitut.* & in ordine ad separationem matrimonii jam contracti plena probatio requiratur? Resp. Mibi videri, sufficientem esse potuisse probationem ex his concurrentibus. I. Ex depositione veri mariti, jam prius habita. II. Ex depositione nova ipsius feminae. III. Ex depositione Confessarii cum licentia revelandi sigilli sibi à pœnitente facta. IV. Ex circumstantiis & dispositione feminae, lacrymantis, pœnitentis, fugam periculosa meditantis, à conjugii ulu cum maximo incommodo abstinentis &c. Quod autem ex vehementibus præsumptionibus (præsertim in causis non capitalibus & ubi non agitur de ablatione vitæ aut membri) sumi possit plena probatio, & exemplo Salomonis 3. Reg. cap. 3. aliquando definitiva sententia ferri, notatur communiter per text. & DD. *in c. adverte de presump.* Circa text. quidem *in d. c. sicut nobis*, insignis est disputatio, cui depositioni credendum sit, si testis juratus postea dicat, se perjurium commisisse? Probabilis est, judicem id ex circumstantiis & præsumptionibus concurrentibus arbitrari debere. Fachin. *lib. 9. contro. cap. 74.* Rota apud Farin. *in decis. crim. & testium decis. 19. & 163.*

Obtenta hac divortii sententia fuisset jam disponendus verus maritus, (cui jam antea erat cognitum mulieris delictum) ut simulato quasi novo affectu & dissimulato priori clandestino contractu eam publicè in suam uxorem reciperet quod si noluisset, mulier debuisset, in Monasterio, vel alio loco sibi non periculoso degere. An autem mulier adultera ante latam divortii sententiam invito marito possit ad professionem recipi? videatur Sanch. *de matrim. lib. 10. disp. 10. n. 7.* quod communiter apud eum negatur, quia innocens non tenetur invito dimittere nocentem, & si semel dimiserit, potest denuò recipere.

Si casus de presenti foret, & circumstantiæ loci, temporis, & personarum cognitæ, forsan melius consilium incidere, interim hoc discursus gratia libuit inferere.

Ad VIII. & ult. Quæst.

An Separato Matrimonio putativo Filii inde nati sint legitimi?

EX supposita narratione, quod matrimonium publicè in facie Ecclesiæ præmissis denunciationibus, & sine contradictione contractum, & unus saltem ex conjugibus in bona fide fuerit, proles legitime nata censetur, text. planè ad propositum, *in c. ex tenore pen. Qui filii sint legitimi c. 2. eod. tit. cap. 3. §. si quis vero de clandestin. despons. Henr. Zoes. ad dict. tit. Qui filii sint legitimi n. 7.*

P A R S I V.

De Juribus & Reditibus Parochorum.

C A P U T I.

De Decimis.

§. I.

Quid sint, cui, & quomodo solvantur Decimæ.

S U M M A R I A.

- 1 Quid & quotuplex sint Decimæ.
- 2 Decimæ quotenus sint juris divini.
- 3 Pro Decimis Parochus habet intentionem fundatam in Jure.
- 4 Declaratio c. 2. de restit. spol.
- 5 Monasterium circa Parochiam sibi incorporatam censetur loco Parochi.
- 6 Cui Parochus solvenda sunt Decimæ.
- 7 Quid sint & cui debeantur Decimæ novialium.
- 8 Laici habentes Jus decimandi ex privilegio vel infeudatione non possunt exigere Decimas novialium.
- 9 Idem de Religiosis qui jus decimandi à Laicis acceperunt.
- 10 Resolvitur quæstio, an Ecclesiastici habentes Jus decimandi ex privilegio possint petere Decimas novialium.
- 11 Fallit in certis casibus.
- 12 Parochus potest prohibere, ne Decimæ separantur se vel suo nuncio absente.
- 13 An in solutione Decimarum admittenda sit impensarum deductio.
- 14 De jure decimæ sumptibus Parochianorum deferenda sunt in horrea Parochorum, valet tamen consuetudo contraria.
- 15 Moram committenti nocet interitus Decimarum.
- 16 Decimæ non solvuntur ansequantur possessorem prædii.
- 17 Qualis actio competit contra tertium possessorem.
- 18 Respondetur ad contraria.
- 19 Exceptio circa Decimas competentes ex Laicis, vel ex privilegio.

Decimæ sunt pars decima fructuum tam terræ, quam aliarum rerum Deo in recognitionem universalis dominii debita, & ipsius ministris persolvenda. Sunt autem decimæ alia prædialia, quæ ex fructibus prædiorum debentur, ut de vino, frumento, oleo, pomis, feno, & similibus. Alia personalia, quæ debentur ex lucro humana potissimum industria quæsito, ut ex mercatura, militia, stipendiis, aliisque negotiationibus, & obventionibus. Tertium quoque genus decimarum nonnulli constituunt, quas *mixtas appelliant*, eo quod partim quantum ad productionem naturæ de prædialibus, partim quantum ad accedentem industriam de personalibus participant, & hujusmodi censent esse decimas animalium, seu ex fructu pecorum perceptas ut lanæ, lactis, ovorum, &c. Sed magis placet, istas decimas animalium ad prædialia referre, tum quod in jure tantum duo genera decimarum, scilicet prædialium & personalium exprimentur *c. ad Apostolica, 20. b. 1.* cum quod plus in illis natura, quam industria operetur: etiam in fru-

in frumento & vino magna hominum industria accedere debet, & tamen nemo dixerit, decimas frumenti & vini personales esse.

2. Originem habere decimas ex Jure divino nullus ambigit, (si de prædialibus loquamur, secus de personalibus, ut infra in quest. 7. dicitur) ut videre est *Levit. 24. Num. 18. & Deut. 14.* An verò etiamnum hodie in novo testamento Juris divini sint, sicut asseritur in *c. Parochianor. 14. & c. tua nobis. 37. h. t.* inter antiquiores præferim DD. gravis fuit concertatio, à qua illa quæstio principaliter dependet, an decimæ per consuetudinem, privilegium, vel præscriptionem Parocho auferri possint. Sed omniis quæ fuscè pro & contra passim adducuntur, hodie magis receptum est, decimas eatenus esse Juris divini, in quantum deserviunt pro necessitate sustentatione ministrorum Ecclesiæ, quia teste Scriptura, *dignus est operarius cibo suo*, Matth. 10. & Apostolus 1. Cor. 9. dicit: *Dominus ordinavit, ut qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivant, & qui Altari deserviunt de Altari vivant.* Unde hoc respectu nec privilegio, nec consuetudine tolli posse, infra dicitur. Cæterum autem quòd præcisè decima & non major vel minor pars dari debeat, censent unam esse de legibus cæremonialibus & judicialibus, quæ per legislatorem hominem in novo Testamento acceptatæ obligant tantum ex jure humano, *arg. c. un de Purif. post part. vid. Azor. Instit. mor. p. 1. lib. 7. c. 23. Hen. Canis. de Decim. cap. 3.* idque non parum confirmatur ex eo, quòd summi Pontifices pridem concesserint, & adhuc concedere soleant Religiosis aliisque Privilegia exemptionis & immunitates à solvendis decimis, *c. ex parte. cum seqq. h. t.* quòd fieri non posset si decimæ simpliciter Juris divini forent.

3. Decimæ Parocho propter spirituale ministerium persolvendæ sunt, & ita quidem ad eum spectare censentur, ut si cum Monasterio, Clerico vel Laico seu quocunque qui Parochus non est, super decimis litiget, non cogatur Jus suum probare, quia fundatam intentionem habet in Jure, ex quo præsumitur, quòd decimæ ad ipsum pertineant, nisi Adversarii contrarium ostendant. *c. cum contingat. Ec. cum in tua. h. t.* imò quamvis aliàs spoliatus ante omnia restituendus, spoliatus tamen à Parocho super decimis non restituitur, nisi plenè de jure suo docuerit, *c. 2. de restit. spol. in 6.*

4. Verùm hunc text. *c. 2. de restit. spol. in 9.* putare procedere in circumstantiis casus *ibidem* propositi, si nimirum spoliatus *aliquandiu*, id est, modico tempore fuerit in possessione, & ita non tantum contra illius jus decimandi, sed etiam contra possessionem præsumatur. Aliàs enim daretur anxia Parochiis aliorum jura liberè invadendi, litem movendi, pacem turbandi, scandala violentiarum excitandi &c. quòd utique juri & æquitati consentaneum non est, cum regulate sit, quòd etiam vero domino non liceat violenter possessionem rei suæ apud alium existentem invadere sub pena amissionis domini. *L. si quis in tantam. 7. C. unde vi §. sed ne §. de vi bon. rap. & prædo etiam spoliatus restitui debeat. c. in litteris. 5. de restit. spol. l. 1. §. qui à me. ff. de vi & vi arm. à qua regula æquitate plena & paci Reip. consulente non ita facilè recedendum, quin potius jura juribus concordanda, c. cum expedit. de elect. in 6.* Sunt quidam, qui ex hoc textu statuunt generalem exceptionem à regula, quòd spoliatus ante omnia restituendus sit, quoties jus resistit spoliato & assistit spoliatori. *Hen. Can. d. L. c. 16.* Sed cum exceptio potissimum tantum in hoc textu ambiguo fundetur, qui ad concordiam jurium & pro bono pacis publicæ aliter explicari potest, non video quare necesse sit hanc exceptionem generalem ex particulari textu statuere, cum alii textus non obscurè pugnent in contrarium, videl. *c. 3. de caus. poss. & propr. ubi circa jus eligendi præsumptio fuit contra extraneos, pro capitulo, ut propterea Barb. ad d. c. 2. de rest. spol. in 6. n. 8.* rectè differentiam ex modica possessione (de qua in *d. c. 2.*) assignaverit. Item in *c. licet. 28. de prob. in 6.* ubi detinens duas Parochias spoliatus ab Episcopo restituitur, cum tamen contra spoliatum & pro spoliante faciat jus. *c. de multa. X. & Extrav. execrabilis, de prob. urget, quòd alibi tradit Barb. de Offic. Episc. p. 3. alleg. 127. num. 41. Rica. tom. 4. resol. 303. in fin. addit. ad Greg. XV. decis. 312.* quòd Episcopo circa jura Episcopalia in quibus habet juris assistentiam contra quemcunque, non detur manutentio, quando adversarius est in possessione temporis *confiderabilis*; ergò nec in simili Parocho contra possessorem decimarum.

5. Quòd si Parochia sit Monasterio incorporata, tunc quantum ad Decimas Monasterium censetur loco Parochi, & tam contra Parochianos, quam etiam contra Episcopum & Vicarium curam exercentem fundatam intentionem habeat *de rest. Rot. apud Tambur. de Jur. Abb. 3. Decis. 102.*

Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

Queritur autem I. Cui Parocho solvendæ sint Decimæ si 6 quis in una parochia Sacramenta percipiat, in altera sua prædia sita habeat?

Hæc quæstio deciditur in *c. ad Apostolica. 20. h. t.* ubi Pont. respondet, Decimas personales solvendas esse Parocho Sacramenta ministranti, quantum ad prædiales verò attendendam esse locorum consuetudinem. Quid autem, si nulla constans consuetudo probari valeat, & propterea ad terminos Juris communis recurratur? R. de Jure esse probabilius, quòd Decimæ prædiales illi Parocho, intra cujus parochiam prædia sita sunt, persolvi debeant, ne parochiæ limites confundantur, & plurimæ lites subnascantur. *c. cum sint homines. 18. eod. tit.* Idem dicendum de decimis animalium, quas superius prædialibus annumeravimus, ut illi Ecclesiæ solvantur in cujus territorio aluntur. Si in duobus pascantur locis, pro diversitate temporis, decimæ inter illas parochias dividuntur pro rata temporis, nisi consuetudo aliud habeat. *Rebus. tract. de decim. q. 8. n. 11.*

Queritur II. Cui debeantur Decimæ Novalium? Supponendum in primis Novale aliquando sumi *proprie* aliquando *improprie*: *proprie* dicitur locus prius omnino sterilis ad culturam redactus v. g. si ex sylva extirpata, vel palude siccata agri fiant, aut si fundus, qui ab hominum memoria fuit incultus denuò ad culturam redigatur, *c. quid per novale. de verb. sign. Improprie* autem, si in locum ante cultum novi fructus inserantur v. g. si ex vinea aut prato fiat ager vel è contra: vel certè prout in Jure Civili Novale dicitur terra præcisè quæ anno inculta jacuit. *L. Sylva. 30. §. novalis. ff. de V. S. d. c. quid per novale. his præmissis* R. si Novalia intra fines alicujus parochiæ exurgant, Decimæ eorum debentur illi parochiæ; si verò in loco nullius parochiæ fiant. v. g. si sylva, quæ inter duas Parochias jacens pro utriusque termino fuit assignata, ad culturam redigatur, Decimæ horum Novalium debentur Episcopo, quia ipse est Parochus loci qui proprium Parochium non habet, *c. quoniam. 3. & ibi Panorm. n. 2. h. t.* Sed

Queritur III. An etiam Parocho debeantur Decimæ Novalium, si alius intra fines suæ parochiæ Jus decimandi habeat ex privilegio vel infundatione? In hac quæstione duo quasi extra controversiam sunt. I. quòd privilegium vel infundatio aut emphyteusis de Decimis concessa Laicis non extendatur ad Novalia *proprie* dicta (benè autem ad *impropria*) quia talis concessio tum propter personam Laici non implentis spirituale ministerium, ob quòd dantur Decimæ, tum propter præjudicium Parochialium Ecclesiarum, odiosum & restringendum est, *c. tua. 25. in fin. de decim. §. II.* quòd Religiosi, qui Decimas acquirunt cum consensu Episcopi de manibus Laicorum justè detinentium, *jux. c. cum Apostolica. 7. de his que fiunt à Prel.* non possunt ex translatione hujus Juris in se, Decimas Novalium petere, sicut nec ipsi Laici potuissent, secundum vulgatas regulas, quòd nemo plus Juris in alium transferre possit, quam ipse habeat, & surrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum surrogatur. *c. 2. in fine. h. t. in 6.*

At magna est dissensio, utrum si personis Ecclesiasticis, privilegium decimandi à S. Pontif. concessum sit, per tale Privilegium etiam Decimæ Novalium comprehendantur? Affirmativam cum gloss. & Abbate, in *c. ex parte. 27. h. t. per tex. ibidem.* plerique veteres Canonistæ tenuerunt, ut refert Barb. in *cod. cap. ex parte. 27. h. t.* ita enim sonat tex. in *d. c. ex parte. cum tibi quòd majus est, sit concessum, ut videlicet Decimas de laboribus terra Parochiarum tuarum cum integritate percipias, de Novalibus eas exigere satis poteris: quia ubi majus conceditur, minus concessum videtur.* Econtra Recentiores existimant Privilegium decimandi etiam Ecclesiasticis concessum non comprehendere Decimas Novalium, fundantur partim in communibus Juris regulis, quòd Privilegia concernentia præjudicium tertii restringenda. *c. olim. de V. S.* item quòd Privilegia non extendantur ad futura tempore concessionis non extantia. *c. fin. de rescript.* partim verò in *cap. 2. de decim. in 6.* ubi satis clarè insinuat, quòd Jus percipiendi Decimas Novalium debeat per speciale Privilegium concedi, & non contineatur in Jure percipiendi veteres Decimas. Textum autem in *d. c. ex parte* accipiunt de casu, de quo loquitur, videlicet quòd Prælatus possit petere Decimas Novalium de Parochis suo Monasterio incorporatis, in quibus loco Parochi est. *Covar. var. ref. lib. 2. c. 17. n. 13. Antier. Canon. qq. lib. 2. c. 21. n. 120. Barb. in d. c. ex parte n. 6.*

Puto in hac difficultate in primis inspicienda esse verba & mentem Privilegii; nam si habeat verba ampla & favorabilia, ex quibus colligi possit, mentem privilegiantis se extendere etiam ad Novalia v. g. *concedimus, ut omnes &*

quoscunque Decimas, vel omnem Decimationem, talis territorii percipere possit, &c. dicendum erit, tale Privilegium etiam Novalia comprehendere, sicut id ipsum secundæ sententiæ auctores admittunt. *Guier. d. l. n. 25.* & fundamentum est in *d. c. ex parte* ibi: *ut Decimas cum integritate percipias, &c.* Cæterum si Privilegium sine hujusmodi verbis prægnantibus tantum in forma communi concessum sit, utraque sententia suis non destituitur argumentis & rationibus. Verumtamen in causa & interpretatione novalium plurimum attendendum sit ad præjudicium Parochialium Ecclesiarum, *per text. in d. c. quid per Novale in fin. de V. S.* nec non in qualibet causa favor litigantis (si ille non sit privatus sed publicus & de Jure) considerandi debeat, *c. fin. de sent. & re jud.* idem putarem has dissentientes opiniones aliquantulum ita conciliari posse; Si nimirum Parochus in hac questione concurreret cum Monasterio, quod ipsum etiam Sacramenta fidelibus dispensare solet, & idcirco magnum favorem meretur, Jusque decimandi esset in parvo districtu concessum, ita ut Parochus sufficiens sustentatio relicta fuisset, existimarem primam sententiam pro Monasterio fore præferendam, eamque confirmo *ex c. quia circa 22. de Privil.* ubi remissio Decimarum Episcopali Monasterio indefinite facta extenditur etiam ad Decimas possessionum futuri temporis, quas scilicet Monachi primum ex postfacto acquirunt; *cum nihil*, inquit ibidem Pontifex, *exceperit & potuerit excipisse, ac in beneficii simplicissima interpretatio adhibenda, nec debeat una eademque substantia diverso Jure censeri.* Quæ decisio & rationes Pontificis optimè adduci possunt contra rationes pro secunda sententia adductas, neque *tex. in c. 2. b. t. in 6.* adeo clarus est, quin responderi possit, eum non loqui de Privilegio à S. Pontif. concessio, sed si Religiosi Decimas à Laicis acceperint, sicut in fine declarari videtur, item si valde grave præjudicium Parochorum vertatur. Interpretatio verò, quæ à Covar. & aliis adfertur ad *d. c. ex parte.* quod nimirum loquatur de Jure communi & propriis Monasterii Parochiis, in quibus Abbas loco Parochi est, non omnimodè satisfacit, tum quod hoc modo non fuisset dubitandi ratio, quæ Decimæ Novalium ad Abbatem pertinerent, utpotè nullo alio ibidem existente, qui Jura parochialia prætere posse, tum quod Pontifex non se fundet in Jure communi & proprietate parochiarum, sed in eo, quod *ibi magis conceditur, minus concessum esse videtur.* Quia tamen additur in textu, *de laboribus Parochiarum tuarum &c.* Ideo hoc rectius accipitur de illis parochiis, non quæ pleno Jure pertinebant ad monasterium, (circa quas ut dictum, non fuisset dubitandi ratio) sed in quibus Monasterium habebat solum Jus præsentandi, & Decimas ex Privilegio, ut etiam advertit Henric. Canis. *de Decim. c. 11. n. 9.* Sin autem Parochus concurreret cum singulari aliqua persona Ecclesiastica, vel cum Monasterio quidem, sed posset probare, per amplitudinem Privilegii se multum gravatum & vix habere congruam sustentationem, tali casu non dubitarem alteram sententiam in Parochi favorem amplecti.

11 *Quæritur IV.* Utrum is, qui ex præscriptione habet Jus decimandi in aliena parochia, possit Decimas Novalium exigere? *R. ¶* esse distinguendum inter Novalia improprie dicta, & Novalia proprie dicta. De Novalibus improprie dictis, quando scilicet vinea ager sit, &c. præscribens Decimas de novis fructibus petere poterit: quia Jus decimandi in illo agro hæcenus possedit, & præscripsit. *c. cum in tua. 30. b. t.* De Novalibus autem proprie dictis reguliter Decimas petere non poterit, sed ad Parochum pertinebunt: quia cum in loco Novalium ex defectu culturæ & consequenter fructuum, nullam decimationem exercere potuerit, intrat regula, quod non censetur plus præscriptum quam possessum, *c. cum contingat. 29. & ibi DD. b. t.*

Idem dicendum existimo, si ex prato, in quo præscribens nullas Decimas facti percepit, ager fiat. *Arg. in d. c. cum contingat.* Licet enim hujusmodi Novale forsan in rigore sit improprie tantum Novalis, subest tamen respectu præscribentis ratio, quæ in Novalibus proprie dictis militat, quod nimirum in tali loco nullum Jus decimandi exercitum, possessum, & præscriptum sit.

12 *Quæritur autem V.* Utrum præscribens nullo casu possit Decimas de Novalibus proprie dictis accipere? S. Pontifex in *d. c. cum contingat.* generaliter excipit casum, quo præscribens potest aliquam rationabilem causam allegare, ex qua demonstrat Decimas Novalium ad se pertinere. Porro quantum sit talis causa rationabilis ibidem non exprimitur, sed DD. unam vel alteram enumerant. Nimirum 1. si Decimæ præscriptæ sint intra limites certi prædii & ibi pars aliqua inculta ad culturam noviter redigatur, maxime si pars illa minor sit, quia una eademque res non debet diverso Jure cen-

seri, & major pars ordinariè trahit ad se minorem. 2. si ex loco inculto præscribens Decimarum nomine aliquid saltem utilitatis prius perceperit. v. g. ex ligno, glandibus, arundinibus, &c. *vid. Guier. l. 2. c. 21. nu. 102. Gilken de præscript. p. 1. c. 6. n. 281.* 3. videtur planè causa rationabilis si præscribens præter ordinarium Jus decimandi insuper præscriptionem Juris percipiendi Decimas Novalium probare possit demonstrando videlicet, quod hæcenus de exigentibus Novalibus semper solitus fuerit Decimas accipere, quæ tamen præscriptio si resultet ex diversis actibus respectu diversorum, videtur potius assumere naturam consuetudinis, neque rarum est, ut idem actus diverso respectu nunc præscriptio nunc consuetudo dicatur teste Panorm. in *c. fin. de consuetud.* veluti si Episcopus sine Consilio Capituli soleat visitare diæcesim, respectu Capituli & Episcopi erit præscriptio, respectu diæcesis & populi erit consuetudo; poterit fortassis etiam huc accommodari doctrina Panorm. in *c. cum in tua. 30. de Decim. & Harp. ad tit. Instit. de usucap. n. 253.* quod ex præscriptione specierum resultet præscriptio generis.

13 *Quæritur VI.* An Parochus possit inhibere parochianis, ne Decimas separent, nisi se vel suo nuntio præsentent? *R. ¶* Affirmativè *arg. l. si suspecta. 29. de inoff. test. Spec. in tit. de Decim. ad fin. Covar. lib. 1. c. 17. n. 8. v. octavo.* imò tamen de consuetudine contraria in aliquo loco Decimatio absente Parochus vel in horreo fieri soleat, si tamen Parochus posset probare, se multoties exinde defraudatum esse, justè peteret ab Episcopo istam consuetudinem declarari invalidam, ex eo quod sit damnosa Ecclesiæ & occasionem peccato præbeat, *c. 1. de consuet.*

14 *Quæritur VII.* An Decimæ de integris fructibus, vel de iis tantum, qui supersunt deductis impensis necessariis solvi debeant? *R.* differentiam esse faciendam inter Decimas prædiales & personales. In illis nulla sit expensarum deductio, secus in istis, *c. pastoralis de Decim.* rationem hujus differentie communiter assignant, quod Decimæ prædiales debeantur eo modo, quo fuerunt institutæ in veteri lege, in qua Deus non respexit ad Jus Civile futurum, quatenus ex illo verbum fructus interpretandum sit, sed in verbum fructus intellexit naturaliter, prout in fundo crescunt, & Dei beneficio percipiuntur. At verò cum Decimæ personales debeantur ex sola lege Ecclesiæ, nec ullum de illis in lege veteri sit preceptum, meritò effectum est, ut in illis Jure humano inventis, & post Jus Civil. institutis, verbum fructus civiliter (id est, deductis impensis *l. fructus. 7. ff. soluto Matrim.*) consideretur *Barb. de Offic. Par. p. 1. c. 6. num. 181.*

15 *Quæritur VIII.* Utrum parochiani teneantur propriis sumptibus deferre Decimas in horrea Parochorum? *R.* principaliter attendendas esse consuetudines locorum, & diæcesium, valent enim consuetudines, ut Decimæ vel à Parochus asportentur, vel ab ipsis parochianis deferantur. *Gatier. Canon. qq. lib. 2. c. 21. n. 45.* abstrahendo autem à consuetudine magis communiter sentiunt DD. de Jure obligari parochianos, ut in horrea Parochi Decimas deferant, suis etiam propriis sumptibus *per text. & gloss. in c. revertimini. 65. 16. q. 1. Guier. d. l. n. 43. Riccius in Praxi aurea p. 2. resol. 244.* ¶ si rusticus fuerit in mora solvendi, quando tenebatur solvere, & Parochus paratus erat accipere, interim Decimæ pereant, hic interitus ad rusticum spectat, secus si voluisset solvere & Parochus noluisse acceptare: mora enim sua cuilibet nocere debet, *c. mora. de R. l. in 6.* Si tamen Parochus postea voluisset acceptare & rusticus non dederit, attenditur posterior mora, *l. illud. de peric. & commod. rei vend. Gloss. in c. cum homines 7. in v. fructibus collectis b. t. Pan. ibid. n. 7.*

17 *Quæritur IX.* An Decimæ non solutæ sequantur possessorem prædii? pone, quod venditor prædii longo tempore non solverit Decimas, nunquid Parochus possit illas Decimas non solutas ab emptore petere? *R.* Affirmativè; ita tamen, ut emptor suum regressum ad compensationem damni propter evictas Decimas contra venditorem habeat. Ratio desumitur ex *l. Imperatoris. 7. de Publician. & L. prædii. 36. ff. de iure fisci.* ubi ita de vectigalibus & tributis constitutum est, ut ad ea etiam præteriti temporis solvenda possessores prædiorum conveniri possint, eo quod ipsa prædia potius, quam personæ obligentur. Unde rectissime argumentum ad Decimas deduci potest, tum quod Decimæ (quæ etiam tributa egentium animarum dicuntur, *c. Decima. 66. 16. q. 1.* & ante omnia tributa propter prærogativam domini Generalis pertolventur sunt. *c. cum non sit. 33. b. t.*) magis à prædio, quam persona debeantur, sicut ea de causa etiam Judæi Decimas prædiales solvere debent, *c. de terris. 16. ubi gl. in v. persolvendas. b. t.* & habens prædia in alia Parochia,

rochia, quam ubi percipit Sacramenta, in illa ubi eadem prædia sita sunt, Decimas dare debet, ut supra q. 1. dictum: tum quod Decimæ sint *onus reale*, quod in quemcunque possessorum transit, atque si extent utili vindicatoria (prævia actione ad exhibendum vel communi dividendo, si à reliquis fructibus separatæ non sint) aut si non extent, utili conditione ex d. l. Imperatores. junct. c. 1. de novi. oper. nunc. peti possunt, c. moderamine. 23. ubi gl. in V. vindicent. 19. q. 1. c. pastoralis. &c. cum non sit x. b. t. atque hanc sententiam cum multis antiquis tradit Pan. in c. cum homines. 7. b. t. n. 6. Riccius p. 2. resol. 57. Rebus. de Decim. q. 9. n. 9. ubi & aliud notabile referunt ex Fed. de Senis. Consil. 81. n. 2. Si Parochus vel Ecclesia propter Decimas malit venditorem convenire, quam novum emptorem, qui fortè propter potentiam suam est difficilis conventionis, hoc esse ei concedendum, ne id, quod in favorem Ecclesiæ est introductum, ut novum possessorem convenire possit, in ejus odium retorqueatur, dum enim venditor prædium possedit, & fructus integros percipit, nata est contra cum actio personalis, seu condictio ex Canone ad solvendas Decimas, quæ per venditionem prædii expirasse non videtur.

19 Verum quæ hactenus dicta sunt non admittit Henr. Canis. de decim. cap. 4. & Henr. Zoësius eodem tit. n. 52. eamque inter tributa sive *vedigalia* & inter decimas differentiam constituunt, quod onere tributorum ipsa prædia, onere verò decimarum ipsi tantum fructus afficiantur: qua ratione, inquirunt, si prædia elocata sint, non domini prædiorum, sed conductores seu fructuum percipientes ad solvendas decimas obligantur. c. dilecti. 8. c. à nobis. 24. & c. tua nobis. de dec.

Atramen hac contraria opinione Canisii & Zoësii non obstante, (cui suam relinquo probabilitatem) videtur mihi prior sententia Panorm. Riccii & aliorum cc. LL. optimè ex jure defendi posse, pro favore nimirum Ecclesiæ, quæ aliàs regulariter privilegia fisci & Reipub. participat, quoties casus est applicabilis. Ever. in Top. à fisco ad Ecclesiam, Laurer. de Franch. de Controv. regul. p. 2. q. 96. & ibidem Pasqual. in addit. Indubitatum autem est fisci privilegium, ut novos possessores ob non soluta tributa convenire possit. d. l. prædii. 36. de jure fisci. & l. Imperatores. de vedig. l. 2. c. sine censu. &c. & tanto magis procedet argumentum à fisco ad Ecclesiam, cum Decimæ magis quam tributa privilegiatæ sint & ante hæc persolvi debeant. d. c. cum non sit b. t. Parum verò convincit illa assignata inter & tributa & decimas differentia, quia hoc ipsum est in questione, an ob decimas præcisè tantum ipsi fructus, vel potius prædia propter fructus quatenus decimales obligata sint, prout etiam tributa fructuum impendia sunt, ut ait I. C. in l. neque stipendium. 13. ff. de impens. in reb. dotal. & per as & libram imponuntur juxta proportionem reddituum sive fructuum bonorum. Roland. à valle. 1. Conf. 66. num. 15.

Nec est bona illatio, conductores prædiorum tenentur ad solvendas decimas, ergò ipsa prædia non sunt obligata. Imò redit hic iterum pulchrè argumentum à tributis ad decimas. Nam per tex. notab. cum expositione Gottofredi in l. obsservare. 10. c. de annon. & tribut. etiam tributa à colonis & emphyteutis solvantur junct. l. 2. c. de Jure Emphyteut. & si isti revoluti anni spatio intra 6. menses non solverint tributa, domini prædiorum conveniuntur. Et non incongruè dici potest, dominum in effectu per colonum solvere decimas, utpote cui illud onus decimarum in sua pensione decedit, & tantò minùs à colono accipit.

Si istes, tributa solvenda etiam data sterilitate, decimas verò non nisi enatis fructibus, idèd patere, idèd illa præcisè prædiis, istæ fructibus adhærent. & ex hac instantia non plus evinci, quam quod tributa simpliciter sint onus prædiorum, decimæ verò sub implicita conditione nascituro- rum fructuum: præterquam quòd in magna sterilitate, ubertate priorum vel sequentium annorum aut aliorum bonorum seu prædiorum non compensabili, saltem de æquitate etiam tributorum remissio facienda sit, tanquam cessante causa. arg. l. 1. c. de omni agro deserto.

Deinde Decimatio valdè similis est exactiõni *annona*, quæ de frugibus dabatur, teste Gottofred. ad rubric. c. de annon. & tamen hanc tributis comparari vix dubium esse potest ex rubrica. & t. c. de annona & tributis. & quidem in specie ad propositum nostrum, quòd *annona* à defuncto debita non præstetur à coheredibus pro portione hereditaria, sed à possessore prædiorum frugiferorum, decimam est in l. 2. c. jam d. 2. dico, à defuncto debita, quod exinde satis apparet, quia ibi Imper. loquitur de *are alieno* & iis, quæ heredes quatenus heredes adeoque *ex persona defuncti* solvere debent; de futura enim *annona*, ubi prædia hereditaria jam sunt facta proprium Patrimonium heredis, non fuisset dubitandi ratio.

Addo tamen, cum hæc argumentatio à tributis ad Decimas præcipuè favore Ecclesiæ & ob administrationem Divinorum procedat, eidem locum haud fore, si Decimatio competat laico, vel Clerico ex titulo patrimoniali vel singularis privilegii.

§. II.

Quo Fundamento aliis præter Parochum Jus decimandi competere possit.

S U M M A R I A.

- 1 Ecclesiastici acquirunt Decimas ex privilegio, incorporatione, præscriptione, & donatione laicorum.
- 2 Quid requiratur ad præscriptionem Decimarum.
- 3 Laici quamvis sint incapaces Decimarum, possunt tamen aliquot modis eas habere.
- 4 Præscriptione etiam immemoriali non potest Laicus Jus decimandi acquirere.
- 5 Neque etiam consuetudine generali alienius loci.
- 6 Laici multi habent Decimas cum periculo animarum suarum.
- 7 Ex temporis immemorialitate præsumitur omni meliori modo pro Decimis laicorum.
- 8 Quid intersit an Laicus præscripserit Decimas, vel an tantum ex præsumptione relinquatur in possessione.
- 9 Præsumptiones præsumptionibus eliduntur.
- 10 Ex immemorialitate non oritur præsumptio Juris & de Jure.
- 11 Immemorialitas etiam tunc est, quando non constat de initio possessionis, licet constet de contrario.
- 12 An tempus immemorabile debeat 100. annos excedere.
- 13 Negativa probatur.
- 14 Qualiter probetur immemorialitas.
- 15 Notabilis limitatio in causa Decimarum.
- 16 Prohibitio Concil. Lat. potest consuet. abrogari.
- 17 Illa prohibitio videtur tantum procedere in insuetudine perpetua.
- 18 Ex consuetudine potest valere, ut unus laicus Jus utile in alium alienet.
- 19 Obligatiõni præstandi servitia feudalia, & canonem Emphyteuticum potest præscribi.
- 20 Jus utile potest quidem præscribi contra Laicos sed non contra Ecclesiam.
- 21 Præscriptio non procedit contra prohibitionem Juris publici.
- 22 Differentia, cur magis res Ecclesiæ immobiles præscribi possunt, quam Jus utile decimandi.

Quamvis regulariter omnes Decimæ ad Parochum spectare censeantur, sunt tamen de Jure aliqui modi prodi, quibus Jus decimandi ad alios non solum Ecclesiasticos, sed etiam laicos transferri potest.

Enim verò Ecclesiastici ex privilegio Papali, per incorporationem Parochiarum Monasteriis aut Canonicatibus factam, & per præscriptionem Decimas acquirunt. Item Laici, qui justè habent Decimas, possunt eas alicui alteri Ecclesiæ, quam suæ Parochiali, maxime verò cuidam Monasterio solum Episcopi accedente consensu donare. c. cum Apostolica. 7. de his qua fiunt à Præl.

Dico, si Laici justè habeant decimas, aliàs enim donatio à laico ne quidem præscriptionis titulum parat, c. dudum ibi Pan. b. 2. quod tamen limitat Rebus. tract. de decim. cap. 13. n. 93. ut illi qui receperunt decimas à manibus laicorum, quamdiu vivunt, præscribere nequeant, secus verò eorum successores in bona fide existentes, saltem tempore immemoriali, neque successoribus in dignitate nocet mala fides antecessoris, quia non ab ipso, sed à superioris institutione causam habet. gl. sing. in c. cura. in fin. De jure Patron. quæ glossa generaliter loquitur de præscriptione, nec requirit immemorialitatem, & planè videtur, quòd ipse titulus successione in beneficio vel dignitate, ex quo Prælatus vel beneficiatus etiam plerumque sub juramento (quod in confirmatione seu investitura præstat) tenetur defendere & conservare jura suæ Ecclesiæ, sicut est justus titulus ad possessionem talium decimarum (supposito quòd aliunde nesciat vitiosam) pro suo adipiscendam vel retinendam, ita etiam ad præscriptionem ordinarii temporis 40. annorum tex. not. in l. fin. ff. pro suo.

Circa præscriptionem Decimarum notandum est, quòd al- legans præscriptionem contra Parochum debeat vel tempus immemorabile, vel saltem 40. annorum cum titulo probare, propter præsumptionem Juris quæ militat pro Parocho & contra

contra præscribentem, *cap. 1. de præscript. in 6. junct. c. 2. De restit. spol.* Idem dicendum circa Parochias Monasteriis pleno Jure incorporatas, ita ut Decimæ earum non nisi 40. annis cum titulo contra Monasterium præscribantur, quia per incorporationem, Monasterium habetur loco Parochi, *Decisio Rotæ apud Tambl. De Jure Abb. tom. 3. dec. 120 n. 11.* Quod si autem præscriptio allegetur contra aliam Ecclesiam, cui tantum ex privilegio vel etiam præscriptione Decimæ competebant, sufficit posse probare possessionem bona fide per 40. annos continuatam *d. cap. 1.* imò contra Clericum privatum vel Laicum 10. anni inter præsentem & 20. inter absentes cum titulo, & sine titulo 30. sufficient, quia hic nec præsumptio Juris adest, nec favor Ecclesiæ, ob quem quadragenaria præscriptio requiritur. *Pet. Rebus. de Decim. q. 13. n. 100.*

3 Laici quidem de Jure omnes sunt incapaces Juris decimandi, tanquam spiritualis & propter spirituale Ministerium competentis, *c. causam. 7. de præscript. & c. quamvis. 27. h. t.* Nihilominus I. ex privilegio Papali Jus decimandi acquirere possunt: quia non excedit vires Papæ, Laicum ad Jus spirituale habitare & secundum quid Clericis æquiparare, sicut defacto ad Jus patronatus, quod spirituale est, omnes Laici habilitati sunt.

II. Ante Concilium Lat. quod probabiliter fuit habitum Anno salutis 1179 *vid. Henri. Canis. de decim. cap. 13. num. 6.* Laici poterant Jus decimandi ab Ecclesia in feudum vel Emphyteusim accipere, quia tunc tantum acquirebant Jus utile & temporale non directum & spirituale, per dictum verò Concilium Lat. id prohibitum est *c. 1. 16. q. 7.* Si tamen aliquis Majores ante Concilium Decimas in feudum accepissent, is etiam num hodie eas rectè retinere possit, *arg. cap. 2. §. sand. de Decim. in 6.*

III. Per contractum locationis aut usufructus etiam Laici decimas habere possunt, quia tunc nihil de dominio Juris spiritualis in illos, sed tantum commoditas quædam percipiendi Decimas, non tanquam sibi sed Parocho debitas transfertur.

IV. Quædam decimæ sunt merè profanæ & Laicales quas olim Domini suis prædiis deinde subditis in usufructum feudum vel Emphyteusim datis tanquam loco tributis, pensionis annuæ vel Canonis imponebant. *Greg. Tholos. in Synagoga. Juris lib. 2. c. 20.* quo etiam referri posse videtur illa portio vini, quæ ex quibusdam vineis, præsertim in Austria exigitur, & vulgo *Bergrecht* appellatur.

V. Laici conversi seu religiosi de certo aliquo ordine, uti sunt Equites Mellitenses, Teutonici &c. decimas quoque possidere possunt. *c. 3. De priv. Panorm. in c. quamvis. 17. h. t.*

4 Præscriptio autem etiam immemoriali ex communi DD. opinione laicus Decimas, quoad titulum domini directi acquirere non potest, quia est incapax possessionis, sine qua non currit præscriptio. *cap. causam. 7. De præscript.* Undè non obstat, quod a quibusdam in contrarium opponitur: videl. Quidquid per privilegium acquiri potest, id etiam possit per præscriptionem immemorialem, quam constat habere vim privilegii, *per tex. & gl. in c. super quibusdam. De V. S.* atqui Jus decimandi Laicus per privilegium acquirere potest, ut dictum, ergò, &c. nam negandum est suppositum, quod ex persona Laici detur immemorialis Decimarum præscriptio; datur quidem immemorialis detentio, quæ facti est, sed ex defectu possessionis & propter Juris resistentiam, non datur immemorialis præscriptio.

5 Similiter nec consuetudine generali alicujus Provinciæ introduci potest, ut Laici passim Decimas Jure Domini directi sibi vindicent, quia imprimis hæc consuetudo foret irrationabilis, ut Laici sine omni causa id habeant, quod Deo & Ministris ejus in recognitionem universalis Domini & propter spirituales labores debetur; deinde hæc consuetudo damnificaret Ecclesias, eas Decimis privando, merito proinde invalidata intelligeretur. *in c. 1. De consuetud.* Notanter autem hæcenus loquor de Jure directo decimandi, nam quid dicendum sit de Jure utili, paulò inferius ad finem hujus §. exponam.

Grandis igitur est difficultas quomodo defendendi sint Laici, qui passim in nostris partibus Decimas non ex titulo usufructus, vel locationis, sed Jure proprietatis sibi vendicant, nec Privilegium Papale, nec infeudationem ante Concilium Lat. factam ostendere possunt, nesciunt tamen quo Jure vel titulo primitus acceperint?

6 Vereor, ne multi Laici cum animarum suarum periculo Decimas detineant *jux. t. in cap. prohibemus. h. t.* quando experientia constat, à tempore, quo hæres ordinem & tranquillitatem Ecclesiæ turbarunt, eò temeritatis perventum esse, quod præsertim Patroni & Advocati Ecclesiarum Jura

& reditus Ecclesiasticos, quasi liberè in suam utilitatem convertant, Parochos & Beneficiatos etiam non requisito Episcopo, & nescio quibuscumque illicitis pactis instituant, destituantque. Quare optandum foret magnoperè; ut quidam Laici saltem opulentiores ad eligendam viam tutiorem & exonerandam suam, aut suorum Majorum conscientiam induci possent, ut Decimas aliaque Jura Ecclesiis Parochialibus restituerent. Verum quia prædicti excessus non sunt de omnibus Laicis præsumendi, & satis colligitur ex Jure & DD. olim non fuisse infrequens, quòd Laicis vel ob merita sua in Ecclesiam, vel ob ipsius Ecclesiæ utilitatem Decimæ vel ex privilegio aut per contractum feudalem concederentur: idcirco in proposita quæstione duos casus principales distinguo.

I. An Laici habeant decimas à tanto tempore, ut nec de initio nec de contrario constet?

II. An habeant Decimas à tanto tempore, ut de initio possessionis quidem non constet, constet autem de contrario v. g. ex libris antiquis vel instrumentis authenticis, ex quibus ostenditur, quòd Decimæ ante annos 100. vel 200. adhuc pleno Jure penes Ecclesiam fuere.

Quod attinet ad primum casum, dico, quamvis Laicus 7 Decimas præscribere etiam tempore immemoriali non possit, operatur tamen hæc immemorialitas temporis, quòd ex ea præsumatur, antecessores Laici omni meliori modo sive deinde per privilegium, sive per infeudationem ante Conc. Lat. decimas acquisivisse. *arg. c. super quibusdam. de V. S. c. 1. de præscript. in 6. l. hoc Jure. §. ductus aqua. ff. de aq. quot. & asin. Pulchrè ad propositum loquitur Gilken. de præscript. p. 3. c. 8. num. 23.* Quamvis, inquit, 100. imò 1000. annorum possessio ubi de non justo primordio constat, non minuat possessionis causam, cum in persona possessoris & Majorum & Authorum ipsius tale Jus coalescere non potuerit, *c. causam. de præscript.* Tamen ex quo de hujusmodi exordio non constat, & talis res sit, quæ ex causa Laico acquiri possit, existimandum est, quòd cum tot annorum intervallo nemo ipsi quæstionem moverit, justam quoque initii rationem fuisse. Cum enim tam varii sint casus, ex quibus instrumenta intercidere, vel interverti possint, videl. Incendium, furtum, injuria concerpentium, vetustas ipsa omnia paulatim hauriens, infirmitas memoriæ ignorantium, quo loco quid positum aut conditum sit, fiducia sui Juris ex tam longa & inconcussa possessione, non debet Ecclesia in tot humanæ conditionis casibus occasionem quem ex inopinato casu suo Jure evertendi aucupari, cujus fortè Majores propter optima in Ecclesiam merita decimas quasi pro recompensatione acquisiverunt, quo etiam referri possunt quæ infra n. 18. dicentur.

8 Sed, inquit, quid interest an Laicus præscripserit Decimas, vel an in illarum possessione & perceptione relinquatur? R. Differentiam jam satis insinuatam esse, si enim ponatur Laicum præscripserit Decimas, acquisivit Dominium Juris, & id retinebit, tamen aliquando post completam præscriptionem emergat titulus & initium inhabile, quia imposterum non amplius possidet Decimas ex primo illo titulo, sed ex Jure præscriptionis. Sin autem Laicus tantum ex præsumptione boni tituli quæ oritur ex immemorialitate temporis relinquatur in possessione, privabitur hac possessione, si per Parochum de vitioso initio convictus fuerit. *Felin. in c. accidentes. n. 6. & in c. cum ex officio. n. 13. de præscript.* Non obstat quòd dicit Vasquez *illust. Controv. p. 1. lib. 2. c. 81. n. 12. & 15.* licet constet de uno titulo inhabili, nihilominus ex diuturnitate temporis de alio meliori ex postfacto superveniente præsumendum esse: eò quòd ex antiquitate temporis factum non tantum unum, sed etiam plura, si necessaria sint, præsumantur. Non obstat, inquam, ut utrumque hoc fortè procedat in aliis causis, in quibus Successores saltem mediati in bona fide existentes per longissimum tempus præscribere possunt, tamen Antecessores eorum fuerint in mala fide *Fachin. lib. 8. Controv. c. 27. vers. nec obstat. Cov. de præscript. p. 2. §. 9. n. 7.* secus tamen est in causa decimarum, in qua nulla præscriptio Laicum juvare potest. Propterea quando Parochus probat vitiosum initium possessionis, habet triplicem fortissimam præsumptionem pro se, unam ex incapacitate Laici, alteram ex jure ipso, quo omnes decimæ ad Parochum spectare censentur. *c. 2. de restit. spol.* tertiam ex demonstratione vitiosi initii in possessione Laici: dum contra Laicum solam & unam præsumptionem ex immemorialitate temporis prætereundum potest: notorium est autem, unam præsumptionem aliis præsumptionibus pluribus & fortioribus penitus elidi ac enervari *arg. c. in nostra 4. de procurat. l. dixit 7. de integ. restit.* Neque verum est, quòd quidam contendunt, ex immemorialitate temporis

potis oriri presumptionem Juris & de Jure, contra quam non admittatur probatio in contrarium, † etenim nulla est presumptio Juris & de Jure, nisi quæ expressè in aliquo Canone vel lege continetur, quod de immemorialitate temporis non reperimus, eamque ob causam contra probatam immemorialitatem admittendas esse probationes de vitioso initio rectè docent Arnold. Rath. tract. de usucap. c. 5. assert. 47. n. 2. & 3. Henr. Cunif. de Decimis. cap. 9. in fin. Fachin. Controu. l. 8. c. 33.

In alio casu principali potissima difficultas dependet ab eo, an dicatur tempus immemoriale, quando quidem non constat quo initio cæperit possessio, constat autem de contrario, quòd scilicet ante tot & tot annos necdum apud antecessores moderni possessoris fuerit. Nam si dici debeat tempus immemoriale, de cujus initio non constat, habebit Laicus presumptionem Juris ex immemorialitate temporis pro se, & relinquendus erit in possessione decimarum, usque dum Parochus vitiosum initium ostendat. Licet enim non desint, qui cum Host. in c. eum Apostolica b. t. n. 10. & Canisio de decim. cap. 13. n. 9. putent, non sufficere immemorialitatem temporis, contraria tamen sententia æquitati magis convenit, ne quis ob difficultatem probationis facile suo jure privetur, & ne nihil antiquitati temporis tribuatur. Burius & Imola in d. c. eum Apostolica. aliiq. apud Cov. lib. var. ref. c. 17. n. 5. citati. Sanè hæc quæstio non tantum vix apud aliquem authorem in terminis reperitur, sed à plerisque confunditur, & nulla inter contrarium & initium distinctio adhibetur. ut per Gl. in c. 1. in v. memoria. de prescript. in 6. Mascard. de probat. vol. 2. Conclus. 1042. in d. c. 1. expressè dicitur illa immemorialis prescriptio, cujus contrariis memoria non existit. † Verum frequentius DD. supponunt rectè dici possessionem immemoriam, quamvis constet, quòd aliquando contrarium fuerit, dummodo de initio præsentis possessionis non constet. Cravetta de antiq. temp. p. 4. sect. absolutis differentiis omnium clarissimè Molina de J. & J. tract. 2. disp. 76. n. 3. facit tex. in c. super quibusdam. de V. S. ibi ex antiqua consuetudine à tempore cujus non exeat memoria, & in L. 3. §. ductus aqua ff. de aqua quot. cujus origo memoriam excessit, Jure constituit loco habetur. Doctores autem & textus supra relati optimè cum hac opinione conciliari videntur, per illum modum loquendi quo utitur Menoch. de anst. Jud. lib. 2. Cent. 1. casu 43. n. 2. Nimirum quòd illud dicatur tempus immemoriale, cujus initii memoria non est in contrarium, bonus text. in c. 1. de consuet. in 6.

11 Nova est disputatio, an sit immemorialis possessio, quam constat infra 100. annos cæpisse, nescitur autem, quando? adeoque an tempus immemoriale necessariò debeat 100. annos excedere?

Affirmant Card. in c. si diligenti. de prescript. Molina. d. disp. 76. n. 2. Cov. de prescript. p. 2. §. 3. sub. n. 9. † Sed, si istorum DD. argumenta perpendo, parum me persuadent. etenim quòd ita inferant: centenaria prescriptio requirit titulum. c. si diligenti. in fin. de prescript. ergò immemorialis, quæ titulum non requirit, debet esse major centenaria, rectè negari potest consequentia, quia quòd in centuria requiratur titulus, hoc ipsum in specialem favorem Ecclesiæ Romanæ constitutum est, ne tam facile per prescriptionem damnificetur. Unde quòd addit Molina, prescriptionem immemoriam esse magis privilegiatam quam centenariam, verum est respectu præscribentis, non verò respectu ejus contra quem præscribitur.

14 Quare in hac difficultate ego breviter sic dicendum arbitror, quòd in illis causis, in quibus prescriptio 40. annorum cum titulo procedit, probabilis sit, ex nullo Jure evinci, quin etiam infra 100. annos ad effectum quòd aliquis non teneatur probare titulum, detur immemorialis possessio, si testes saltem per 40. annos testentur de visu proprio, quòd semper viderint rem in hoc statu fuisse, & de cætero non audiverint de initio: quia tunc sufficienter probatum est, quòd origo memoriam excesserit, prout id solum ad immemoriam possessionem requiritur in c. 1. §. ductus aqua. de aqua quotid. & est. & quia de Jure civili in prescriptio 30. & 40. annorum absolutè non requiritur titulus, l. sicut. & l. omnes. C. de prescript. 30. annorum. De Jure verò Canonico per quandam correctionem sit introductum, ut in prescriptio 40. annorum requiratur titulus, ubi jus resistit præscribenti, c. 1. de prescript. in 6. videtur omninò congruum, ut hæc correctio strictè accipiatur. l. præcipimus. C. de appell. & non extendatur ad eum casum, quo aliquis per famam & testes potest probare, possessionem 40. annos longius excessisse, & ita quidem, ut initii memoria non existat, quamvis forte 100. anni elapsi non sint, atque hujus opinionis (ex aliis tamen fundamentis) etiam est Cravetta de antiq. temp. p. 4. sect. absolutis differentiis n. 2. cum Gl. in c.

cum nobis. v. centum. de prescript. & Alexandro apud eundem. Crav. n. 4. citato.

Interim tamen quia in causa Decimarum non est locus 15 prescriptio sed solum ex prescriptio proceditur, ut jam sæpius reperitum; idè libenter concesserim, quando constat possessionem infra 100. annos cæpisse, nescitur autem quando, posse tamen circumstantias & conjecturas concurrere, ex quibus prescriptio temporis antiqui elidatur & pro Parocho (qui aliunde jam presumptionem Juris pro se obtinet) sufficienter probetur, Laicum malam possidendi causam habere, nisi de legitimo titulo docuerit. v. g. si constet possessionem multum infra 100. annos cæpisse, antecessores Laici fuisse potentes hæreticos; si testes super immemoriali producti variant, &c.

Postremò quæri potest, utrum saltem circa Jus utile de 16 cimandi, cujus Laicus non est incapax, consuetudo vel prescriptio aliquid operari valeat?

¶ Cum Canon Lateran. Concilii, quo prohibetur, ne Laici de Decimis infeudentur, non sit juris naturalis aut divini, nihil putarem obstare, quin per contrariam consuetudinem abrogari possit. arg. c. fin. de consuet. l. de quibus, cum seqq. ff. de LL. haud enim videtur irrationabile, quòd Laicis Decimæ in feudum concedantur cum autoritate Episcopi, si id ipsorum merita, vel Ecclesiæ utilitas exposcat.

Deinde illam prohibitionem Concilii plurimi DD. tantum accipiunt de infeudatione perpetua & in heredes transitoria, unde cum correctiones Jurium non sint extendendæ. l. præcipimus. in fin. C. de appell. existimant, etiamnum hodie posse per Episcopum aliumve Ecclesiæ Prælatum decimas alicui Laico ex justa causa & cum ordinaria Juris solemnitate ad tempus vitæ, vel aliud longum tempus in feudum vel Emphyteusim concedi, Gl. & Abb. in c. quamvis. de Decimis. Cov. var. ref. lib. 1. c. 17. n. 5.

¶ II. Quamvis inter DD. controversatur in c. prohibemus. 18 b. 1. utrum Jus utile per unum Laicum acquisitum in alium rectè alienetur: nihilominus per consuetudinem tales alienationes convalidari posse, quia in Jure dubio optima legum interpretis est consuetudo l. si de interpretatione. 37. de LL. & hinc non dubito, quin multæ decimæ ante Concil. Lat. ab Ecclesiis per modum feudi vel Emphyteusis separatae sint, quæ etiamnum hodie apud Laicos manent non quidem semper Jure hereditario, sed per diversas venditiones & alienationes bonorum ad eos devolutæ. Licet autem Laici, qui hujusmodi decimas possident, nulla pro iis servitia aut fidelitatem secundum naturam Feudorum Ecclesiæ præstent, non tamen statim evincitur, quòd tales Decimæ ab initio non fuerint per modum Juris utilis concessæ, nam præstatio servitorum & fidelitatis juramentum non est substantiale, sed tantum naturale contractus feudalis, unde pacto & consequenter etiam prescriptio illa obligatio tolli potest, quemadmodum dari feudum Francum, in quo nulla servitia præstantur, & in feudo concessò Ecclesiæ non præstari fidelitatem, c. un. Ecclesiam fidel. non fac. nemo est, qui ignoret: † Item quòd obligationi præstandi annum canonem præscribi 19 possit per Emphyteutam, dicitur inferius in §. 3. sub. n. 7. Est tamen inter res feudales & Emphyteuticas profanas ac inter decimas differentia, quòd illæ per prescriptionem possint transire in alios, non verò istæ, quia juris directi decimandi incapax est Laicus. Sed ais, quid valebit hoc jus directum apud Ecclesiam, si Laicus id non recognoscat, nulla pro eo servitia, fidelitatem, Canonem, aut laudemium præstet? ¶ Sicut in aliis rebus prescriptio contra Ecclesiam admittitur, ita etiam in his. Et unum saltem reperio hujus juris directi effectum, quòd nimirum Ecclesia has Decimas à Laico possessas contra fiscum vindicare possit, si Laicus sine legitimo herede defunctus bona vacantia reliquerit, aut crimen confiscatione bonorum dignum commiserit, in feudis enim & Emphyteuticis domino directo præjudicari non potest. Utrum autem S. Pontif. pro plenitudine potestatis non possit Ecclesias adversus prescriptionem Laicorum eatenus restituere, ut Laici in recognitionem directi dominii tenerentur de Decimis possessis singularis annis certam aliquam portionem solvere, altioris indaginis est, & licet id foret æquitate plenum, ac Ecclesiis utile, vix tamen sine cooperatione Imperatoris & Principum terrarum possit in executionem deduci.

¶ III. Hodie stante prohibitionem Concilii Later. posse 20 quidem Laicum contra alium Laicum ante Concilium infeudatum Jus utile prescribere, contra Ecclesiam autem post Concilium non posse, vel enim sciret post Concilium non licere habere Decimas in feudum ab Ecclesia, vel ignoraret: Si prius, foret in mala fide vera, si posterioris esset in mala fide ficta, seu in ignorantia Juris, quæ non potest acqui-

acquirere volentibus. *L. Juris. 7. ff. de Juris & fact. ignor. L. numquam 31. in p. ff. de usucap.*

Sed ais, posse contingere, ut aliquis sciat, non licere dare feudum Decimarum Laicis post Concilium, & tamen sit in bona fide, si nimirum ipse & ejus antecessores tempore immemoriali Decimas ex titulo feudi possederint. *R.* Si in hac immemoriali possessione non constet de initio, omni meliori modo præsumendum esse Laici majores fortè ex privilegio & dispensatione speciali tale feudum accepisse, sin autem Parochus docere possit, quòd tantum per privatas conventiones inter suos & Laici antecessores (quamvis Episcopi autoritate accedente, feudum datum sit) quantocumque etiam tempore non erit præscriptum, † sicut enim pactis privatorum Juri publico derogari non potest, ita nec contraveniri prohibitioni legis communis, publicam utilitatem concernentis per privatorum & particularium hominum præscriptionem. † Cui non obstat, quòd res temporales Ecclesiæ immobiles vel mobiles pretiosæ alienari prohibita nihilominus præscribi possint. *Riccius in praxi aurea p. 1. ref. 32.* nam diverfitatis ratio est ista, quòd res Ecclesiæ temporales non prohibentur absolvi de venire in manus Laicorum, sed tantum sine solemnitatibus, quas cursus temporis, & bonæ fidei possessio per 40. annos continuata supplere videtur. Sed circa decimas absoluta est prohibitio, nè per viam etiam Juris utilis ad Laicos quibusvis cum solemnitatibus transferantur.

§. III.

Qualiter detur Immunitas à solvendis Decimis.

S U M M A R I A.

- 1 An & qualiter detur immunitas à solvendis Decimis.
- 2 Religiosi qualiter de jure exempti à solutione Decimarum.
- 3 Quorundam specialia privilegia extra corpus juris, & qualiter intelligenda.
- 4 An habentes Communicationem Privilegiorum, communicent privilegium immunitatis à solvendis Decimis.
- 5 Consuetudine etiam datur immunitas, sed regulariter tantum immemoriali.
- 6 Præscriptione etiam Laici immunitatem acquirere possunt.
- 7 An præstationibus annuis præscribi possit, & quis sit sensus *L. cum notissimi §. fin. C. de præscript. 30. annorum.*
- 8 Quanto tempore præscribitur immunitas.
- 9 A restitutione Decimarum ante completam præscriptionem non excusat consumptio bona fide facta, aut triennalis possessio.
- 10 Ecclesia habet dominium in decimis nondum solutis in sui favorem, non verd in sui præjudicium.
- 11 Pupillus mutuans aut solvens manet dominus pecunie, quando dominium sibi est utile.
- 12 Clericus minoræ in beneficalibus habetur pro majore, ut possit agere in judicio, non verd ut careat auxilio restitutionis in integrum.
- 13 Immunitas per contractum potest acquiri gratis, vel pro alia re spirituali.
- 14 Conciliatio c. statimus, & c. veniens de transact.
- 15 Abbates possunt dare consensum in alienatione rerum ad suas Parochias pertinentium.
- 16 Quo sensu pro re temporali possit acquiri immunitas.
- 17 Pauperes an sint immunes à solvendis Decimis.
- 18 Quis in causa Decimarum sit Judex competens?

Non defuerunt ex antiquioribus præsertim DD. existimantes neminem posse à solutione Decimarum eximi, eo moti argumento, quòd Decimæ sint Juris divini & consequenter per humanas inventiones non remissibiles. Verùm hanc sententiam cum communiori ita limitandam censeo, ut exemptio à solvendis Decimis dari non possit, si per eam congrua sustentatio Parochorum adimeretur, etenim decimas non aliter esse Juris divini, quàm in quantum ad sustentationem Clericorum necessariæ sunt, jam supra in §. 1. explicavimus. Quare si Parochus aliunde sufficientes redditus habeat, vel si ex Decimis aliquorum tantum Parochianorum congruè sustentetur, rectè dicitur, dari exemptionem seu immunitatem à solvendis decimis per privilegium Pontificum, consuetudinem, præscriptionem aut contractum.

Per Privilegium idque in Corpore Juris clausum Religiosi & alia pia loca diversimodè per Canones à solutione Decimarum eximuntur, quos diversos Canones ita in ordinem redi-

git Glossa in c. exp. 10. in v. laborum tuorum. b. t. quòd nimirum Monachi in primitiva Ecclesia Decimas dederint tantquam Laici. *arg. c. alia c. c. c. generaliter. 16. q. 1. c. duo. 12. q. 1. postea Paschalis II. statuerit, quòd nec Monachi nec Clerici communiter viventes decimas de suis laboribus solverent, c. decimas. 16. q. 1. tempore verd precedente Hadrianus Papa solis Cisterciensibus, Hospitalariis, Hierosolymitanis seu Templariis concesserit hoc privilegium, ut de laboribus suis, quos propriis manibus vel sumptibus excolunt, decimasolvere non teneantur, alios verd Monachos tantum in decimis Novalium suis manibus aut sumptibus factorum item & in hortis & nutrimenis animalium suorum exemerit. d. c. ex parte, cum seqq. b. t. demum Innocent. III. in Conc. Later. Privilegium Cisterc. & aliorum in d. c. ex parte. respectu possessionum post dictum Concilium acquirendorum sustulerit. Novalium autem nomine intelliguntur illæ terræ noviter per Religiosos ad culturam redactæ, de quarum cultura non extat memoria, & ex quibus prius Parochus nullas vel exiguas Decimas percipiebat. c. fin. de Privil. & c. quid per Novalis 21. de V. S.*

Cæterum extra corpus Juris per speciales Bullas multi Ordines Religiosorum exempti sunt non tantum in Novalibus, sed etiam quibuscumque terris, quas suis laboribus vel sumptibus colunt. Sicut de Religiosis Congreg. Cassinensis, Camaldulensibus, Prædicatoribus, Carthusianis, & pluribus aliis attestatur. *Barb. in d. c. ex parte. n. 5.* Sed hæc privilegia non extenduntur ad illas possessiones, quæ non sunt Religiosorum propriæ, sed ab aliis conductæ, c. dilecti. 8. b. t. Neque ad illas, quas Religiosi alii vendiderunt, vel elocaverunt, concernit enim privilegium tantum personas Religiosorum non extraneas, c. licet. 11. b. t. sicut in simili licet fideus de possessionibus, quas tenet, non solvat vestigal, emptores tamen & conductoresolvere tenentur. *L. locatio. 9. §. ult. ff. de publician.* Cæterum verd si in Privilegio concedatur exemptio à solvendis decimis de laboribus, hic terminus non debet restringi ad sola Novalia, sed univèrsas proprias possessiones propriis laboribus vel sumptibus cultas. c. ad audientiam. 12. b. t.

Quæritur autem, an illi Religiosi, qui in specie quidem à solutione Decimarum exempti non sunt, at tamen generalem communicationem privilegiorum cum exemptis habent, hoc ipso etiam quoad decimas privilegiati censeantur. Negativè aliquoties fuisse in Rota decisum refert *Barb. de offic. Par. p. 3. c. 28. §. 3. n. 41.* quia immunitas à solvendis decimis est difficilis concessio propter præjudicium Parochorum. *arg. cap. nuper. b. t. ut proinde locum habeat regula, quòd in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non esset concessurus c. qui ad agendum. de Procur. in 6. & quia d. cap. nuper. in quo familia Privilegia abrogantur, est constitutio Conciliaris, cui non derogatur sine expressa mentione, nihilominus tamen notabiles limitationes ex aliis Rotæ decisionibus ponit Pasqual. in addit. ad Lawret. de Francibus de contro. inter Ep. & Reg. p. 2. q. 72. n. 10. & seqq.* Quòd nimirum in generali communicatione Privilegiorum etiam veniat exemptio à Decimis, si communicatio sit talis, ut exprimat aliqua præjudicialia privilegia saltem in genere, vel adsit talis amplitudo verborum, ut significet mentem communicantis se extendere ad omnia. Item si in privilegio communicato, jam sit incerta clausula derogatoria dicti cap. nuper. quia privilegium communicans communicat privilegium cum suis qualitatibus. Præsertim si privilegium communicationis habeat annexam clausulam: *quorum tenores &c.* quæ operatur ut privilegia communicata censeantur in litteris communicationis de verbo ad verbum inserta. Accedit quòd privilegia exemptionum à Decimis dentur Religiosis intuitu laborum, quos sustinent in Ecclesia prædicando, & Sacramenta ministrando, ut dixit Rota *decif. 795. num. 27.* ergò æquitas suadere videtur, ut ejusmodi privilegia ad Religiosos communicantes, qui similes labores subeunt, pariter extendantur.

Per consuetudinem quoque dari immunitatem à solvendis decimis verior est sententia, ita enim videmus Decimas personales, item Decimas minutas passim abrogatas esse, sicut attestantur DD. qui in diversis Europæ partibus de Decimis scripserunt. Sed hoc cum generali illa limitatione accipiendum est, si nimirum Parochus per talem consuetudinem congrua sustentatio non subtrahatur, præterea rectè advertit Paulus Layn. in *Theol. moral. l. 4. tr. 7. c. 6. n. 11.* quavis regulariter ad introducendam consuetudinem adversus legem Ecclesiasticam 40. anni sufficiant; quia tamen lex decimarum obligat sub gravi peccato, non posse ordinariè immunitatem per consuetudinem nisi tempore immemoriali introduci, ex quo scilicet successores bona fide credant suis majoribus

ribus per privilegium aut alium titulum obligationem Decimarum remissam esse, nam alias locum habebit text. in *c. cum haberet. de eo qui duxit &c.* quod *d'iturvitas temporis peccatum non minuat, sed augmentet, & in c. fin. de consuet.* quod *tandem sint graviora crimina, quando diuina infelicem animam tenentur.*

- 6 Quod de consuetudine magis de *prescriptione* sentiendum est: cum enim *prescriptio* in eo differat à consuetudine, quod consuetudo inducatur ab aliqua communitate, *prescriptio* verò à singularibus personis: Sanè minùs præjudicabit Parocho si unus vel alter per *prescriptionem* à solutione Decimarum se eximat, quàm si tota communitas. Imò quamvis Laici Jus decimandi tanquam spirituale & propter spirituale ministerium competens acquirere non possint per supradicta, immunitatem tamen eos *prescribere* posse magis inter DD. convenit, quia per hanc nullum jus spirituale sed tantum potestatem fructus suos integros percipiendi consequuntur. *Cep. var. ref. l. 1. c. 17. n. 10. §.* Neque verum est, quod quidam docent ex *L. cum novissimi §. fin. C. de prescript. 30 ann.* obligationibus annuis absolute *prescribi* non posse, nam contrarium evincitur ex *c. de quarto. & c. ad audientiam de prescript. l. eos 22. C. de usur.* quod verò Imperator in *d. l. cum novissimi* dicit in iis obligationibus quæ dationem per singulos annos continent, *prescriptionis* tempus non ab exordio obligationis, sed ab initio cujusque anni computandum esse, &c. ita intelligi debet, quod circa obligationem annuam duæ quasi diversæ *prescriptiones* concurrant, una qua *prescribitur* ipsi principali & generali annuæ obligationi, quæ se habet respectu omnium præstationum annuarum, & altera, qua *prescribitur* obligationi speciali & secundariæ dandi res singulas annis singulis: in illa *prescriptio* computatur à die, quâ primitus in solutione cessatum est. *l. pen. in fin. C. de prescript. 30. ann.* in hac à singulis annis vel mensibus in quibus res illæ solvi debuissent. *d. l. cum novissimi §. fin. in pr.* Unde qui v. g. per 50. annos decimas bona fide non solvit, non tenebitur quidem illas decimas restituere quas primo decennio percepit, quia etiam respectu illarum 40. anni elapsi sunt, neque illas, quas ultimo decennio percepit, quia illæ post *prescriptionem* jam completam perceptæ sunt, illas verò, quas intermedijs 30. annis percepit, restituere omnino tenebitur, cum respectu illarum (numerando *prescriptionem* à singulis annis quibus solvi debuissent) ex defectu 40. annorum, necdum completa sit *prescriptio*. Quam eandem interpretationem quondam docuit Reverendissimus Dominus Gregorius Kimpfner nunc Abbas Schyrensis, Professor & antecessor meus de hac Universitate nostra olim sua præclarissima doctrina, nunc suis gratiis meritissimus. Videri quidem in contrarium facere, quod Imp. in *d. l. cum novissimi. §. fin.* exemplum subiciat de Emphyteuta (cujus etiam est obligatio annua) quod nullo temporis curriculo rem Emphyteuticam tanquam propriam *prescribere* possit. Sed, nisi fallor, ex illo exemplo nostra sententia non parum confirmatur; nam Imperator vult dicere, quamvis Emphyteuta possit *prescribere* obligationi dandi annuum Canonem (alias enim frustra præmisset qualiter *prescriptiones* circa obligationes annuas computari debeant) non tamen propterea possit præterdere quod res quoad dominium *directam* ad se pertineat, ex defectu scilicet possessionis, quam non habuit ut dominus *directus*, sed tantum ut Emphyteuta, quod si interverteretur Domino possessio v. g. per alienationem in eum, qui rem tanquam liberam & propriam possideret, tunc etiam usucapio quoad dominium *directum* procederet, ut advertit Gloss. in *d. §. fin. v. condutori. & in l. 2. v. usurpet. C. eod. tit.*

- 8 Sed *Quar. I.* Quanto tempore immunitas à solvendis decimis *prescribitur*? Distinguitur, an *prescriptio* prætendatur contra Ecclesiam Parochialem, vel contra aliam Ecclesiam aut Monasterium, vel omnino contra privatum Clericum aut Laicum, in primo casu requiritur cum titulo 40. annorum spatium, & sine titulo tempus immemorabile *c. 1. de prescript. in 6. §.* In secundo casu 40. anni etiam sine titulo sufficientiunt: & tertio, 10. cum titulo & sine titulo 30. juxta vulgata *prescriptionis* Jura. Ante omnia tamen in hac immunitatis, sicut in quavis alia *prescriptione bona fides* requiritur, *c. fin. de prescript.* ut scilicet immunitatem prætendens sine contumacia aut fraude justo errore ductus Decimas hætenus solvere recusat, puta quia agrum tanquam immunem à Decimis emit, venditore privilegium vel compositionem cum Parocho factam allegante, vel quia putativum privilegium habet aut sui antecessores nunquam ab hominum memoria Decimas persolverint. *text. in l. fin. ff. pro suo.*

- 10 *Quaritur II.* An is, qui bona fide per 10. vel 20. annos Decimas Ecclesie non solvit, si ex postfacto ad solutionem

Decimarum condemnatur, teneatur non tantum Decimas futuri, sed etiam præteriti temporis persolvere? videtur quidem negativè respondendum, cum passim inter DD. conveniat, bonæ fidei possessorem, à quo res possessa per sententiam evincitur, non teneri ad restitutionem fructuum consumptorum, *§. si quis à non Domino. 35. Inst. de rer. divis. neque extantiam, quos bona fide per triennium possedit, & consequenter usucepit. Barb. in l. 4. §. fructus ff. de usucap. Reyger. in thesauro Jur. v. fructus num. 57.* Quod autem *prescriptio* triennis & quilibet minor decennio etiam contra Ecclesiam procedat, communis est DD. in *auth. quas actiones. C. de SS. Eccles.*

Verum hac ratione dubitandi non obstante, puto etiam Decimas præteriti temporis restituendas esse, nisi respectu singularum annorum quadragenaria *prescriptio* intervenerit, etenim alia est ratio fructuum ex re aliena perceptorum & alia Decimarum, in fructibus *prescribitur* dominium verum & irrevocabile, cum priùs fuerint reverà alieni & tantum in quasi seu revocabili dominio possessoris, ad eum principaliter effectum, ut exclusa actione in factum possessor eos jure consumere potuerit, *Harp. in d. §. si quis à non Domino. n. 56. & seq.* In Decimis autem *prescribitur* obligationi, & actioni tanquam in quibus Ecclesia necdum in sui præjudicium dominium habuerit, sed actionem seu conditionem ex Canone *gl. in c. tua nobis b. v.* Constat verò, obligationes & actiones regulariter esse perpetuas & durare usque ad 30. & contra Ecclesias usque ad 40. annos. *Princip. Inst. de perpet. & temp. act. junct. L. omnes & L. sicut C. de prescript. 30. annor.* neque in Decimis rectè applicatur illa regula: quod possessor bonæ fidei lucratur fructus, cum Decimæ respectu Parocho non se habeant per modum accessorij & fructuum, sed ipsæ per se principaliter sint in obligatione. Sicut si heres frumentum defuncto mutuatum ignarus mutui tanquam proprium consumpserit, non ideo minus ex mutuo tenebitur.

Sed nunquid verius est, quod docet Pan. in *c. commissum & in c. tua nobis b. t. num. 12.* Decimas ante solutionem esse in dominio Ecclesie propter text. in *c. modicamine 16. q. 1. ubi vindicatio* pro Decimis conceditur, quæ non nisi domino competere solet. *L. in rem ff. de rei vind. & arg. l. ut inter. C. de SS. Eccles.* in qua communiter notant Interpretes, quod dominium in Ecclesiam etiam sine traditione transferatur. R. hanc sententiam Panorm. procedere in quantum est Ecclesie favorabilis, ut scilicet possit Decimas à tertio possessore vindicare. *C. cum non sit. & c. paschalis b. t.* ut bonis parochiani subhastatis in Decimis extantibus ante omnes privilegiatos creditores ponatur. *L. si ventri §. in bonis ff. de Privil. Cred.* Non autem si exinde aliquod præjudicium Ecclesie inferatur, si propterea breviori *prescriptione* damnificetur, ne quod in favorem Ecclesie est introductum, in ejus odium retorqueatur *C. quiddam ob gratiam de R. I. in 6.*

Quemadmodum in simili pupillus (à quo bonum est argumentum ad Ecclesiam, *c. 1. de in integ. rest.*) si absque tutoris autoritate mutuam det pecuniam, vel solvat debitori, manet quidem adhuc Dominus pecuniæ mutuatæ vel solutæ, & si extet, eam vindicare potest, *l. non omnis 19. §. 1. ff. de reb. cred. l. quid si 14. §. fin. ff. de solut.* Sin autem pecunia consumpta fuerit aut perierit penes accipientes, pupillus in sui præjudicium non censetur habuisse dominium, sed mutuam vel solutio convalescet, & conditionem in mutuo, vel liberationem in soluto operabitur; ob eandem scilicet causam *ne quidem in favorem, &c.* ¶ Pariter Clericus minorennis in beneficialibus causis habetur pro majorennis, unde & in ijs procuratorem constituere vel ipsemet agere poterit *C. fin. de judic. in 6.* Sed & hoc dum de favore ejus agitur, quid ergo si inconsulta facilitate ductus suum beneficium resignaverit, an exemplo minorennium læsorum in integrum restituatur? Affirmativa magis recepta est, ex eodem iterum fundamento, *ne quod in favorum. Covar. var. ref. lib. 1. c. 5. nu. 3. Zoef. ad tit. Decret. de in integr. restit. n. 4.*

13 *Quaritur III.* Qualiter immunitas à solvendis Decimis per contractum acquiri possit? quod per gratuitam & liberalem compositionem, item etiam pro re aut Jure aliquo spirituali (v. g. si Religiosi obligati ad solvendas Decimas pro immunitate se obligent ad faciendas conditiones in Ecclesia parochiali) immunitas rectè acquiratur, satis colligitur ex *c. statumus & c. veniens de transact.* ¶ ita tamen, ut nisi Superioris Autoritas interveniat, talis contractus minimè obliget Parochum successorem. *d. c. veniens.* quamvis enim successor hereditatis factum sui defuncti præstare debeat, ex cujus Persona lucrum sentit, & cum in eum omnes regulariter actiones passivæ, & activæ tran-

seant, *L. cum a matre, C. de rei vind. l. ex qua persona, 149. Et l. qui in Jus 7. ff. de reg. jur.* Successor tamen in dignitate vel officio, cum omne suum Jus non à defuncto, sed ab electione, institutione vel concessione superioris habeat, regulariter non tenetur stare pacto sui antecessoris, si illud pactum non sit jam absolutum & expeditum (ut venditio, donatio &c. circa res sine solemnitate alienabiles) sed habeat causam continuam, & etiam successorem obligare deberet ad aliquid de presenti faciendum vel patiendum, ut in remissione Decimarum in futurum, in locatione rei Ecclesiasticæ & similibus, nisi tale pactum nomine Ecclesiæ scilicet cum consensu superioris (vel in maioribus Ecclesiis cum consensu Capituli) factum sit, *Covar. var. res. lib. 2. c. 15. nu. 6. Gutier. can. qq. lib. 1. c. 36.*

85 *Quæritur IV.* Quis in proposito veniat nomine superioris? differant inter se DD. in priori questione citati, in altero Episcopi, in altero Summi Pontificis autoritas desideratur. Libenter dicerem, Monachos, de quibus in *d. cap. veniens* agitur, fuisse exemptos, vel sub immediata Jurisdictione Papæ, sed quia non habeo hujus assertionis speciale fundamentum, idèd satis placet, quod pro concordatione dicit Panor. in *d. cap. statuiimus*. Nimirum distinguendum esse, an liberatio à Decimis per contractum quærat in perpetuum vel tantum ad tempus: in primo casu, quia relaxatur Jus commune & contractus induit speciem privilegii, requireretur consensus seu autoritas Papalis, in altero autem casu Episcopalis sufficere. Item solam Episcopi Autoritatem sufficere censet Panor. *d. l. si contractus fiat super Jure decimandi dubio & controverso*. Licet autem per *d. c. veniens*, in transactione (quæ tantum fieri potest super re dubia. *l. 1. de transact.*) requiratur Consensus Papalis. Nihilominus illum text. de transactione sine causæ cognitione, & evidenti utilitate Ecclesiæ Parochialis inita intelligit *gl. in dict. cap. statuiimus*, Barb. in *ead. cap. veniens num. 3*. Porro quod de Episcopo dicitur, de Abbatibus quoque sentiendum est circa Parochias suis monasteriis pleno Jure incorporatas, quia ex communi DD. sententia per talem incorporationem, Jurisdictionem quasi Episcopalem acquirunt, ut inter alia etiam autoritatem in alienatione rerum ad hujusmodi Parochias pertinentium interponere valeant, Pan. in *d. c. statuiimus*, de *transact. n. 4. Innoc. in cap. statuiimus, in fine, gl. in Clem. 1. in v. proprii de reb. Eccles. non alien. Kok. de Jurisd. in exempt. pag. 1. q. 9. nu. 7. & pag. 4. q. 20.*

86 *Quæritur V.* An immunitas à solvendis Decimis pro pecunia vel alia re temporali acquiri possit? Negative favet text. in *cap. fin. de rerum permutat.* eamque multi DD. sequuntur cum Henr. Canif. de Decimis *cap. 17. num. 18*. Sed videtur mihi affirmativa satis probabiliter defendi posse hoc saltem sensu, quod per contractum v. g. emptionis, qui initur super immunitate, censeantur Decimæ, quatenus considerantur ut fructus imposteriorum nascituri, & decimationi obnoxii in proprio agro emi seu acquiri. Etenim valere emptionem fructuum, qui nascituri sunt, text. est in *l. nec emptio 8. De contrah. empt.* Item quod rem, quæ mea est, possim emere sub conditione, & in illum eventum, ubi mea esse desierit, aperit probatur ex *l. existimo, 61. ff. jam dicto tit.* unde rectè advertit Barb. in *d. cap. fin. num. 2*. Moneta de Decimis, *cap. 5. num. 130*. quod in illo *cap. fin.* pecunia data sit pro decimationibus id est Jure decimandi in alienis fundis, non verò pro immunitate, & fructibus in proprio agro percipiendis. Dices: saltem Parochus accipiendo pecuniam pro immunitate vendit Jus decimandi, quod in agro habuit, vendere autem Jus decimandi quod spirituale est, simonia censetur *d. cap. fin.* Resp. non esse propriè venditionem Juris decimandi, sed fructuum nasciturorum, ut dictum. Si enim esset propria venditio Juris decimandi, deberet id emptori acquiri, emptor autem non percipit fructus tanquam decimator, sed tanquam Dominus, & ut jam ab onere Decimarum liberus, sicut superius etiam de præscribente immunitatem traditum.

87 *Quæritur VI.* Utrum pauperes, qui non plus colligunt ex fructibus, nisi quantum sibi & suæ familiæ sufficit ad alimentationem, sint immunes à solvendis Decimis? Pro affirmativa, quam tenuit Melendus antiquus Canonista apud Innoc. in *c. licet de cens. facit*, quod non videatur Eccles. velle obligare pauperes ad dandas Decimas, quæ jubet, ut Clericis pauperibus liberaliter subveniant, *C. aurum 12. q. 1.* E contra negativam communiter amplectuntur DD. cum *gl. fin. in cap. quia tua 12. q. 1. Sylv. de Decim. num. 13. Rebuff. de Decim. q. 15. n. 14.* Eò quod Decimæ solvendæ sint instar debiti, *C. Paroch. b. 1.* in debito autem non habeatur paupertatis respectus, nisi postquam debitor *bons cessis*, & propterea quod ad solvendas Decimas non tantum personæ, sed agri & fundi

ipsi obligati censeantur, *C. de terris, b. 1.* debeanturque Decimæ Deo in recognitionem universalis dominii, quod non tantum divites sed & pauperes oportet recognoscere. Utramque sententiam ita conciliandam esse puto, quod pauperes à solvendis Decimis ipso Jure quidem liberati non sint, debeat tamen ipsis remissio per Parochos fieri, *Panorm. inc. cum homines num. 5. b. 1. Suar. de Relig. tom. 1. l. 1. cap. 16. sub num. 16*

Quæritur VII. Pro coronide hujus materiæ decimarum, quis in causa decimarum sit Judex competens? Resp. Causam decimarum (si petitorio agatur) accenseri spiritualibus, *argum. d. c. fin. de rerum permut. cap. Parochianis, & cap. tua 25. b. 1.* Ideoque regulariter ad Judicium Ecclesiasticum pertinere, *d. c. tua c. 2. de iudic. dico, si petitorio agatur*, nam si solum agatur possessorio iudicio, & v. g. Parochus vel alius Ecclesiasticus conveniat Laicum *interdicto adipiscendæ, retinendæ, vel recuperandæ possessionis*, quærat, an Decimæ sine fraude & integræ solutæ sint, &c. plurimorum est opinio hanc cognitionem esse mixti fori & etiam ad Laicum Judicem pertinere, *argum. cap. 2. de iure jur. in 6. junct. c. ult. de foro comp. in 6.* ubi executio Juramenti (quod utique spirituale est) ad utrumque Judicem pertinet, diversa enim est possessio à proprietate, *l. naturaliter, 12. §. 1. ff. de acquir. poss. Henr. Canif. de Decim. c. 18. n. 13.* Idem est, si ex contractu actio intemetur, quæ non tam Jus decimandi quam ipsos fructus concernat, v. g. pro mercede locationis vel pretio emptionis solvendo, &c. Si tamen contra Ecclesiam vel Ecclesiasticum agatur possessorio, vel alia actione, tantum Ecclesiasticus Judex erit, *c. si diligenti de foro comp.*

Quid, si Laicus contra Laicum agat petitorio iudicio super Decimis ante Concil. Later. vel per Privilegium acquisitis, & actor Decimas ab altero possessas titulo hereditatis, legati, empti &c. ad se pertinere contendat? Resp. non videri improbabile, tales Decimas præsertim consuetudine accedente censei inter alias res patrimoniales Laici, quæ iudicio sæculari subjacent, dummodò non simul involvatur questio tangens radicem Juris decimandi ex SS. Canonibus dependentem, veluti an Privilegium, infeudatio, vel alienatio Jure Canonico subsisterit, articulus a Judice Ecclesiastico decidendus foret, *argument. cap. tuam de ordinat. cognit.*

C A P U T II.

De Primitiis, & Oblationibus.

S U M M A R I A.

- 1 Differentia inter Decimas, Primitias, & Oblationes.
- 2 Quid debeatur nomine Primitiarum.
- 3 Primitia possunt abrogari per consuetudinem.
- 4 Ex communi sententia non est præceptum faciendi oblationes.
- 5 In actibus meræ voluntatis non inducitur consuetudo.
- 6 Quo fundamento procedat consuetudo circa oblationes.
- 7 Etiam stante consuetudine non peccat, qui aliquando omittit facere oblationes.
- 8 Parochianis non facientibus oblationes non debet Parochus negare Sacramenta.
- 9 Regulariter oblationes intra fines Parochiæ factæ pertinent ad Parochiam.
- 10 Oblationes factæ in Ecclesiis Regularium pertinent ad Regulares, de funeralibus tamen debetur Parochi portio Canonica.

Inter Decimas, Primitias, & Oblationes hanc constat esse differentiam, quod Decimæ singulis annis in recognitionem universalis Dominii de omnibus fructibus, Primitia tantum semel de primis fructibus Novalium agrorum, & animalium in signum gratitudinis erga Deum, Oblationes sine determinatione temporis, qualitatis aut quantitatis ex causa devotionis persolvantur.

Discussa materia Decimarum circa Primitias, & Oblationes.

Quæritur I. An nomine Primitiarum omnes primi fructus debeantur? Resp. Primitiarum nomine in fructibus agrorum tantum portionem aliquam quæ quadragesimam partem

tem ipsorum fructuum non excedat, in animalibus vero non ipsum primogenitum in natura, sed de ejus æstimatione quadragessimam vel sexagesimam partem, juxta locorum consuetudinem persolvendam esse, t. & *gl. in cap. 1. de Decimis.*

3 *Quæritur II.* An Primitiæ per contrariam consuetudinem abrogari possint? Resp. Affirmativè, ita enim vix alicubi videmus Primitiis exsolvi, & quamvis Primitiæ debeantur ex præcepto, tamen hoc præceptum in nova lege non esse Juris Divini probabiliter existimo, quemadmodum supra de præcepto solvendi Decimas dictum est. Neque obstat, quod primitiæ debeantur ex gratitudine erga Deum, gratitudo autem consuetudine tolli non possit, nam respondetur, quod quidem gratitudo in genere (id est, ut aliquis non teneatur esse gratus erga Deum) utique nulla ratione tolli possit, in specie autem, ut ex causa gratitudinis præcisè hoc vel illud solvi debeat, non apparet, cur tilli nequeat, possunt enim homines per preces aut alia pietatis opera suam erga DEUM gratitudinem demonstrare.

4 *Quæritur III.* An sit præceptum aliquod, ex quo Parochiani cogantur certis temporibus Oblationes facere? Difficultatem movet, *cap. omnis Christianus 69. De Consecr. dist. 1.* ubi hæc verba leguntur: *Omnis Christianus procurat ad Missarum solemniam aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam quod Deus per Moysen dixit, non apparebis in conspectu meo vacuus. Etenim in collectis SS. Patrum liquidè apparet, ut omnes Christiani offerre aliquid DEO ex usu SS. Patrum debeant, &c.* Verum communis est sententia, nullum esse præceptum de Oblationibus faciendis, imò de ratione Oblationis esse ut sit spontanea juxta illud *Exodi, Ab omni homine, qui offert ultionem, accipietis eam,* textum vero in *d. cap. omnis Christianus,* cum *Glof. DD.* intelligunt procedere in casu, quo Parochus congruam sustentationem ex Decimis non haberet, *Pan. ad rub. de Parochiis, n. 3. Gutierrez Canon. qq. lib. 2. q. 21. n. 139. & seq.* Ego quid in hac questione sentiam, ex resolutione sequentis questionis apparebit.

5 *Quæritur IV.* Utrum per consuetudinem obligari possint Parochiani ad præstandas certas Oblationes? In affirmativam passim conveniunt *DD. argum. c. ad Apostolicam, 42. de Simonia.* Sed videtur non leviter obviare generalis doctrina, quam tradunt *Interp. in c. Abbate de V. S. & in l. 2. ff. de via pub.* quod in actibus meræ voluntatis non introducitur consuetudo neque præscriptio. Respondet quidem *Gutierrez Canon. qq. lib. 2. cap. 21. num. 144.* hanc doctrinam fallere quando de favore Ecclesiæ agitur; quæ tamen responsio non videtur in Jure aliquod solidum fundamentum habere, neque probatur in *c. veniens 10. de testib.* quod allegat *Gutier.* in quo licet dicatur, quod Parochiani consueverint vinum beneficiato dare, non tamen ibi exprimitur, qualiter hæc consuetudo introducta sit, ex pacto, vel propter necessariam sustentationem Parochi, &c.

6 Quare puto hanc difficultatem aliter solvendam esse, & ut liberè dicam, quod sentio, ad summum concedo Oblationes quoad quantitatem & qualitatem esse meræ facultatis, in genere autem & quoad se existimo habere aliquod principium obligationis ex Jure divino *ex cap. 23. Exodi* acceptum in nova lege per usum *SS. Patrum,* ut ex *d. cap. omnis Christianus, distinct. de consecr. satis* apparet. Enimverò mihi planè persuadeo autoritate text. nimis clari in *d. c. omnis Christianus.* olim in Ecclesia fuisse generalem usum per illum Canonem confirmatum, ut fideles certis saltem anni festivitatis inter Missarum solemnias Oblationes facerent: quare si in aliquo loco fideles id ipsum etiam hodie observent, videntur vel illum Canonem ab antiquo retinuisse, vel de novo in usum deduxisse. Quod verò *gl. citatum Canonem* interpretetur procedere supposita necessitate Parochi; hanc interpretationem verbis textus generaliter loquentis non correspondere, & propterea misericordem esse notat aliqua glossella marginalis superaddita. Haud quidem disiteor quin Parochiani compelli possint ad faciendas Oblationes Parocho, si aliunde congruam sustentationem non habeat, id tamen non probatur nec dicitur in illo text. *c. omnis Christianus,* sed potius evincitur ex principio Juris Divini, & Naturalis ut is, qui servit Altari, vivat de Altari, &c.

Dices, si saltem quoad quantitatem & qualitatem Oblationes sunt meræ voluntatis, quomodo ergo per consuetudinem introduci potest, ut Parochiani teneantur hoc, & non aliud offerre, v.g. certam quantitatem cere, certum numerum ovorum, &c. Resp. Si tales Oblationes sint valdè ab antiquo fieri solitæ, & Parochus cæteroque nullas percipiat decimas minutas, planè credibile est, quod ejusmodi Oblationes nec quoad quantitatem & qualitatem sint meræ voluntatis,

sed sint surrogatæ in locum Decimarum *minutarum* argumentorum quæ infra de *Sepulturis quest. 12. vers. 4. cum Decime,* & Oblationes successisse in locum *primitiarum* usu abrogatarum cenlet *Rebuff. de decim. quest. 1. num. 25.* dicentur. Quod si autem Parochus simul percipiat Decimas minutas, vel non percipiat quidem, prædictæ tamen Oblationes in certa specie primùm ante decennium .v. gr. inceperint fieri, censo puncto juris esse conformius, in iis non aliter induci præscriptionem vel consuetudinem, quàm si Parochianis aliquando ab illis Oblationibus cessare volentibus Parochus bona fide (ductus sententia *Gutierrez supra num. 5. relata*) contradixerit, & ita Parochianos huic contradictioni acquiescentes in putativa obligatione, & se in possessione hujus Juris perpetuè percipiendi certas Oblationes constituerit, per ea, quæ docet *gloss. in l. quæ luminibus, ff. de servit. urb. prædior. Arnold. Rath. in tract. de usu cap. cap. 4. ass. 5. †* Cæterum circa hanc questionem adhuc notari potest, quod dicit *Sylv. verb. Decimæ num. 4.* Oblationes ratione consuetudinis esse in præcepto, quomodo est ipsa consuetudo, scilicet quod offerat major pars populi, non autem semper singuli de populo, sed solum pro majori parte solemnitatum, unde non erit alicui mortale si Oblationem nonnunquam intermittat.

7 *Quæritur V.* An si Parochiani per consuetudinem obligati ad faciendas Oblationes, aliquando recitent eas facere, licet Parocho propria autoritate sine Judicio Episcopi à Divinis Officiis & Sacramentorum administratione cessare? Resp. Negativè, tum quod sæpius ejusmodi consuetudines requirant causæ cognitionem, an legitimè introductæ sint, & Parochus non debeat esse Judex in propria causa: tum etiam & vel maximè quod talis cessatio à Divinis videretur habere aliquam speciem simoniæ, quasi verò Parochus tantum vellet Divina propter pecuniam, & Oblationes administrare, *argum. cap. cum in Ecclesia 6. De Simon. Gutier. d. c. 21. m. 152.*

8 *Quæritur VI.* Cujus sint Oblationes quæ non sunt immediate ipsi Parocho, sed vel alteri Sacerdoti celebranti, vel certæ alicui imagini aut in speciali quadam Capella? Resp. Nisi offerentes aliud intenderint, aut consuetudine, & præscriptione aliud introductum sit, omnes Oblationes intrâ fines alicujus Parochiæ factæ censentur esse de Jure Parochiali, & pertinere ad Parochum, *cap. Pastoralis, & c. quoniam, de Decim. Panor. in rub. de Paroch. num. 4. Zerola in praxi Episc. p. 1. v. Parochia, verb. ad quintum, & commaniter alii.* Notanter autem dixi, nisi offerentes aliud intenderint, nam si v. g. Capella vel Ecclesia, in qua fiunt ejusmodi Oblationes, indigeat ædificatione, reparatione, aut (propter modicam ejus dotem) necessaria conservatione, in dubio Oblationes in ea potius intuitu ipsius, quàm Parochi factæ censentur, & consequenter non Parocho sed Ecclesiæ seu Capellæ acquiruntur, *Ricc. in praxi aur. p. 4. resol. 297. Rebuff. de decim. q. 1. n. 30.*

9 *Quæritur VII.* An etiam Oblationes quæ fiunt in Ecclesiis Regularium in quibus ipsi Regulares non habent Jura Parochialia, pertinent ad Parochum? Affirmat *Azor. Institut. mor. par. lib. 7. cap. 27. quest. 13.* nisi Regulares speciali Privilegio aut præscriptione contra Parochum muniti sint. Verùm quia hæc sententia nullo juris fundamento subnixæ, est contrarium dicendum, cum *Pasqual. in addit. ad Laurent. de Franch. p. 2. q. 69. text. in cap. 1. de stat. Mon. & cap. nimis iniquus, De Excess. Præb. ubi disertis verbis statuitur,* quod nec Ordinarii locorum nec Parochi possint Regularibus circa Oblationes apud eos factas præjudicare. Quod faciunt etiam declarationes *Cardin. quas refert Pasqual. dict. leg. num. 3. & Petrus de Murga in suis quest. Pastor. par. 3. quest. 8. num. 7. & 8.* Quod nimirum Regulares possint in missa recipere Oblationes fidelium, dummodò à perambulationibus per Ecclesiam ac similibus Eleemosynarum extorsionibus abstineant. Quid autem dicendum sit de illis Oblationibus, quæ fiunt in Ecclesiis Regularium occasione sepulturæ, quam apud eos Parochianos aliquis eligit, inferius in cap. seq. dicitur nimirum quod de Jure ex his Oblationibus debeat Parocho *portio Canonica,* ut qui Sacramenta administrando onus habuit cum vivente, etiam de funere sentiat utilitatem.

CAPUT III.

De Sepulturis.

SUMMARI A.

- 1 Olim cadavera non licebat sepelire in Ecclesia.
- 2 Cur cadavera in locis sacris sepeliuntur.
- 3 Jus funerandi computatur inter Jura Parochialia.
- 4 Quilibet debet sepeliri in Ecclesia Parochiali nisi habeat sepulturam electam, vel Majorum.
- 5 Uxor sepeliri debet cum marito.
- 6 Quid, si sepulchra Majorum sint in diversis Ecclesiis.
- 7 Ad electionem sepulture qualis solemnitas vel probatio requiratur.
- 8 Non licet Religiosis Parochiam alienam ingredi ad tollendum funus.
- 9 Videtur congruum, ut maritus post uxorem defunctus cum eadem sepeliatur.
- 10 Prelatus Regularis potest sibi eligere sepulturam.
- 11 Religiosus decedens in loco remoto extra Monasterium potest sibi eligere sepulturam.
- 12 Novitius in Monasterio sepeliri debet, licet ante mortem fuisset in proposito redeundi ad seculum.
- 13 Cum Parochianus alibi eligit sepulturam, debetur Parochia portio Canonica, & quid veniat hoc nomine.
- 14 Qualiter prohibitum sit aliquem inducere ad eligendam sepulturam.
- 15 Tituli, ex quibus aliquid accipi potest in sepultura.
- 16 Non licet propter mortuaria non soluta corpus inhumatum relinquere.
- 17 Qui non gaudeant sepultura Ecclesiastica.
- 18 Gravis metus quando excuset à transgressione legis humanae.
- 19 Excommunicati etiam non denunciati privantur sepultura, nisi excommunicatio sit occulta.
- 20 Se ipsos occidentes qualiter privantur.
- 21 Duellantes quando privantur sepultura.
- 22 Suscipientem duellum honoris defendendi causa aliqui saltem in conscientia excusant, quod non videtur practice admittendum.
- 23 Etiam supposita sententia illa excusante occumbens, in tali duello privatur sepultura.
- 24 Multa sunt sine culpa vera, quae non fiunt sine culpa praesumpta.

Diverfos apud diversarum gentium Nationes extitisse modos procedendi cum corporibus defunctorum heroico carmine narrat Silius Italicus, & post illum Cassianus in *Catal. gloriae mundi* p.2. *confid. 5.* alibi feris, alibi igni, aquis alibi aut aeri lenta tabe diffluentia committebantur, &c. Sed inter Christianos usitatus mos est defunctorum corpora in terram defodere, ut juxta illud *Gen 3. cap. Homo de terra sumptus, & pulvis, rursus in terram, & pulverem revertatur.* In quem finem pie admodum Majores nostri cum ipsa nascente Ecclesia constituerunt cimiteria seu loca Deo consecrata, in quibus fidelium cadavera tumularentur, quamvis olim prohibitum fuerit, ne quisquam ipsa in Ecclesia (ubi Christus immolatur, cui mors ultra non dominabitur) sepeliretur, *cap. praecipuum 13. quest. 2.* postea tamen partim Jure, partim consuetudine introductum est, ut Episcopis, Abbatibus, aliisque piis & honestioribus praesertim Laicis in ipsa Ecclesia locus sepulture concederetur, *cap. nullus 13. quest. 2.*

2 Quod verò cadavera potius in locis sacratis maxime prope reuola constitutis, quam in profanis sepeliuntur, fit, ut minus à spiritibus immundis vexentur, ut animae consequantur patrocinium Sanctorum, quibus Ecclesia cum cimiterio dedicata est, ut vivi templum intrantes sapius in suis precibus defunctorum & ibi sepulorum memores reddantur, *c. cum gravius, & c. anima d. 9. 2.*

3 *Queritur* autem; an omnes Ecclesiae habeant Jus sepeliendi defunctos? *Resp.* Jus funerandi computandum esse inter Jura Parochialia, propterea cessante privilegio vel consuetudine ne quidem Monasteria quae populum aut Parochiam non habent, extraneos defunctos sepelire posse, praeter suos Religiosos Professos, & Hospites itidem Religiosos apud eos morientes, *cap. 1. 16. quest. 1. cap. in nostra 10. de sepulch. dico, cessante consuetudine; nam hodie omnia Monasteria vel ex privilegio vel consuetudine Jus sepeliendi defunctos habere, saltem si ibi sepulturam elegerint refert Lancellotus, in suis insit. de sepulch. §. 1. in gl. & si juxta textum*

in cap. 2. in fine h. t. in 6. valet electio sepulture etiam in loco minus Religioso, ergò multò magis hodie in quolibet loco Religioso sepultura eligi poterit. Ceterum jus sepeliendi ac cimiterium alicui Ecclesiae per Episcopum rectè concedi, decisionem Rotae adducit Barb. de off. Par. par. 3. cap. 26. num. 14.

Queritur II. An ergò quilibet in sua Ecclesia Parochiali vel ejus cimiterio sepeliendus sit. *Resp.* Imprimis attendendum esse, an defunctus certam aliquam sepulturam in alia, quam sua Ecclesia Parochiali elegerit, quod cum Jura omnibus permittant etiam filiolam, sine consensu patris, etiam in quacunque Ecclesia vel cimiterio ejus voluntatem implere modis omnibus oportet, *cap. 4. 13. quest. 2. cap. 1. Ext. de sepulch. cap. 4. & passim, eod. in 6.* Sin autem intestatus quis decesserit, cujus tamen Majores certam pro sua familia constituerint sepulturam in hac potius, quam Ecclesia Parochiali tumulari debet, *cap. 2. & 3. h. t. in 6.* Quod si denique nec defunctus ipse, nec Majores ejus certum sepulture locum sibi determinaverint, ad Ecclesiam suam Parochialem, quamvis extra eam mortuus fuerit, deferendus erit, dummodo ad illam commodè deferri possit, *d. cap. 3. h. t. in 6.* adè ut si quis alienum parochianum contra jus proprii Parochi sepelierit, possit ad restitutionem cadaveris, cum omnibus, quae occasione sepulture quomodolibet acceperit, conveniri, *cap. ex parte, & cap. cum liberum, h. t. cap. 1. eod. in 6.* Porro nomine Parochiae non tantum venit locus, ubi quis verum domicilium habitationis perpetuae tanquam civis, & incola collocavit, sed etiam quasi domicilium, si nimirum in loco per notabile tempus, ut per majorem anni partem, aut de facto habitavit, aut saltem animo habitandi advenerit, istud enim quasi domicilium ex recepta DD. sententia fundat jurisdictionem fori penitentialis ad recipienda Sacramenta, & Ecclesiasticam sepulturam, *Sanch. de Matrim. lib. 3. disp. 23. num. 12. Tusc. L. S. Concil. 198. num. 7.* decisum est tamen *in c. 3. h. t. in 6.* quod habens domicilium in civitate vel castro quando se transfert in villam recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura ibidem decedat, non in Ecclesia dictae villae, sed in sua Parochiali, vel sepultura Majorum debeat sepeliri. Si defunctus in duobus locis aequaliter domicilium habuit, v.g. in uno per aetatem, in altero per hyemem, & in duabus Ecclesiis Parochialibus Sacramenta frequentare soleat in illa sepeliatur, in qua decessit, vel si extra utramque mortuus sit, ad quam arbitrio propinquorum facilius deportari poterit, ubi enim duo vel plures habent aequale jus & singuli in solidum ad rem, ordinariè melior solet esse praecoccupantis conditio, *argum. cap. cum plures, 8. de offic. deleg. in 6.*

*Circa uxores speciale est, quòd sicut in vivis relicta familia propria secuta sunt viros suos, ita post mortem non in sepulchro familiae, sed maritorum tumulandae sunt, nisi propriam sibiimet elegerint sepulturam, vel nisi divortium perpetuum ex causa adulterii vel haeresis (secus si temporale tantum ex causa saevitiae, vel morbi contagiosi) intervenerit, nec id ante mortem reconciliatum sit. Quòd si aliqua plures successivè maritos habuerit, cum ultimo, cujus nomen & statum retinuit, sepeliatur, *text. & DD. in cap. unaquaque, 13. quest. 2. cap. 3. h. t. in 6.**

Queritur III. Quid dicendum, si sepulchra Majorum sint 6 in diversis Ecclesiis. *Resp.* In hac quaestione tres casus esse distinguendos. I. Si in una Ecclesia sepultus sit Abavus, Proavus; in alia verò Pater & Avus, filius propter majorem conjunctionem cum Patre & Avo sepeliatur. II. Si Avus, Proavus, & Abavus in uno loco sepulti sint, Pater verò elegerit sepeliri in alio, filius non cum patre, sed potius cum Avo & Proavo sepeliatur, *per text. in cap. fraturnitatem, Ext. & cap. is qui h. t. in 6.* ubi dicitur, quemlibet in eo loco sepeliendum esse, in quo parentes, & majores ab antiquo soliti sunt tumulari. III. Si Pater, Avus, & Proavus in diversis locis tumulari sint, nonnulli censent, filium in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, quasi hoc casu cesset sepulchrum Majorum; alii contra volunt, Patrem sequi debere, *authoritate text. in cap. unaquaque que 13. quest. 4. §. item in novo vid. Sylv. v. sepultura num. 8.* Mihi prior sententia videtur verior, pro conciliatione tamen alteram tunc amplector, si pater non simpliciter pro se tantum, sed univèrsim pro sua familia sepulturam elegerit, de quo casu non obscure loquitur *text. in d. §. item in novo.*

Queritur IV. Utum ad electionem sepulture requiratur aliqua solemnitas? *Resp.* Quamvis electio sepulture sit species ultimarum voluntatum, *ut per gloss. addit in cap. 1. h. t. in 6. in verb. praedictos, argum. cap. ultimus, 13. quest. 2.* Nihilominus tamen cum sit dispositio ad pias causas, probabilius judico, nulla alia solemnitate muniri debere, nisi quòd eligens

eligens sit pubes. *c. pen. h. t. in 6. compos mentis*, & scienter constat de ejus voluntate. Nam quod favore militiæ in *tit. de militari testamento*. & favore Patriæ potestatis in *L. hac confiditissima. §. ex imperfecto. C. de testam. concessum est*, ut testamentum militis, & patris inter liberos nullam solennitatem, sed tantum probationem requirat, idem etiam DD. communiter & rectè ad *pias causas*, favore earundem, & propter salutem animæ, pro qua defunctus tale testamentum fecit, extendunt, & ita ut ne quidem duo testes de quibus sit mentio in *c. relatum 11. de testam.*, ad substantiam necessarij sint. *Cov. in cap. relatum. n. 12. Tyraquel. de privilegio pie cause, privilegio 2.* Quod verò ad probationem electionis sepulturæ attinet, illa non minus exacta requiritur, quia licet præjudicium Parochialis Ecclesiæ interveniat, id tamen non est valde notabile. Unde electionem sepulturæ probari posse per testes singulares, & unum etiam concurrentibus adminiculis, & quidem per solum Confessarium, cui tanquam interpreti voluntatis defuncti sit fides habenda, *arg. l. 1. in fin. & ibi DD. ff. de V. O. tradit Pasqual. in addit. ad Lauret de Franch. in controuv. inter Episc. & Regul. p. 2. q. 64. n. 3 & seqq.* Solum tamen propositum eligendi sepulturam, antequam quis actu eligat, nihil operatur, *Lauret de Franch. d. q. 64.*

8 *Quer. V.* An Religiosi, quibus vel ob electam sepulturam vel sepulchrum Majorum Jus funerandi cadaver competit, possint propria auctoritate illud de domo tollere, & per alienam Parochiam processionaliter ad suam Ecclesiam deferre? Resp. Omnium primò attendendam esse loci consuetudinem, vel specialia pacta cum Parocho inita, *argum. cap. 1. de past. in 6.* Cæterum abstrahendo à speciali consuetudine, pacto vel privilegio, Juri conformius censeo non licere ad tollendum funus alienam Parochiam sine licentia Parochi ingredi, *arg. c. an. 1. 3. q. 1. pro qua sententia etiam Bullam Leonis X. allegat Zyprus in Annal. Jur. Pontif. tit. de sepult. n. 5. & seqq.* eo ferè modo, quo de Jure Civ. cuilibet quidem competit Jus venandi, alienum tamen fundum ingredi à domino prohiberi potest, *§. ferè 12. Ideo rer. divis.* Notandum proinde est, quod Parochi corpora defunctorum in Ecclesiis Religiosorum humana usque ad Ecclesiæ præfatas associare possint, & ibi permanere, non tamen cum stola, neque ibidem decantantes aut aliam functionem facientes, *ita ex Declar. Cardin. & Tamburino docet Petrus de Murga in quest. past. par. 3. quest. 7. num. 6.*

9 *Quer. VI.* An si uxor specialem sepulturam sibi elegerit, & ante Maritum defungatur, debeat Maritus postea sine electione sepulturæ decedens cum illa sepeliri? Panormitan. quamvis prima fronte id affirmaverit, tamen mox in negativam magis propendere videtur, *in cap. de uxore hoc tit. num. 7.* eo quod Jura tantum de Uxore loquantur, neque fæmineo vocabulo masculi contineantur, ut ait J. C. in *l. si ita scriptum de leg. 2.* & uxor quidem Virum, non autem Vir Uxorem sequatur.

Ego puto non improbabiler hoc modo distingui posse; ut siquidem Maritus habuerit *sepulchrum Majorum* debeat potius exemplo Patriarcharum cum suis Patribus tumulari. Sin autem nec specialiter electam nec sepulturam Majorum habeat, & matrimonium in concordiam transactum sit, existimo satis congruè dici posse maritum potius cum Uxore, quam in Ecclesia Parochiali sepeliendum esse, etenim propter individuum vitæ societatem, affectionem & unionem conjugalem Jus disposuit, ut uxor sepeliretur cum marito; quæ ratio cum etiam ex parte mariti procedat, idem sanè, & circa hunc statuendum erit, *cap. inter corporalia, vers. sicut ergo De transl. Episc.* quæ extensio Juris satis ex præsumpta voluntate Mariti defuncti induci potest, si enim sciens uxoris electam sepulturam non facit contrariam dispositionem, videtur planè ob maritalem affectionem eandem tacitè saltem etiam elegerit, *et quorum mens una fuit in Domino, eorum quoque corpora sepultura non separaret, sicut in simili dicitur, in cap. unaqueque 13. qu. 2.*

10 *Quer. VII.* An Prælati Regularis possit sibi eligere sepulturam? Affirmativa communis est apud Pasqual. *in addit. ad Lauret de Franch. p. 2. qu. 61. num. 3.* argum. à contrario sensu *cap. fin. hoc tit. in 6.* nam ibi decernitur Religiosos non posse sibi eligere sepulturam, qui cum alterius potestati subiecti sint, velle proprium non habent: unde cum Prælati circa ea quæ pertinent ad Regimen Conventus & sui ipsorum habeant suum velle, poterunt eligere. Verùm advertendum esse ait Pasqual. *d. l.* quod hujusmodi electio sicut quælibet potestas debeat esse rationalis, unde nullam fore censet electionem Sepulturæ, si eligeret Prælati in loco, quod deferri non posset sine notabilibus expensis: aut si ex tali electione lade-

Man. Paroch. P. Ludov. Engel.

retur honor & bona opinio Religionis, sicut læderetur, si non appareret specialis prærogativa loci electi, quæ esset præponderans motivum ad relinquendam rationabiliter Sepulturam in proprio Monasterio.

11 *Quer. VIII.* An Religiosi inferiores possint sibi eligere Sepulturam, si extra Monasteria decedant? etiam hic affirmativa communior, & probabilior est, dummodo Religiosus ita remotè à suo Monasterio decedat, ut ad id commodè deportari non possit. Nam in *c. fin. h. t. in 6.* ubi Religiosus interdicatur electio Sepulturæ, apertè additur hæc exceptio, nisi tam remotè à Monasteriis moriantur, ut commodè ad ipsa deferri nequeant, *Pasq. dict. par. 2. quest. 60. num. 3. & plurimi apud eum cit. faciunt text. in cap. nimis iniqua 10. de excess. Prælator.*

12 *Quer. IX.* An Novitius qui sine electione sepulturæ decedit, sepeliendus sit in Monasterio vel Ecclesia sua Parochiali? Pro Ecclesia Parochiali respondet Pet. de Ubaldis *de Canon. Episc. n. 34.* Angelus *in v. sepult. m. 26.* eo quod Novitii non sint verè Religiosi seu de corpore Monasterij. Nihilominus dicendum est, Novitios in ipso Monasterio sepeliri debere, quia quoad plerosque effectus (extra votorum obligationem) Religiosus connumeratur; nimirum quoad Sacramentorum perceptionem, privilegium Canonis, *cap. Religiosi de sentent. excom. in 6. & fori, Navar. Conf. 5. & 6. de foro comp.* Sed quid si Novitius ante mortem fuisse in proposito redeundi ad sæculum, nunquid, quia tunc elegerit mori in sæculo, censendus foret etiam extra Monasterium elegerit sepulturam? Negativa verior est contra Sylv. *verb. sepultura, quest. 8.* quia solum propositum non extrahit Novitium à statu Novitiorum, sicut nec voluntas mutandi Parochiam subtrahit à Jure Parochi, *arg. l. domicilium, ff. ad municipalem, §. 6.* Sed requiritur factum solvens illum contractum, quo Novitius se tradidit experiendum Religioni, & ipse acceptavit Religionem experiendam, *Lauret de Franch. in controuv. inter Episc. & Regul. p. 2. q. 57.*

13 *Quer. X.* Quid Juris habeat Parochus, si Parochianus alibi elegerit sepulturam? Resp. Quod debeat ipsi portio canonica de iis, quæ alteri Ecclesiæ, ubi sepultura electa est, occasione funeris obveniunt, ut qui Sacramenta ministrando onus habuit cum vivente, post mortem ejus etiam de funere aliquod emolumentum participet. Si quis in duobus locis æqualiter habuerit domicilium in tertio elegerit sepulturam, portio Canonica inter utriusque Ecclesiæ domicilia dividenda erit, *cap. 2. hoc tit. in 6.* & quidem si de puncto Juris communis præsertim antiqui loquamur, hæc portio aliquando est dimidia, aliquando tertia. Et aliquando quarta pars pro cuiusvis loci consuetudine, non tantum de candelis, oblationibus, panno tumbæ, &c. sed etiam de omnibus quæ vel titulo institutionis vel legati defunctus pro anima sua Ecclesiæ electæ sepulturæ reliquerit, *cap. 4. cum super, cap. certis, cap. in nostra de sepulturis.* Specialiter tamen excipitur *in cap. fin. de testam.* Quod non sit solvenda portio Canonica de his quæ pro fabrica Ecclesiæ, pro ornamentis, luminaribus, Anniversario, septimo, vigesimo, trigesimo die, sive aliis ad perpetuum cultum Divinum legantur, & quamvis in *Clem. dudum, de sepultura d. cap. fin.* videatur abrogatum, nihilominus gloss. *in dict. Clem. in §. verum,* & Covar. *in cap. officii de testam. in 6.* censent, eandem Clementinam utpotè correctoriam, & strictæ interpretationis non esse ultra PP. Prædicatores & Minores, de quibus loquitur, extendendam; dixi porò de puncto Juris communis hæc ita procedere: Namper Bullas, & Privilegia specialia, item multorum locorum consuetudinem, Monasteria, & Religiosorum Ordines, vel nullam omninò portionem Canoniam, vel non nisi de funeralibus propriè dictis, quæ scilicet eodem die cum funere deferuntur, uti sunt candelæ, pannus, oblationes, &c. perolvere tenentur. Sicut etiam dict. *Clem. Dudum;* circa portionem Canoniam respectu Prædicatorum per Privilegium Sixti, & respectu Minorum per Privilegium Pii Quinti abrogatam esse refert, Sylv. *verb. portio Canonica in fin. & Meranda in Manual. Prælat. tom. 2. quest. 48. art. 8.* vide etiam Tambur. *de Jur. Abb. tom. 1. disp. 15. quest. 17.* Molina *de I. & I. tract. 2. disp. 215.*

14 *Quer. XI.* An liceat Religiosis aut Clericis aliquem inducere vel persuadere, ut in suis Ecclesiis eligat sepulturam? Resp. Id sub pœna excommunicationis Sancti Pontifici reservatæ, & restitutionis cadaveris jam sepulti prohibitum esse *in cap. 1. de sepult. in 6. & Clement. cupientes. De parvis,* attamen rigor hujus constitutionis ita communiter temperatur, ut procedat in electione irrevocabili, quæ voto, juramento, aut alio pacto perpetuo concipitur, non verò in electione mutabili, quæ sit per testamentum, codicillum, aut

F aliam

aliam promissionem revocabilem. Item cum textus loquatur de inductione circa proprias Ecclesias, non incurretur censura, si Regulares inducant ad eligendam sepulturam in aliena Ecclesia, pœnalia enim sunt strictè interpretanda, Pasqual. ad Lauret. de Franc. d. p. 2. q. 63. n. 2. & seqq. Angelus in v. sepultura n. 35. Nav. in Man. c. 27. n. 113.

- Quar. XII. Quomodo defendi possit consuetudo, quæ undequaque inolevit, quod pro sepulturis pecunia accipiatur? In c. cum in Ecclesia, 9. Simonia, dicitur horribile, quod pro sepulturis de exequiis mortuorum aliquid exigatur, &c. Econtrà in c. ad Apostolicam 41 de Sim. danantur Laici, qui id solvere recusant quod Clerici pro exequiis mortuorum juxta laudabilem consuetudinem petunt. Resp. Non posse pro ipsa sepultura, nec pro loco Deo consecrato tanquam pro rebus spiritualibus aliquid temporale peti sine labe Simonie, cap. quest. 1. 3. quest. 2. cap. abolenda. Ext. de sepult. † Verum consuetudine præsertim accedente non est iniquum si aliquid petatur. 1. Pro conservatione cæmeterii vel loci specialis sepulturæ, aut sustentatione cantorum. 2. Propter specialem laborem, ad quem sepeliens, qui Parochus non est, non tenetur: sicut in simili pro lectione Missarum stipendium accipi potest. 3. Pro sustentatione Parochi qui aliis exiguos redditus habet. 4. Cum Decimæ personales passim in desuetudinem abierint, & difficile fuerit hominum substantias dum viverent perferutari, ut sciretur quantum quot annis lucrati fuerint; idè fas est credere, in locum Decimarum personalium mortuaria successisse, & Parochos contentos fuisse, quod sibi post mortem cujuslibet summatim aliquid vice decimarum personalium exolveretur. 5. Quod honor & præminetia specialis sepulturæ (dummodo illa præminetia sit propter respectum aliquem temporalem, ut quia est in loco sublimiori, & conspiciatori) item obligatio Ecclesiæ, quod nullum alium recipere ad locum electæ sepulturæ, quàm eligentis familiam, sit pretio æstimabilis, cum plurimam Theologiam quàm Canonistis censet Barb. de Offic. Par. p. 3. c. 26. & seqq. † Sed admoneo in hac quæstione, nullo modo esse licitum, sed contra Christianæ pietatis officium & per Ordinarios castigandum, quod propter exactionem pecuniariam seu mortuaria non soluta, defunctorum cadavera inhumata relinquantur, c. abolenda, de sepult. Sac. Congreg. Episc. quam ex Sylvo refert Barb. in Collect. DD. ad Cons. Trid. sess. 25. de ref. c. 13. n. 36.

S. U N I C U S.

Quinam sint indigni Sepultura Ecclesiastica.

- 17 **I**ndigni censentur, qui non sunt de Ecclesia, videlicet Judæi & Gentiles, cap. Ecclesiam 27. de consecr. dist. 1. quibus etiam annumerantur infantes Christianorum, qui ante Baptismum decesserunt. Si tamen infans ab obfetrice, vel cum materia aut forma dubia, aut etiam dum de ejus vita dubium erat, baptizatus sit, sepultura Ecclesiastica privari non debet; item si in utero matris maneat una cum matre illa sepeliendus est, quia pars matris esse censetur, l. 1. §. ex hoc, ff. de vent. inspic. si verò propter spem vitæ à præmortua matre exfectus fueris (quod fieri debet quando vita infantis servanda) nec tamen speratur quod vivus baptismum attigerit, extra locum consecratum humabitur. II. Indigni sunt hæretici, atque omnes qui ipsis in puncto hæresis (non in aliis negotiis) favorem, auxilium, aut receptaculum præbent cap. 3. de hæret. in 6. † Sed quia nonnunquam contingit, quod familia alicujus potentis hæretici cum communicatione gravium malorum desideret sepulturam Ecclesiasticam hæretici defuncti, idè quæritur, an ad evitandum grave malum possit Parochus dictam sepulturam concedere? Difficultatem facit cap. sacris 5. de his quæ vi metusve causa &c. ubi S. Pontifex dicit, quod propter metum nullatenus liceat communicare cum excommunicato, quamvis enim, inquit, metus attenuet culpam, eam tamen profus excludit, cum pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, &c. ex quo textu nonnulli concludunt, quod metus non tantum non excuset à transgressione legis divinæ, aut naturalis, sed nec etiam à transgressione legis humanæ, siquidem prohibitio communicationis cum excommunicato (de quo in dist. cap. sacris mentio fit) tantum Jure humano Pontificio, statuta sit; sicut etiam videtur nullatenus posse licere, ut propter metum liceat contrahere cum consanguinea intra 3. vel 4. gradum, licet id impedimentum tantum Jure positivi sit, neque debeat existimari insolitum, quod lex humana etiam cum periculo mortis obliget, quemadmodum in legibus militaribus quoti-

dianum. Verum ego puto distinguendum, an sepultura hæretici, vel quævis alia transgressio legis Pontificiæ petatur, in contemptum Ecclesiæ, vel ex alia causa, v. g. ad splendorem familiæ conservandum, &c. Priori casu locum habebit tex. d. c. sacris. nam cooperari ad contemptum Ecclesiæ, non est tantum lege humana, sed utique etiam divina prohibitum juxta illud Matth. 18. qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus Posteriori autem casu communior est sententia, quod gravis metus excuset à transgressione legis humanæ, quia non est verisimile legislatorem voluisse obligare in casu tam extraordinario l. nam ad ea. ff. de LL. & cum magno alterius damno, unde qui justo metu adactus contraxerit cum consanguinea, non peccabit per contractum, peccabit autem per copulam; cum enim tale matrimonium propter impedimentum consanguinitatis (quod metus tollere non potest, sed tantum excusare à peccato) sit nullum, copula consequens non tantum lege humana sed & divina prohibita erit. Verum quidem est, quod dux belli possit imperare militibus, eosque etiam ad periculum vitæ obligare, sed id exigit salus publica & natura belli, atque ibi aperte constat de imperantis voluntate, & milites tam periculorum legum non ignari, nihilominus se ultroneè Ducis potestati subdiderunt. Syl. v. metus. n. 7. Azor. insit. Mor. lib. 1. c. II. q. 1. Quod si igitur contingat cum tam periculosis minis peti sepulturam Ecclesiasticam, non in contemptum Ecclesiæ, sed pro honore familiæ, ut præmissum, Parochus non tenebitur cum gravi suo damno resistere, cessante tamen periculo tale cadaver, si ab alijs dignosci possit, iterum exhumare debet, ut clare constitutum est in c. sacris 12. de sepult. III. Indigni sunt in excommunicatione aut interdicto degentes, si ante mortem saltem à simplici Sacerdote absoluti non sunt, quibus enim non communicamus vivos, etiam non communicare defunctis debemus. d. c. sacris & c. fin. h. t. c. is, cui. 20. de sent. excom. in 6. si tamen ante mortem signa penitentiae dederint, etiam post mortem absolventur, & sepultura Ecclesiastica mandantur. c. à nobis 23. de sent. excom. & d. c. is, cui. † Cum autem hodie per Extrav. Mart. V. ad evitanda scandala &c. nullus excommunicatus necessarid vitandus sit, nisi fuerit per Ordinarium tanquam excommunicatus denunciatus, vel sit notorius percussor Clerici, idè controversum DD. utrum hodie excommunicati, qui vitandi non sunt, sepultura Ecclesiastica gaudeant? Affirmativam sustinent Nav. de sepult. Conf. 4. & Paul. Laym. in Theol. mor. lib. 5. tr. 5. c. 5. n. 8. circa finem & plures apud eum citati, ex eo, quod circa tales excommunicatos deficit ratio in d. c. sacris. assignata. Nihilominus probabilius iudico, si de excommunicatione constat publice, non esse dandam Ecclesiasticam sepulturam, quia d. Extravag. non vult adjuvare excommunicatos, sed tantum fideles innocentes, ne facile aliquam censuram incurrant. Cov. in relect. c. Alma Mater de sent. excom. in 6. p. 1. §. 2. n. 11. Zoef. ad tit. decret. de sepult. nu. 9. Notanter dico: si excommunicatio sit publica, nam si sit occulta & fortè soli Parocho cognita, non erit sepultura Ecclesiastica deneganda, quia privata scientia uti quidem licet aliquandoque in privato, non autem ad condemnationem in publico.

Quod si quis notoriè excommunicatus defacto in loco consecrato sepultus esset, fortè posset tolerari propter auctoritatem DD. qui primam sententiam docent, multa namque prohibentur, quæ tamen facta sustinentur. c. ad Apostolicam. de Regul. maximè quando irritatio facti multa incommoda secum trahit ut in nostro proposito exhumationem cadaveris, pollutionem & necessitatem reconciliandi Ecclesiam vel cæmeterium, præjudicium Parochianorum, qui interim propter pollutam Ecclesiam Sacrificijs & sepultura carere debent. Sicut in simili Cov. in relect. Clem. si furiosus. in pr. n. 9. circa irregularitatem expositi cujus parentes ignorantur, & censet ob diversas opiniones expositum ad ordines non facile admittendum, admissum tamen tolerandum. IV. Sepultura Ecclesiastica privantur omnes in notorio peccato mortali decedentes, uti sunt in ipso crimine furti vel adulterij, &c. interempti. c. fures 20. 13. q. 2. † Item sibi mortem inferentes ex desperatione vel iracundia. c. placuit. 13. q. 5. secus est, si ex fatuitate, vel si influcto sibi metum vulnere lethali ante mortem penituerint, imò in dubio non debet statum præsumi quod peccaminosè sibi ipsi mortem aliquis intulerit, nisi ex alijs conjecturis appareat. Nav. b. 1. Conf. 7. Cox. var. ref. lib. 2. c. 1. n. 11. Interim tamen quia communi hominum existimatione creditur ex desperatione & in malo statu decessisse, qui v. g. in cubiculo suspensus, aut in puteum præcipitatus reperitur, idè si ex adverso aliqua conjecturæ adhuc pro ipso defuncto, quod ex corruptione mentis, aut ab alijs suspensus sit

sus sit, vel quod casu in putam decidit, &c. ad evitandam qualem qualem hominum offensionem forte non inconsulto fiet, si tale cadaver de noctu sine consuetis solemnitatibus in loco consecrato sepeliatur. Ceterum subitanea morte extincti, etiam si constet, quod in vita sapius peccaverint, nihilominus saltem privatim poenituisse censentur. *1. & Pan. in c. ex parte b. t. V. Ecclesiastica sepultura non gaudent, qui omiserunt Paschalem Communionem nisi ante mortem poenituerint. c. omnis utriusque. 12. de poen. & remiss. an autem hac poena affici possit, qui quidem tempore Paschali omisit communionem, sed intra annum semel aut sapius eam peregit? non putarem. cum enim privatio sepultura sit poena valde gravis & infamis, videtur benigniori interpretatione temperanda, L. pen. ff. de poen. c. odia. de R. I. in 6. ut in d. c. 12. statuta referatur ad omnia verba praecedentia, si nimirum aliquis nec semel saltem in anno confessus fuerit, nec communionem ad minus in Pascha susceperit, quae non verificatur de eo, qui extra tempus Paschale semel aut sapius confessus est. accedit, quod committentem contra d. c. 12. idem tam DD. graviter puniri existiment, quod se suspectum de haeresi reddat, quasi minus curans Poenitentiae Sacramentum, Barb. in d. c. 12. n. 1. id vero rationabiliter dici non possit, de eo, qui intra annum hoc Sacramentum ritè suscepit. VI. Usurarii manifesti mortui antequam restituerint vel de restituendo caverint, c. 2. de usuris in 6. Sed cum Materia usurarum sit altioris indagationis, & multi contractus ab usura excusari possint, ideo non erit facile concedendum Parocho, ut propria autoritate sine praevio iudicio Ecclesiastico tam gravem poenam exequatur, & quia haec usurarum materia tum ratione peccati, tum ratione cautionis ab usurariis quandoque coram Parocho praestanda jux. d. c. 2. Deus in 6. tum denique ratione sepulturae, propterea quae circa usuras potiora sunt, inferius tractabo. VII. Religiosi proprietarii, cap. 2. c. cum ad Monasterium, de statu Monach. VIII. Qui in Torneamentis non causa recreationis, & honestae armorum exercitationis, sed cum periculo vitae institutis decedunt, cap. 1. de*

21 *Torn. am. § IX.* demum excluduntur à sepultura Ecclesiastica, qui in duello etiam privato sine patris, & sociis cum ordinario tamen periculo vitae, ex condicte, statuto tempore, & in loco convento instituto, occumbunt, *Trid. sess. 25. de refor. c. 19. juncta Bulla Greg. XIII. ad tollendum, & Clem. VIII. Illius vices, &c.* Quod si tamen aliquis in duello quidem lethali-ter vulneretur, sed extra illud receptis Sacramentis vel saltem datis poenitentiae signis moriatur, mihi videtur benignius, non esse privandum sepultura Ecclesiastica quidquid alii contradicant, quia Concilium tantum loquitur de occumbentibus in duello, nec ex Bullis aliis evincitur: proinde locus est receptae doctrinae, quod poenae potius interpretatione leniendae quam exasperandae, nec ad casus etiam plane similes expressis extendendae sint.

Præterea poenae duellantium non habent locum in illis, qui dum sese invicem in platea offendunt, statim ibidem dimittunt, quia cum termini penales sint strictè accipiendi, talis dimissio non est propriè duellum, quod sit ex condicte, & statuto tempore, sed potius repentina aggressio, & defensio. Item volunt nonnulli, caloræ iracundiæ excusate à penis duelli, qui in continenti accederent ad locum aliquem, ibique dimicarent, *vid. cit. apud Barb. in collect. DD. ad Conc. Trid. sess. 25. c. 19. n. 3. & seqq.*

22 Sed quid si miles in exercitu, vir equestris in Aula Regia officio, dignitate Ducis, aut Principis favore ob ignaviae suspitionem excidere debeat, nisi identidem provocanti se sistat. Item si ad pugnandum laceffens alterum crebra convitia, & contumelias adjiciat, qua iste molestia se liberando, & subeundo dedecore aliter liberare non possit, nisi armis congregiatur, nunquid si talis provocatus in duello occumbat, sepultura Ecclesiastica privati debet? in similibus circumstantiis acceptantem duellum oblatum non animo occidendi provocantem sed gratia meræ defensionis, saltem in foro interno excusari putant Lucas Floronus de duello c. 6. §. 2. Fillivo to. 1. tr. 15. c. 5. n. 107. & 113. Laym. in Theol. mor. lib. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 3. Nav. c. 15. nu. 3. & 4. Pro eadem sententia specularivè plures rationes faciunt, quas adducit Less. de I. & Lib. 2. c. 9. dub. 12. nu. 83. practicè tamen contrarium tenendum videtur propter malas consequentias, & quod plerumque aliud medium sit conservandi honorem, v. gr. dicendo ad provocantem, se paratum fore, si per Ecclesiam liceret, vel provocantem experturum, quocum negotium habeat, si palam, & non proditoriè aggressus fuerit, &c. Less. d. l. n. 84. Peregrin. de duello q. 24.

23 Sed quidquid sit de hac difficultate an excusetur qui merè defensivè duellum honoris causa suscipit, quæ non est de Man. Parocher. P. Ludov. Engel.

praesenti instituto latius examinanda, interim tamen si supponerem sententiam affirmativam, dicerem tamen occumbentem in tali duello non esse Ecclesiasticè sepeliendum, id quod evincere videtur Bull. Clem. VIII. *Illius vices, &c.* §. 5. ubi apertè statuitur poenas duellantium procedere si unus miles cum altero etiam ex hostili castro, etiam Ducum permissu privata tamen de causa duellum ineat: quae duellum profectò miles sine ingenti apud torum exercitum diffamatione, & contemptu utique detrectare non potest. Ratio autem fundamentalis est, quod ad execrationem, & extirpationem alicujus gravis criminis (in genere talis) aut abusus multa fiant sine culpa vera, quæ non sunt sine causa aut culpa praesumpta, & sepe numero aliquis ex praesumptione mali damnatur, qui tamen reverè est innocens, ita electus per simoniam alterius etiam ignoranter, dignitate privatur *cap. nobis fuit, 27. de Simonia*, ita filii haereticorum, item filii eorum, qui crimen læsæ Majestatis perpetrarunt, graviter puniuntur, per privationem bonorum, successio- num, dignitatum, &c. ut ipsis mors sit solatium, & vita supplicium, quamvis ex sua persona nihil commiserint, *cap. ver- gentis, 10. de haeret. l. quisquis, C. ad l. Jul. Majest.* ita multo- rum locorum sunt statuta, ut cum armis deprehensus in carcerem impingatur, imò nonnunquam illicè suspendatur, nulla admitta excusatione, quod forte illis ad defensionem contra hostem arma gestaverit.

C A P U T IV.

De Parochorum Potestate disponendi circa sua bona, & redditus.

S U M M A R I A.

- 1 Bona Clericorum quadruplicia.
- 2 Circa patrimonialia competit plena facultas disponendi, & post Clericatum filiosam. advoventia consentur jure quasi Castrensium peculii.
- 3 Idem de industrialibus.
- 4 Idem de Parsimonialibus.
- 5 Etiam Parochus Religiosus bona Parsimonialia habere potest ad usum.
- 6 Bona prospectu Ecclesiae acquisita non nisi in sui sustentationem, & superflua ad pias causas expendere possunt Parochi, & ibi an Clerici istorum bonorum habeant dominium?
- 7 Sustentatio potest desumi ex Ecclesiasticis, licet adsint Patrimonialia.
- 8 Quomodo accipienda sit congrua sustentatio.
- 9 Pulebrum monitum S. Bernardi.
- 10 Quid veniat nomine piarum causarum.
- 11 Parochus in officio diligentior, plus potest impendere in sui sustentationem.
- 12 Bona oeconomia Parochi non debet transire in avaritiam.
- 13 Consanguinei non sunt ditandi ex bonis Ecclesiae, possunt tamen juvari, ne egeant secundum suum statum.
- 14 Quenam dicatur notabilis quantitas reddituum male impensorum.
- 15 Male impendentes probabiliter excusantur à restitutione, quamvis haec illis pro tutiori consulenda sit.
- 16 Quae sunt comparata ex redditibus Ecclesiasticis, assumunt naturam bonorum Ecclesiasticorum.
- 17 Quis possit Parochis dare licentiam testandi de redditibus Ecclesiasticis?
- 18 An testamentum ante impetratam licentiam factum, per eam confirmetur.
- 19 An testamentum Clerici in terris Imperii faciendum sit secundum Jus Civ. vel Canon.
- 20 Quales solemnitates de Jure Canon. requirantur ad testamentum, & ibi multa ad interpret. cap. cum esses de testa- ment.
- 21 Utrum licentia testandi expiret re integra morte concedentis.
- 22 Qualiter Parochis ab intestato succedatur.
- 23 Liberi illegitimi Parochorum an succedant, & an hodie donum propriè naturales.
- 24 Circa alimenta natis ex damnato coitu praestanda non est inter utrumque Jus differentia.
- 25 De successione in redditibus Ecclesiasticis.
- 26 Quid de consuetudine ex qua in redditibus Ecclesiasticis succedunt

cedunt consanguinei & extranei heredes, sive ex testamento sive ab intestato.

27 Clericorum oblatorum privilegium.

- I. **B**ona Parochorum, sicut generaliter omnium Clericorum, in quadruplici esse differentia passim inter DD. convenit, alia enim sunt *patrimonialia*, ex hereditate, legato aut donatione acquisita: alia *Ecclesiastica*, seu prospectu & ex stabilibus redditibus Ecclesie obvenientia: alia *industrialia*, quae Parochus non tantum ex industria profana, ut professura liberalium artium, contractu, aut artificio honesto, sed etiam ex industria spirituali acquirit, ut ex lectione Missarum, exceptione confessionum, benedictione nuptiarum, sepultura, aliisque specialibus functionibus parochialibus, qui vulgo redditus *stola* appellari consueverunt: alia denique sunt bona *parimonialia*, quae Parochus parcius, quam sibi licuisset, vivendo collegit.
- 2 Porro circa bona *patrimonialia* Parocho plenaria tam inter vivos quam in ultima voluntate dispositio competit, atque si ab intestato moriatur in illis bonis non Ecclesie (nisi in defectu legitimorum heredum *auth. licentiam*, §. 1. *Cod. de Episc. & Cler.*) sed proximis consanguineis successio deferatur, *C. fin. 12. qu. 4. cap. 1. de pecul. Cler. cap. relatum 12. de testam. imò speciale privilegium Clericis indultum est in leg. Sacrosanctis 34. junct. *auth. presbyteros*, *Cod. de Episc. & Cler. ut quavis in potestate patria constituti sint*, in illis tamen bonis, quae eis post Clericatum undecunque superveniunt, plenam tam inter vivos, quam per testamentum ad instar *quasi castrensis peculii*, habeant disponendi facultatem.*
- 3 Quod de bonis *patrimonialibus*, etiam de *industrialibus* (quae *quasi patrimonialia* vocant) communiter sentiunt Auctores, sive deinde ex profana sive spirituali industria comparata sint, quia fideles hujusmodi bona largiuntur Clericis in praemium & mercedem laboris, nec intendunt illis ullum onus imponere, Lessius *de I. & I. lib. 2. cap. 4. dub. 6. num. 37.*
- 4 Item & bona *parimonialia* *patrimonialibus* quantum ad effectum plerique annumerant, ut & in his plena dispositio Parochis concedatur, ut ex S. Thoma, Adriano, Soto & aliis probat Navar. *de reat. Eccles. qu. 1. nu. 16.* sequuntur Lessius *d. l. n. 39.* Lugo *de I. & I. tom. 1. disp. 4. sect. 3. num. 35.* ratio est: quia in illa parte bonorum, quae spectat congruam sustentationem, datur Clerico plenaria dispositio, nec imponitur illi necessitas ad pias causas erogandi, ergo si competenti sustentationi aliquid subtrahere velit, nihil obstat, quo minus id in quoslibet usus expendere valeat.
- 5 Sed quid de Parocho Religioso dicemus, num & is bona *parimonialia* habere possit, quae pro suo libitu (saltem honestè) expendat? Satis probabiliter affirmat Navar. *d. qu. 1. nu. 33.* non quòd Religiosus sibi quarundam rerum dominium acquirere rectè dicatur, sed quòd in illis bonis, quae congruam ejus sustentationem respiciunt, liberam expendendi facultatem à Jure & Superioribus habeat.
- 6 Bona *prospectu Eccles. acquisita*, sunt, quae in annuis, & stabilibus redditibus, ut in decimationibus, foundationibus, &c. consistunt, de his bonis praëliminaris est quaestio. An Clerici in iis usum tantum, aut verum dominium habeant? Duæ sunt diversæ DD. sententiae: Una usum tantum non dominium concedit, dominium verò penes Christum, aut Vicarium ejus Romanum Pontificem esse asserit. Probat hæc sententia ex variis Juris Canon. textibus, in quibus Clerici non domini, sed tantum procuratores bonorum Ecclesiasticorum appellantur, ita *in cap. quod autem*, 23. *qu. 7.* dicit D. August. *quae possidemus, non sunt nostra, sed pauperum, quorum procuracionem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vindicamus.* Similia habentur *in cap. 26. & seqq. 12. quæst. 1.* Et in Concil. Trid. *sess. 25. de refor. cap. 1.* interdicitur Episcopis, ne ex redditibus Ecclesie consanguineos suos ditare studeant: eò quòd Apostolorum Canonibus prohibeant, *ne ros quae Dei sunt, consanguineis donent.* Atque hanc partem cum Navar. *de reat. Eccles. quæst. 1. & Panor. mit. in cap. cum esset de testam. num. 29.* multi veteres Theologi & Canonistae tenuerunt. Verum altera sententia, quae affirmat Clericos habere dominium reddituum Ecclesiasticorum hodie magis recepta est. Nam in primitiva quidem Ecclesia omnes Clerici in communi vivebant, & nullus suum aliquid proprium dicebat, *cap. duo sunt 12. quæst. 1.* postea vero dilatata Ecclesia divisio beneficiorum, & reddituum Ecclesiasticorum inter Clericos per Dionysium Padam facta est, *cap. nu. 13. quæst. 1. cap. quatuor 12. quæst. 2.* quae sanè divisio, nihil aliud fuit, quam redditus alios communes facere cujuslibet proprios, cum divisionis titulus emptioni, & permu-

tationi assimilatur *in l. 1. C. commun. utriusque jud.* idque confirmatur ex Trid. *sess. 23. de refor. cap. 1.* ubi Clerici non residentes in suis Ecclesiis, & beneficiis dicuntur fructus *non facere suos*: ergo à contrario sensu, si resederint, *fructus suos faciunt*, is autem dicitur suum facere, qui dominium acquirit, sicut mutuum (in quo dominium pecuniae transferretur) dicitur, quod *ex meo tuum fiat*, *l. 2. §. 2. ff. de reb. cred.* Ad Canones in contrarium allatos breviter respondei potest, quòd vel loquantur de tempore primitivae Ecclesiae, quo omnia fuerunt inter Clericos communia, vel quòd SS. PP. & Trid. *diòt. leg. dicant*, redditus Ecclesiasticos esse *Dei & pauperum*, non in ratione domini, sed obligationis ad honorem Dei, & sustentationem pauperum distribuendi, sicut quandoque res dicitur alicujus, non quàm de facto habet, sed quòd ei restitui debet, *leg. is qui 15. digestis de reg. jur. Zoef. ad tit. decret. de peculio Cler. numer. 3. Less. de I. & I. lib. 2. cap. 4. numer. 43.* fateri tamen oportet, hoc dominium non esse prorsus liberum, sed certo modo limitatum, & restrictum, eique bene convenire ultima verba in definitione domini apposita, quòd sit potestas liberè disponendi de re sua, *nisi quatenus jure prohibetur.* Enim verò bona ista *prospectu Ecclesie acquisita* Clerici, & Parochi non aliter expendere possunt quàm in honestam sui sustentationem, & eorum superflua in pias causas, *cap. quòd autem*, 23. *quæst. 7. cap. 26. & seqq. 12. quæst. 1. Concil. Trid. sess. 25. de refor. cap. 1.* fatentur quoque DD. universi, gravis peccati mortalis reum esse, qui ea, quae ex bonis Ecclesiasticis ultra congruam sustentationem superflua sunt, in profanas causas in notabili quantitate expendit. Ut præter Auctores in hac materia hic allegatos novissimè per plura argumenta & contrarium resolutiones doctissimè ostendit R. D. Georg. Puttner S. I. SS. Theol. Græcij Professor in tract. de Just. & Jur. tit. 4. cap. 2. Verum circa istam conclusionem aliqua notanda sunt.

I. Tamen si Parochus alia bona habeat, nihilominus illis reservatis poterit totam suam sustentationem ex bonis & redditibus Ecclesie desumere, quia dignus est operarius mercede sua, & nemo suis stipendiis militare cogitur, *Innoc. & Panor. in c. Episcopus. de præb. Quòd si Parochus ex bonis patrimonialibus vixerit antequam redditus Ecclesiasticos percipere potuit, fas erit ei, postea ex redditibus Ecclesiasticis tantundem inter bona patrimonialia computare, Lessius d. dubio. 6. n. 38. Lugo d. disp. 4. sect. 3. n. 44.*

II. Congrua sustentatio personae non est quoad strictam vivendi rationem accipienda, sed etiam consideratio status, & dignitatis haberi debet, ita ut Parochus nobilis vel Graduatius plus in suam sustentationem impendere valeat, quàm alius minus literatus, & humilioris conditionis, *arg. c. de multa. de præb. & Extrav. execrabilis. Joa. XXII. de præb. Navar. d. q. 1. n. 36.* Præterea nomine congruae sustentationis etiam intelligitur debita hospitalitas, non solum illa, quae fit erga pauperes & peregrinos, & maxime commendatur Clericis in Concil. Trid. *s. 25. c. 8.* sed etiam hospitalitas urbana cum moderatione debita juxta statum, & qualitatem beneficii. Item in eandem sustentationem rectè imputantur moderatae donationes remuneratoriae, & aliae, quibus boni amici fiunt aut conservantur, quia virtus liberalitatis pro qualitate, & conditione status plurimum decet virum honestum, & ingenuum, Lugo *diòt. disp. 4. sect. 4. num. 66. & num. 73.* generaliter pro regula tradit Molina *de I. & I. disp. 145. num. 13.* congruitatem sustentationis desumendam esse, ea usu & consuetudine virorum qui sunt ejusdem conditionis ac timoratae conscientiae. In omnibus verò modestiae, honestatis & decentis frugalitatis ratio habenda est, & observandum quod S. Bern. *in Epist. ad Fuls.* scribit: *Conceditur tibi, inquit, Ut si bene deservis, de altario vivas: non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, &c.* & idem Bernard. *in epist. 42. ad Henr. Sen. Archiep. Clamant*, ait, *nudi, clamant famelici, congeruntur & dicunt nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur, nostris necessitatibus detrahatur, quicquid accedit vanitatibus vestris, &c.*

III. Nomine *piarum causarum*, quibus superflua distribuenda sunt, non tantum intelliguntur pauperes, non habentes necessaria ad usum, sed etiam ii, qui carent necessariis ad sustentandum statum juxta suam qualitatem & conditionem. Deinde rectè quoque dicitur ad pias causas distribuenda, quae expenduntur, in usum Religiosorum, in fundandas Capellanas aut Missas, alimentionem alicujus studiosi, quem sui parentes, vel nolunt, vel non possunt in studiis alere, in erectionem vel conservationem Seminarij pauperum Scholasticum, & universim quaecunque ad cultum Divinum vel ad misericordiam, spiritualement vel corporalem alterius ordinantur, Lugo *d. disp. 4. sect. 3. n. 37. & sect. 4. n. 68.*

11 IV. Parochus, qui in administratione sui officii diligentior est, quam de Jure teneretur, v. g. crebrius per seipsum audiendo confessiones, concionando, Missas legendo, docendo rudimenta fidei, visitando & consolando infirmos, &c. talis, inquam, Parochus poterit etiam plus boni viri arbitrata in suam sustentationem impendere: & consequenter si voluerit aliquantò parcius vivere, plus bonis parimonialibus vel industrialibus accensere, juxta illud Apost. 1. ad Timoth. 5. *Presbyteri, qui bene presunt, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo & doctrina, Navar. d. q. 1. mon. 29. Molin. disp. 144. n. 23.*

12 V. In expendendis bonis ad pias causas potest se gerere Parochus, ut bonus Oeconomus, & ita aliqua pro futuris necessitatibus reservare, quæ verosimiliter timentur eventura. Non tamen debet hæc reservatio transire in speciem avaritiæ, ut Parochus velit nimis anxie & Divinæ providentiæ parùm confidens, omnes casus qui quoquo modo evenire possunt prævidere, † & interim nihil vel modicum in pias causas erogare, *Navar. d. q. 1. mon. 25. n. 5. Lugo d. disp. 4. Sect. 3. n. 41. & Sect. 4. n. 74.*

13 VI. Licet in Concil. Trid. s. 25. de refor. cap. 1. interdicitur quibuscunque beneficiatis, ne ex redditibus Ecclesiæ confanguineos familiaresque suos augere studeant, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, &c. Nihilominus ex communi sententia non est dammandus Beneficiatus si aliquantò plus in suos confanguineos erogat, ne secundum suum statum egeant, vel ut honestiores in domo ipsius conspici possint, quia status confanguineorum humilium, non nihil elevatur per promotionem Beneficiati. † Sed non esse dandum confanguineis ex quo superbi, otiosi aut malè vitiosi vivant, monet *Navar. d. q. mon. 27. n. 4. & 5. Lugo d. Sect. 4. n. 20.*

VII. *Nobilis quantitas*, quæ in malè expensis redditibus Ecclesiasticis peccatum mortale constituit, non est eadem, quæ in furto sufficit, sed multò major requiritur; quia cum in mala applicatione bonorum Ecclesiasticorum non immediatè lædatur aliquis certus & proximus, sicut in furto, siquidem ejusmodi bona non magis debent distribui pauperibus, quam applicari ad ornatum Ecclesiæ, vel alium pium usum, idè videtur sufficere, quòd moraliter & à potiori bene distribuantur. Quare Joann. de Lugo de I. & I. tom. 1. disp. 4. Sect. 3. n. 4. *vers. fatior.* putat imprimis attendendam esse quantitatem reddituum beneficiatum, ita ut qui v. g. in centum superfluis viginti malè impenderit, dicatur peccasse; non verò ille, qui in mille superfluis tantum 20. ad profanas causas exposuerit, generaliter autem existimat aliquem moraliter redditus Ecclesiasticos bene impendisse, & à gravi peccato excusatum esse, qui ex 100. 5. tantum profanis rebus applicaverit.

15 VIII. Consulendum foret omnibus Parochis & Beneficiatis, ut si aliqua de redditibus Ecclesiasticis malè impenderint in profanos usus, de bonis suis parimonialibus, vel parcius impofterum vivendo restitutionem faciant piis causis: quia non est paucorum DD. opinio, hanc restitutionem eis de necessitate incumbere, ut videre est apud *Cov. in c. 7. de testam. n. 10. Laym. in Theol. mor. lib. 4. tit. 2. c. 3. sub n. 3.* Interim omittentem hanc restitutionem non auderem facile damnare, propter auctoritatem aliorum DD. qui contrarium docent cum eodem *Cov. Lessio de I. & I. lib. 2. cap. 4. dub. 6. n. 34. docet quoque Lugo d. disp. 4. Sect. 3. n. 48.* accipientes à Clericis superflua non expensa in pios usus non peccare, si modò Clericos ad donandum vel alienandum non incitent & inducant, quæ sententia in rebus majoris momenti, & ubi accipiens non potest præsumere bono jure alienari, non caret scrupulo, & contrarium asserit *Sanch. lib. 2. Const. c. 2. dub. 38.* † Illud tamen adnotandum est, quòd ea, quæ ex redditibus Ecclesiasticis comparata sunt, adhuc maneat sub ratione bonorum Ecclesiasticorum, & consequenter in vivis sint distributioni ad pias causas obnoxia, & post mortem ad Ecclesiam devolvantur, c. 1. de peculio Cleric. aliàs facile eluderetur obligatio distribuendi superflua ad pias causas, quia si beneficiatus ex superfluis emeret fundos aut prædia, vel econtra, si frumentum & Decimas venderet, jam illa prædia comparata, vel istud pretium ex Decimis acceptum liberè expendere posset.

Praterea circa bona Parochorum ulterius convenit inquirere, qualiter in illis ex testamento vel ab intestato succedatur? quod breviter aliquot quæstionibus expediam.

17 *Quæritur* igitur I. An cum Parochi tantum de bonis parimonialibus, parimonialibus, & industrialibus, non verò de bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis testari possint, ut præmissum, & patet ex c. 1. cum in Officiis. & c. quia nos. de testam. *Man. Parochor. P. Ludov. Engel.*

An saltem id possint cum licentia Papæ vel Episcopi? De S. Pontif. non est magna difficultas, utpote qui plenam facultatem habet dispensandi in Canonibus. c. *proposuit. §. licet. de Concess. prob. & disponendi circa beneficia Ecclesiastica, eorumque redditus, c. 2. de prob. in 6.* Episcopus autem regulariter talem licentiam concedere non potest, nisi ex privilegio vel consuetudine id habeat, quia non potest relaxare Jus commune. *Clemen. 2. in princ. de elect. c. dilectus. de temp. Ord.*

Quæritur II. An testamentum valeat, si prius à Parocho vel Clerico factum sit, quàm licentiam impetrarit? Negativa videtur puncto & subtilitati Juris civilis conformior, argumento ducto ex paritate rationis à testamento militis, prout in l. *tribunus. 20. §. 1. ff. de milit. testam.* expressè deciditur, quòd si quis ante militiam testamentum non solenne fecerit, & deinde militare incæperit, tale testamentum, cum prius fuerit invalidum, non incipiat valere tempore militiæ, nisi tunc miles per novum actum aliquem v. g. signando, corrigendo, addendo &c. suam voluntatem priorem confirmarit. Verum quia de Jure Canon. subtilitates Juris Civil. non æquè attenduntur, idè non est improbabilis sententia *Card. Tufci litt. T. concl. 145.* tale testamentum valere, eo quòd privilegia sint interpretanda secundum intentionem supplicationis & privilegiantis, hæc autem in proposito verosimiliter fuit utriusque intentio, ut liceret testatum decedere, sive deinde testamentum factum sit, sive faciendum. Ex quo potest etiam assignari differentia inter hunc & priorem casum, quòd privilegium & licentia Parochi intelligatur simpliciter de testamento, privilegium verò militis tantum de testamento, quod tempore militiæ seu expeditionis factum est.

Quæritur III. An Clericus in terris Imperii existens teneatur testari secundum Jus Civile vel Canonicum? Circa formam substantialem testamentorum plurimum inter se differre Jus Civile & Canon. satis notorium est; nam de Jure Civil. requiri 7. testes masculos, puberes, specialiter rogatos, uno contextu subsignantes &c. constat ex L. *hac consiliosissima. C. de testam. De Jure Canonico testamentum coram Parocho & 2. vel 3. testibus confectum valere deciditur in c. cum esset. 10. X. de testam. Consuetudo, inquit S. Pontif. quòd testamenta penitus rescindantur, nisi cum subscriptione 7. vel 5. testium fiant, secundum quod Leges humana decernunt à divina lege, & SS. Patrum instituto noscitur esse aliena, cum scriptum sit, in ore duorum vel trium stet omne verbum. Prescriptam consuetudinem improbamus, & testamenta quæ Parochiani coram presbytero suo & 3. vel 2. Personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere &c. In qua utriusque Juris discordia communiter DD. putant, quodlibet Jus in suo foro obtinere, Jus Canon. in terris S. Pontifici, Jus Civile in terris Imperatori vel aliis Principibus subjectis, *gl. in d. c. cum esset, & ibidem Barb. n. 2.* Quia porò *Barb. c. l. cum aliis addit,* Jus Canon. universaliter in foro Canonico etiam extra territorium temporale Papæ in hoc puncto procedere, idque confirmatur ex textu juxta magis communem interpretationem in c. *quod Clericis. de foro comp. Clerici* autem eorumque bona, consequenter & testamenta sint de foro Canonico, qui & aliàs legibus Civilibus à Jure Canon. reprobatis non adstringuntur, rectè inferitur & concluditur, testamenta Clericorum etiam in terris Imperii existentium valere, si secundum ordinationem Juris Canon. confecta fuerint. Sed hinc*

Quæritur IV. An presentia Parochi & 2. vel 3. testium secundum Jus Canon. in d. c. cum esset. sit de substantia testamenti, vel tantum de probatione? si de substantia; Nullum erit testamentum aliter confectum: si de probatione tantum: valebit quomodocunque factum, dummodò de voluntate testatoris constet. Communior opinio videtur presentiam Parochi & testium pro forma substantiali assignare. *Pan. & Barb. in d. c. cum esset. Covar. ibidem num. 23.* Sed, ut verum fatear, inter alias opiniones DD. quæ mihi semper displicuerunt, aut certè non bene precepi, etiam hæc est: quia nec textui nec rationi satis accommodare possum, idque ex sequentibus causis. I. quia S. Pontif. in d. c. cum esset. reprobat solennitatem Juris Civilis quæ est ultra probationem necessariam, ergò non fuit ipsius intentio, ibi exigere solennitatem circa testamenta, sed tantum probationem. Si enim ex sententia *Panorm. & Cov. cc. LL. & in absentia Parochi* pro forma substantiali requiruntur ad minus 4. testes, quodnam fuisset tam grande motivum, ut S. Pontif. cum objectione legum divinarum, duos tantum testes requirentium, tam graviter inveteretur in leges civiles, quæ 5. testes adeoque uno tantum plures statuunt,

cum, & ipsemet uno vel duobus plures testes requisivisset quàm Lex divina: ne proinde Pontifex sibi ipsi contradicat, nihil est verisimilius, quàm quòd ibi tantum probationem, non verò solemnitate desiderarit, nam & ipse textus S. Script. ibidem allegatus, *ut in ore duorum vel trium stet omne verbum*, ad probationem solummodò pertinet. Nihil obstat quòd etiam Parochi mentio fiat, quia ut rectissime advertit D. Antonin. apud Panorm. in 2. repet. d. c. cum esset, num. 13. S. Pontifex tantum narrat *accidentia facti*, loquitur enim de testamento, quòd sit *in extrema voluntate*, hoc est, ab ægrotis, & lethali ter decumbentibus teste Barbof. in eodem c. cum esset num. 8. ubi plerumque Parochus solet ob animæ dispositionem advocari. Censet quidem Panorm. hoc esse divinatorium. Sed, salva reverentia tanti viri, magis mihi videtur divinatorium, quòd S. Pontif. voluerit Parochi præsentiam, vel loco Parochi duos alios testes ideòque ad minus 4. pro forma substantiali statuere, quòd posterius scilicet suppletio 2. testium loco Parochi in textu nec verbo insinuat, & si Parochi præsentia est de forma, non potest per æquipollens suppleri, text. & DD. in §. tutor autem, J. de de auct. tut. sicut & in matrimonio manifestum est; Trident. sess. 24. de matr. cap. 1. quam difficultatem præsententis Barbof. d. l. num. 7. respondet, Parochum non esse *de forma cum decreto irritanti*, sicut in matrimonio, sed tantum per modum excellentioris testis, annò hoc textus? minimè, mera ergò conjectura menti Canonis multum dissona, ut ex dictis & dicendis apparebit. Deinde vel Parochus est de forma substantiali vel tantum de probatione necessarius? si prius, habet per se implicitum decretum irritans, ex recepta regula, *quòd non servata forma resuset nullitas actus*, si posterius, Pontifex sibi contradicit, & non servat Jus divinum, cum præter 2. vel 3. testes insuper Parochum ad probationem requirat.

II. Si dubietur, an lex vel Canon præscribat certam formam substantialem actui, debet id decidi ex stilo, & modo loquendi aliarum legum formas actibus præscribentium, sed si omnes similes leges percurramus, ut in matrimonio Trid. sess. 24. de ref. matr. cap. 1. in alienatione rerum Ecclesiasticarum Extrav. ambitiosa & tit. de reb. Eccles. non alien. in alienatione rerum pupillarium tit. C. de præb. minor. in testamentis de jure Civ. d. l. hac consultißima, C. de testam. & pluribus aliis, constanter reperiemus, quòd leges non sint contentæ, si dicant actum ita factum valere ut in d. cap. cum esset, sed positivè statuunt & præcipiant, ita & non aliter debere fieri. Sanè non est bona consequentia; actus hoc modo factus firmus & validus est, ergo hoc & non alio modo debet fieri, veluti si dicam, emptio coram testibus sine scriptura valet, non propterea infertur, ergo emptio necessariò debet fieri coram testibus, item in cap. relatum II. de testam. dicitur, quòd testamentum ad pias causas coram 2. testibus factum subsistat, & tamen ex communi & receptissima sententia testamentum ad pias causas neque testes neque aliam solemnitatem, sed tantum probationem voluntatis desiderat, Tiraquel. de privil. pia caus. 1. & 2. Barb. in eod. cap. relatum num. 4.

III. Non fuisset ratio præcipiendi ut in testamentis merè profanis Parochus interveniret; quid profanarum rerum dispositio ad Parochum? vel enim testamentum exhibendum foret Parochi, & testibus *Clausum* vel *apertum*; si *clausum*, cur necessaria qualitas Parochi, ad rem sibi incognitam? si *apertum*, nimis magna esset obligatio, ut testator ante mortem suam teneretur invitus (secus si sponte vellet *municipatiò* testari) manifestare hæredem & legatarios, nec non bona, & substantiam suam, atque ita se periculo captandæ mortis, aliisque incommoditatibus exponere, quòd nulla lege Juris Civilis vel Canon. est statutum, nec sine inconvenientissima divinatione asseri potest. Accedit, quòd hoc modo Parochis imponeretur nova obligatio suam præsentiam exhibendi testamentis profanis, quam utique tam parum gratis exhibent, quàm aliàs ad infirmos Sacramentorum causa accedunt, vel in matrimonio assistunt indeque etiam difficultas testandi Laicis pareretur.

IV. Si præsentia Parochi, & testium statuitur de jure Can. pro forma testamenti, tunc casus, quo Parochus ipse de bonis suis Patrimonialibus vel aliis facit testamentum, est indecisus vel certè per meram conjecturam, & divinationem decidi debet, quia Parochus non est ex *parochianis*, de quibus cap. cum esset, loquitur, nec proprie alium Parochum habet, sed potest se subicere cuilibet legitime exposito sacerdoti. Si dicas, debere loco parochi accedere 2. alios testes, ubi hoc ex textu elicit? erubescet, sine textu expresso novam formam præscribere, *Autb. consideremus, de oriente & semiss.* si per conjecturam ita laboriosè, & anxie textum explicas, cur non facilius & longè convenientius di-

cis, Parochum *in sepe d. c. 10.* non poni *ordinariò*, sed tantum *narratiò*.

Inflas, periculum evitandæ fraudis circa testamenta committi solitæ desiderare plures testes. Resp. Hoc periculum posse quidem esse causam, ut plures testes statuatur, sed non esse causam necessariam, ex qua simpliciter ista statui debeat, cum veritas rei etiam sine superfluis solemnitatibus, per alias legitimas probationes detegi possit, *tex. in l. fin. C. de fideicom.* certè etiam in testamentis ad pias causas vel ex invidia erga hæredem ab intestato, vel alio modo, item in testamento militari, aut patris inter liberos posse fraudes committi, nemo rationabiliter dubitare potest, & tamen in his nulla solemnitas sed probatio tantum requiritur.

Concludo igitur, mihi videri probabilissimum mentem S. Pontificis fuisse, *in sepe d. c. cum esset de testam.* non tam solemnitate aliquam statuere, quàm probationem ultimæ voluntatis exigere, sive ut ex Joan. Crot. refert, Cov. in eod. cap. 10. nu. 26. testamenta ad solemnitatem juris gentium reducere, quam sententiam illi præ cæteris amplecti deberent, qui cum eodem Panorm. d. l. m. 10. & copiosè relatis à Cov. d. l. 2. nu. 10. docent, in conscientia esse debitum, quòd testator sine omni solemnitate reliquit, dummodò de ejus voluntate constet (quòd idem & nos fatemur, si agatur de testamento, quòd vel in territorio S. Pontificis, vel à Persona Ecclesiastica, vel ad pias causas secundum jus Canon. fieri potuit) quia SS. Canones solent se ad forum conscientie præcipuè accommodare, *enovit. de judic. c. us animarum de constit.* qua tamen de re videantur tradita inferius de constit. §. 3. quid autem dicendum sit de casu, quo testamentum debuit fieri secundum jus civile, inferius in tit. de constit. §. 3. trademus.

Quer. V. Utrum licentia testandi expiret morte concedentis? non desunt qui id existimant apud Navar. de reddit. Eccles. q. 3. n. 8. quòd beneficiatus quis ex autoritate & commissione Papali de rebus Ecclesiasticis disponat, omne autem mandatum vel commissio papalis morte mandantis re integra expiret, cap. gratum de offic. deleg. contrarium tamen verius est, quia talis licentia non mandatum, sed simplex gratia censetur, quæ per morem concedentis ne quidem reintegra expirat, *c. si cui 36. de præb. in 6 Facb. Controv. c. 100.*

Quer. VI. Qualiter Parochis ab intestato succedatur in bonis patrimonialibus, & industrialibus? Resp. Successionem deferri proximis consanguineis jure & ordine in bonis Laicorum usitato juxta tit. Insti. & ibi Interp. de success. ab intest. Neque in hac successione computatio graduum secundum arborem Canonicam superius in p. 3. cap. 5. delineatam (utpote quæ tantum ad matrimonium pertinet, quòd sicut ex duabus personis consistit, ita in eo duæ personæ ad unum gradum trahuntur) sed secundum arborem Civilem instituitur, in qua generalis regula est, quòd tot sint gradus, quot sunt personæ quæ à stipite descendunt ipso stipite non computato, vid. Card. Tusc. lib. 5. concl. 861. num. 91. unde ponamus quòd defunctus reliquerit ex una parte filium sui fratris, & ex altera parte suum patruem, id est, filium Patruis: si jam ex arbore Canon. fieret computatio filius fratris, & filius patruis æqualiter succederent, quia ea computatione uterque est defuncto in secundo gradu conjunctus: at verò juxta computationem Civilem filius fratris excludit patruem, quia patruelis est defuncto in quarto ille autem in tertio gradu conjunctus.

Quòd si nulli extent consanguinei ipsius Clerici defuncti, successio in bonis prædictis ad Ecclesiam (quasi spiritualem uxorem) cui Clericus præfuit, devolvitur, *c. fin. 12. q. 5. c. 1. de success. ab intest. autb. licentiam, §. 1. C. de Episc.* In bonis Clericorum qui nec consanguineos nec beneficios habuerint fideus Episcopalis succedet, Panorm. in c. 2. de success. ab intest. nu. 2. Non obstat hætenus dictis, d. c. 2. ubi bona Clerici defuncti jubentur distribui in quatuor partes, & una Episcopo, altera Ecclesie, tertia pauperibus & quarta parentibus assignari, nam hunc textum tantum loqui de servis, qui olim à dominis manumissi in presbyteros ordinati fuerunt, quibus Civiliter non est cognatio, quæ successionem prætereire possit, *§. quod autem 6 J. de Cap. dimin. junct. princ. de servili cognat.* commaniter exponunt DD. cum Gl. Panorm. & Barb. ibid.

Quer. VII. An illegitimis filiis ex Concubinis Clericorum progenitis debeat successio, quæ aliàs in jure filii naturalibus tantum seu illegitimis debetur, ut scil. non extantibus liberis legitimis patri una cum sua matre in duabus uncis (id est, in duabus partibus, si hæreditas in 12. partes dividatur) matri verò, & omnibus ascendentibus per lineam maternam una cum justis liberis plenè succedant, §. novissimè, J. ad Sc. Orfic. autb. si qua illustri, C. eod. Nov. 89. cap. 12. Videtur probabilior sententia Navarri Consil. 2. de success. ab intest. tales liberos à Sacerdote vel alio Clerico præ-

sertim in factis Ordinibus constituto esse progenitos ex damnato coitu, & consequenter illis nullam successionem competere. *arg. Nov. 89. c. 15.* ille enim coitus dicitur damnatus, quem lex reprobatur & sub gravibus pœnis prohibet. *Harprecht. ad princ. J. de success. ab intest. n. 345. & Pan. in c. tanta, qui filii legitimi. n. 12.* atqui omnis coitus est Clericis sub gravibus pœnis prohibitus. *t. de Cohab. Cleric. & mul. Trid. s. 25. de ref. a. 14.* ergo &c. Dices, ex hoc sequi, quod hodie omnes, qui olim *Naturales* appellabantur, censeri debeant ex damnato coitu, eò quod hodie concubinitus in utroque foro prohibetur & puniatur, hanc illationem quidam valde probabiliter veram putant apud *Harp. d. l. n. 305. & Panorm. d. n. 15.* Interim si cum eodem *Harp. & Pan.* velit quis tenere, adhuc hodie dari *naturales* in ordine ad successionem, poterit illam dare differentiam inter liberos Clericorum & Laicorum, quod successio in bonis Clericorum dependeat à jure Canonico, ex quo semper fuit concubinitus graviter prohibitus: at verò successio in bonis laicorum dependeat à jure Civili, de quo jure concubinitus non fuit quidem approbatus, fuit tamen toleratus, & liberis inde natis certa successio adscripta; licet autem hodie jus Canon. etiam in foro seculari ratione peccati receptum sit, non tamen reperitur successio *naturalium* per aliquam legem sublata, correctiones verò & constitutiones pœnales recipiunt strictam interpretationem, *l. precipimus. in fin. C. de appell. c. odia. de R. l. in 6.* habet tamen hæc responsio suam difficultatem, an non cessante causa tolerati scilicet concubinitus, hoc ipso cesset successionis effectus.

24 Ceterum verò quod in *d. nov. 89. c. 15.* additur, filios ex damnato coitu nec alendos esse à parentibus, non censo ita rigidè accipiendum, sicut solent communiter DD. accipere, quasi vero de Jure Civ. istis filiis nulla alimenta debeantur, sed tantum de Jure Canon. *per c. cum haberet. de ea qui duxit.* Hoc enim fuisset indirectè parricidium talium liberorum concedere *l. nocere. ff. de agros. lib.* quod à mente Christiani Imperatoris utique alienum fuit. Ideoque potius existimo, utrumque Jus hoc modo esse concordandum & declarandum, quod præfatis liberis non debeantur alimenta secundum statum parentum ut v. g. filius adulterinus, vel incestuosus aut alias damnatus comitatus ut comes, sed ut privatus juxta necessariam vitæ conservationem.

25 *Quer. VIII.* Quis in bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis Clerico succedat? R. Ecclesiam succedere exclusis consanguineis *tex. & DD. in c. 1. de success. ab intest.* nomine autem Ecclesiæ bona consignanda sunt successori qui illa cum aliis Ecclesiæ bonis in timore Dei dispensabit, in collegiis autem Clericorum & Canonicorum non successor in præbenda sed totum collegium succedit. *c. relatum. 12. de testam.* si defunctus plura habuerit beneficia in diversis Ecclesiis, inter ipsas Ecclesias juxta proportionem reddituum perceptorum divisio facienda est. *d. c. relatum. vid. Joan. Hon. in tit. de peculio clericorum. n. 14.* Consuetudine autem introduci posse, ut successio vel dispositio in bonis prospectu Ecclesiæ acquisitis ad Episcopum vel alium Prælatum pertineat, probatur *ex c. fin. de off. ord. in 6.* In dubio præsumuntur bona prospectu Ecclesiæ acquisita, & heredibus extraneis incumbit onus probandi contrarium. *c. 1. de pecul. Cleric.*

26 *Quer. IX.* Quid tentendum, de illa consuetudine, quod redditus Ecclesiastici Parochorum sive ex testamento sive ab intestato ad consanguineos vel heredes extraneos passim & Intègrè transferantur? Non desunt pro & contra hanc consuetudinem multæ graves auctoritates & rationes, quas refert *Gov. in d. c. 7. n. 23. & seqq.* Rem ita componunt *Molina de l. & l. disp. 147. n. 27. & Azor. inst. mor. p. 2. l. 7. c. 9. g. 1.* quod per consuetudinem Clerici validè testari possint, sed non licitè.

Verum ego considero substantiale requisitum consuetudinis (sine quo nullum effectum habet) esse, ut sit *rationabilis*, *c. fin. de consuet.* talem verò consuetudinem, qua sine peccato mortali ex sententia Azorii & Molinae uti non licet, & per quam id quod ex sententia SS. Patrum & enixa constitutione Canonum pauperibus ac Ecclesiæ debetur, ad profanas causas distribuatur, esse rationabilem, sanè mihi nemo persuaserit, & hinc non vana est vulgi opinio, vel experientia, quod bona Clericorum apud Laicos heredes parum fructificent. Accedit, quod experientia constat per talem consuetudinem non exiguum damnum inferri Ecclesiis, quando decedentibus Parochis omnia ad heredes devolvuntur, & interim Ecclesia vix facta testata, nedum debita ornamenta & novus parochus vix media se alendi habet; ut vel ex hoc capite prædicta consuetudo invalida videatur, *c. 1. de consuet. junct. c. cum in officis. ibi: nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes. &c. de testam.* Quare illam valere

Man. Parochor. P. Ludou. Engel.

consuetudinem existimo, quæ approbatur in *c. relatum. 12. de testam.* ut Parochus possit aliqua de redditibus Ecclesiasticis in ultimâ voluntate relinquere piis locis, pauperibus, & qui sibi in vita aliquod servitii meritum exhibuerunt, sive deinde isti pauperes aut servientes sint consanguinei, sive extranei.

Sed quid ad præcipuum Adversariorum (defendentium ex consuetudine *validam* sed non *licitam* Clericorum dispositionem) argumentum respondebimus? Quod nimirum Clerici sint *veri Domini* suorum reddituum etiam superfluum, ideoque sicut inter vivos saltem *validè* quamvis non *licitè* eos ad profanas causas alienare possunt sine restitutionis onere, ita etiam per testamentum; eum ex multis instantiis appareat, plurima fieri *illicitè* non tamen *invalidè* &c.

Profectò si hoc argumentum accuratè expendatur, non est tam solidum, ut prima fronte videtur. Num imprimis palam est, hic *incertum per incertum probari*. Si quidem hæc omnia apud DD. planè dubia & controversa sunt, an Clerici suorum reddituum superfluum ita habeant absolutum, simplex, & irrestrictum dominium, ut eos valeant validè & irrevocabiliter in alios profanos usus transferre, sine ullo restitutionis onere? Contrarium enim ab auctoritate plurium Doctorum & rationibus gravibus pulchrè ostendit *Paulus Laym. in Theol. Mor. lib. 4. sr. 2. c. 3. n. 3. v. ad alteram questionem.* Nec est semper bona consequentia, hic est Dominus rei, ergo potest Dominium suum in alium transferre. Licet enim hoc procedat, ubi dominium est absolutum & liberum, non tamen ubi est certo modo restrictum modificatum & limitatum. v. g. si testator jubeat heredem dare pauperibus 100. non assignata specie monetæ, heres erit debitor *generis*, & consequenter ante solutionem verissimus Dominus. Quid, si in alios quam pauperum usus omnes facultates hereditarias insumpserit, anne liberatus est ab obligatione solvendi pauperibus? Minimè: planè quod testator heredi, hoc Canones hoc Fundatores ex Canonum interpretatione beneficiatis injungunt. *c. quod autem. 23. q. 7. Trid. s. 25. d. ref. c. 1.* Similiter cui fideicommissum familiæ relictum est, in vita sua verus est Dominus, extra familiam tamen alienare non potest, &c. Unde rectè additur definitioni Domini, quod sit potestas liberè disponendi de re sua, *nisi jure prohibeatur.* Deinde etiam ex supposito Adversariorum non est difficile, inter actus inter vivos, & ultimas voluntates differentiam assignare. Nam dum Clericus superfluos redditus alienat inter vivos, ipse tunc & non alius habuit dominium: si verò disponat per testamentum, testamentum incipit valere post mortem, *ad Hebr. 9. l. 1. ff. qui testam. fac. l. 4. ff. de adm. Leg.* Post mortem autem non tantum Clericus non est amplius Dominus, sed *ipso Jure* bona ejus prospectu Ecclesiæ acquisita ad Ecclesiam devolvuntur, cui proinde per suam dispositionem præjudicare non potest, *Respondemus*, inquit Pontif. *in c. relatum. 12. de testam. quod generatim bona qualibet per Ecclesiam acquisita, ei debent juxta Later. Conc. post acquirentis obitum remanere.* Et infra: *Nec de jure in alios pro morientis arbitrio transferri possint.* Adde *s. cum in officiis. 7. de testam.* ibi in fine: *sive intestati decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona precipimus remanere.* Adde *c. 1. & 3. de peculio Cler.* Quo Jure ergo hæc bona ab Ecclesiis auferuntur & extraneis *validè* relinquuntur? Non sanè *Jure scripto*, quia universi Canones reclamant: anne *consuetudinario*? Ita, ajunt adversarii, *consuetudinario*. Sed doceant, quæso, me sic argumentantem: Consuetudo quæ non est *rationabilis* non valet contra Canones. *tex. clarus in c. fin. de consuet.* non enim consuetudo, sed *corruptela* est. At verò hæc consuetudo, ut Clerici ad profanas causas suo arbitrio testentur, non est *rationabilis*, ergo &c. minorem probo: consuetudo, quæ toties quoties exercetur invitata ad delinquendum, imò facit semper mortaliter peccare utentem illa, non est *rationabilis*, sed consuetudo, ut Clerici testentur ad profanas causas non potest exerceri *licitè* & sine peccato Clericorum, ergo est *irrationabilis* & *invalida*, ergo contra Canones nihil operatur. Major est lumine naturæ nota, quomodo enim potest esse *rationabile*, quod me conicit in periculum, imò & damnum salutis æternæ. *tex. in d. c. fin. ubi ex periculo salutis judicatur corruptela. c. ex parte cum suo Summario de Consuet. c. fin. de præscript.* Minor est adversariorum Molinae, Azorii, Lessii & aliorum, consequentia (salvo tamen meliori Judicio) est nostra. Ut nihil dicamus de damno Ecclesiarum, propter quod ipsam consuetudinem tanquam irrationabiles reprobantur *in c. 1. de consuet.* quod verò dicitur, multa in Jure esse *illicita*, sed non *invalida*, *c. ad Apostolicam. de Regular.* id verum est, si *illiciti* actus valor sustineatur à Jure aliquo *valido* nimirum à justa Lege,

vel Canone, aut à justa, legitima & rationabili consuetudine, qualis in presenti non est, ut ostensum.

Nihil quoque movere debet id, in quo contraria sententia DD. plurimum se fundant, quòd nimirum S. Pontifex non contradicendo videatur tacite approbare prædictum usum ad profanas causas testandi, quem vix potest ignorare, cum in multis Orbis partibus practicetur. Præterquam enim quòd in novissimo Concil. Trid. d. sess. 25. c. 1. satis contradicendum videatur, jam in ferè simili materia (videl. circa pluralitatem beneficiorum à multis sine legitima dispensatione & scrupulo obtentam) declaravit Pont. quòd sua taciturnitas non approbet tales usus, qui non satis rationabiliter adversus SS. Canones inducuntur, multa, inquit, per patientiam tolerantur, quæ cum in iudicium deducta fuerint, exigente Justitia tolerari non debebunt. c. cum jam dudum. 18. ubi gl. in v. patientiam. De præb. Demùm neque illud argumentum aliquid evincit, quòd S. Pontif. per privilegium concedat licentiam testandi Clericis ad profanas causas, quæ testatio si irrationabilis esset, non rectè per Pontificem concederetur. Multa namque in uno vel altero particulari casu rationabiliter conceduntur, quæ tamen universaliter concedi rationabiliter non possent, veluti si inter consanguineos in 2. vel 3. gradu ad Matrimonium, aut cum luscis, illegitimis, vel alio modo irregularibus ad SS. Ordines dispenseretur. Unde illa etiam consuetudo præ cæteris tolerari potest, si Clerici antequam testentur, saltem licentiam Episcopi requirere debeant, ex cujus prudentia præsumitur necessitatibus communibus pauperum & Ecclesiarum satis provisum iri. Ita ut non aliter concedat testandi facultatem, quam si viderit indemnitati Ecclesiæ satis consultum, eique aliqua saltem portio in tali testamento relinquatur. Videatur etiam pro hac nostra sententia Paul. Laym. in Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 3. n. 7.

Addo tamen finaliter, antequam hæc consuetudo auctoritate superiorum declaratur invalida, posse heredes Clericorum in foro interno excusari ab auctoritate extrinseca magis nominis Doctorum, qui hanc consuetudinem validam pronunciant.

Postremò dùm de bonis Clericorum agimus non est omitendum singulare illud privilegium Clericorum, quòd propter debita incarcerationi vel excommunicari nequeant, sed si de facto non habeant, unde solvant, satis est, quod caveant & promittant de solvendo, ubi ad pinguiorem fortunam devenierint, gaudentque beneficio *competentia*, ut usque ad *saeculum* & *peram* executione contra eos fieri non possit, sed competat congruæ sustentationis deductio, *rex. & Interpp. in c. Odoardus. 3. de solut. Cui Privilegio, utpote toti Ordini Clericali concessio, ne quis in opprobrium ejus mendiicare cogatur, Clericus renunciare non potest. arg. c. si diligenti, de foro comp. Hen. Zoes. ad tit. Decret. de solut. n. 5. Advertit autem Riccius in praxi c. Odoardus. decis. 268. & seq. quod Clericus negans debitum, & de eo per sententiam condemnatus, nec antè illud agnosceus, vel qui dolo & sub spe d. c. Odoardus. debita & æs alienum contraxerit, non gaudeat prædicto privilegio, quod videtur admittendum saltem quoad illa media compulsoria, ut Clericus in tali casu contra incarcerationem vel censuram excipere non possit, quòd verò etiam propterea omnibus bonis exui possit, non est satis in Jure Canonico expressum, neque propter reverentiam Ordinis Clericalis facile inducendum, cum factum & delictum cuique suum, non alteri, minus Ecclesiæ seu Ecclesiastico honoris nocere debeat, L. factum. 155. ff. de R. I. c. delictum. cod. tit. in 6.*

P A R S V.

De Votis, Juramentis & Usuris tanquam materiis practicis Parochis scitu quoque utilissimis.

C A P U T I.

De Votis.

Votorum materia quotidie Parochis & Confessariis obvia est, angitque bonas animas, quare & hanc, utpote ad curam pastoralem plurimum pertinentem inserere volumus, opto ut ex voto sit,

§. I.

Quid sit Votum, quænam ejus requisita, & obligatio?

S U M M A R I A.

- 1 Votum quid, & quomodo differat a proposito.
- 2 Si dubitetur, fueritne votum vel propositum, præsumitur, non fuisse votum.
- 3 Votum aliud explicitum, aliud implicitum.
- 4 Voto obligatur, etiam qui non habuit animum servandi; secur, si se non obligandi.
- 5 Quanta deliberatio requiratur in voto; & quid, si dubitetur an fuerit sufficiens deliberatio.
- 6 Qualis error tollat obligationem Voti.
- 7 Difficultates novæ emergentes, vel non prævisæ car potius tollant obligationem voti, quam contractum.
- 8 Votum debet fieri Deo, saltem mediato, ut si fiat Sanctis.
- 9 Votum debet esse de meliori bono, & ibi an res indifferentes, vel res bonæ ob malum finem voveri possint?
- 10 An & quando valeat votum contrahendi matrimonium?
- 11 Voveri possunt etiam ea, quæ aliis sunt de præcepto.
- 12 Quanta sit voti obligatio, & an detur paritas materiæ.
- 13 Quomodo executio voti differri possit, & an prævidens impedimentum teneatur prævenire.
- 14 Quid, si votum sit partim de re possibili, partim impossibili.
- 15 An votum possit per alium impleri.
- 16 Exponitur tex. in c. quod super, de voto.
- 17 Vota quatenus obligent successores. Alia Summaria invenies in §. seq.

Votum communiter definitur quòd sit, *promissio deliberata Deo facta de meliori bono*. Dico primò: Votum esse *promissionem*, ut distinguatur a *proposito*, nam propositum concipitur sine actuali obligatione; unde qui propositum utcumque firmiter & efficaciter conceptum non servaverit, peccati propterea reus non erit, quia nulla se obligatione obstrinxit, *cap. 3. & ibi gloss. de voto, & voti red.* Contingit non raro, ut homines dubii reddantur, anne votum, vel solum propositum conceperint? † In quo dubio poterit præsumi, non fuisse votum, quia *in dubio melior est conditio possidentis, cap. in pari de reg. jur. in 6.* fuit autem talis dubitans prius in possessione libertatis, quam cum non constat privatum esse. Item in dubio non est obligatio inducenda. L. Arianus, de O. & A. Henr. Zoes. ad tit. Decret. de voto, num. 50. Suar. de voto lib. 4. cap. 5. non obstat, quòd in dubio tutor via sit tenenda: quia hæc regula plerumque est tantum de consilio, non de præcepto, nisi quis in dubio practico perseveraret, neque ad ejus depositionem se resolvere posset, tunc enim non liceret agere cum conscientia practice dubia. Item in dubia irregularitate orta ex homicidio, quando factum scilicet homicidium, vel mutilatio, est certum, & tantum culpa incerta, ad quale scandalum & offensionem hominum evitandam jussit subinde Pontifex tutiorem viam, & abstinentiam ab Ordinibus eligi, *c. ad audientiam, 3. & cap. pen. de homicidio*.

Porrò hæc promissio aliquando est *implicita* & actui, quem quis agit *annexa*: ut si Clericus suscipiat SS. Ordines, quibus scit *votum castitatis* annexum esse, hoc ipso eandem promittere censetur, *cap. un. b. t. in 6.* quemadmodum de Jure Civili sunt *tacita pacta* juxta *l. 2. ff. de pactis*, & obligationes, quæ ipso facto contrahuntur, & ex quasi contractu appellantur, *10. tit. instit. de obligat. quæ ex quasi contractu*.

Sed quid, si aliquis promissionem quidem votivam faciat, non tamen animum habeat illud votum servandi? ex. gr. si habens domi concubinam, emittat votum castitatis, vel SS. Ordines Clericales suscipiat, anne tale votum valebit? Resp. affirmativè, quia obligatio voti est distincta ab executione voti, nec ab ea dependet, unde rectè obligatio sine executione consistere potest, prout sine dubio is, qui de facto votum non servat, nihilominus voto tenetur, *Navar. in man. c. 12. n. 27.* & in simili obligationem ad matrimonium B. Virg. cum S. Joseph fuisse sine intentione executionis superius *par. 3. c. 5. sess. 2. n. 10.* tradidimus.

Aliud verò dicendum, si quis non tantum non habuerit animum non servandi votum, sed etiam non habuerit intentionem se obligandi, & verba merè extrinsecus protulerit, intussecè autem contrariam protestationem fecerit; talis enim voto non obligabitur, quia nulla est obligatio sine consensu tacito vel expresso, & si Clericus in

susceptione SS. Ordinum non habuerit intentionem vovendi castitatem, non obligabitur quidem ad cœlibatum ex voto, obligabitur tamen ex præcepto Ecclesiæ, interina graviter peccabit, quia decipit Ecclesiam, quæ non vult alicui sacrum Ordinem dari, nisi qui se castè vitam promiserit, c. 1. *dist. 7. & c. 1. dist. 28.*

Quod si quis suscipiens SS. Ordines penitus ignoraverit obligationem voti esse annexam, non videtur voto adstrictus, quia ignorantia tollit voluntatem & consensum, nisi ut plerumque fit, habuerit generalem & implicitam intentionem se obligandi ad illa omnia, quæ conditio Ordinis requirit, quamvis in specie de voto castitatis nihil sciverit.

5 Dico secundò, votum esse *promissionem deliberatam*, ubi aliqui perfectam deliberationem & majorem, quam ad peccatum mortale requirunt, ut Lessius de voto, *dubio 1. n. 4. 2.* alij autem probabilis statuunt, eam deliberationem, quæ obligaret nos diabolo per peccatum mortale, sufficere ad obligandum nos Deo per votum, si scilicet plena advertentia accedat, ut vovens sibi præsens sit, & sine subitaneo motu vel animi passione judicium ac deliberationem perturbante advertat se vovere, *Gutierrez Can. quæst. l. 2. c. 22. n. 7. arg. c. sunt qui opes 17. q. 4. & c. 2. b. 1.*

Quid, si dubitetur, an adfuerit sufficiens deliberatio? Sunt, qui hoc & superiori casu *sub n. 2.* pari passu procedunt, consentque possessionem, & consequenter præsumptionem stare pro libertate. Tutius tamen videtur, ut hoc casu possessio & præsumptio pro voto asseratur. Nam quando certum cum incerto concurrat, possessio regulariter stat penes id, quod certum est, sicut in possessorio judicio, qui actus possessorios certos præsentis probat, præfertur illi, qui per petitorium disputat, tales actus non fuisse legitimos, usque dum revera non legitimos fuisse demonstraverit. Atqui in ista hypothese supponitur votum fuisse certò emissum, & tantum dubitatur an cum sufficienti deliberatione, ergò possessio stat pro voto, in altero autem casu, constat, me prius fuisse liberum, & dubitatur de ipso voto, ergò possessio est penes libertatem. *Vid. Sanch. de matrim. l. 1. disp. 8. numer. 10. & Salsus lib. 2. disput. 41. numer. 31. & seqq. Zocf. b. 1. numer. 29.*

Vota autem ex metu cadente in constantem vitium emissa non obligant, cum non sint promissio voluntaria & libera, dummodò metus sit injustus ab extrinseco, & ad finem eliciendi votum inessus, vel saltem votum pro medio evadendi concessum, veluti *in c. 1. De his que vi motusur.* dicitur, non valuisse professionem mulieris in Monasterio, quæ suspecta de adulterio à marito tradita fuit ministris occidenda, à quibus tamen dimissa erat sub conditione, ut Monasterium ingrederetur. Secus est, si metus tantum proveniat ab intrinseco timore, vel ab extrinseco quidem, sed qui non sit ad eliciendum metum inessus. Unde non est dubitandum, quin valeant vota metu naufragij, latronum, vel infirmitatis emissa, c. *ex parte 9. de conversione conjug. Suar. 1. de voto cap. 7. Sanchez de matrim. lib. 7. disp. 29. num. 5.*

6 Circa errorem aut deceptionem, qui aliquando in votis intervenit, distinguitur inter vota *simplicia & solemnia*, simplicia enim cum sola voluntate voventis sine actuali sui traditione constituantur, non tantum expressas, sed etiam tacitas conditiones admittunt: ac proinde error in causa etiam merè impulsiva, aut circumstantijs solum accidentalibus notabiliter tamen rei statum mutantibus obligationem voti tollere potest, si vovens ita constitutus sit, ut non nisi in talibus circumstantijs se obligare intendat, v. g. si voveat peregrinationem, quia putat esse vicinam & facilem, aliàs non facturus tale votum, postea verò audiat esse remotam, difficilem & sumptuosam. Ita generalem regulam tradunt DD. Antonin. Ang. Sylv. Hostiens. Navar. & alij plures apud Sanch. *de Matrim. l. 10. disp. 9. n. 15.* quòd vovens non obligetur in eo eventu, quem excepisset, si tempore voti emissi cogitasset, tum quòd in talem eventum censeatur, se virtualiter noluisse obligare, tum quòd *in generali promissione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non promississet, c. in generali de R. I. in 6. c. qui ad agendum de procur. in 6. elem. 2. cod. tit.* Quam quidem doctrinam tunc veram censet Sanch. *dl. c. n. 16.* si eventus ignoratus claudatur in virtute voluntatis vovendi, & non sub objecto promissionis, aut sit causa finalis, ut si quis voveat dare Paulo eleemosynam, quem ignorat locupletem: secus verò, si includatur in virtute aliorum actuum vel habituum & claudatur sub objecto promissionis, aut sit causa merè impulsiva, v. g. non vovissem Paulo pauperi eleemosynam si scivissem furem, ebriosum &c. quia tamen pauper est, claudetur sub objecto promissionis

scilicet eleemosynæ, & idèd votum obligat. Verùm hæc limitatio, quæ ob ingraniam subtilitatem, & plurimis difficultatibus ac scrupulis in singulis factis emerisuros hanc tamè poterit Confessariis, nedum contentibus ad clarum intellectum explicari, non videtur mihi necessaria, sed id potissimum attendendum esse, an quis eventu ignorato præcogito vovisset, vel non; si non vovisset, deficit perfectæ voluntas in talibus circumstantijs, si vè jam ad objectum promissionis pertineant, si vè non, & habet locum regula *d. c. quòd in generali concessione non veniant ea, quæ quis verisimiliter in specie non fuisset concessurus, & verba accipienda sint secundum verisimilem atque aded etiam habitualem intentionem proferentis. c. 2. de appell.*

Non obstat quòd alij contractus non rescindantur ob difficultates postea emergentes, quibus prævisis non fuissent initi, cum aliàs nulla forent firma inter homines commercia, sicut argumentatur Sanch. *d. l. n. 14. Lessius de voto dub. 2. n. 10.* nam responderi potest, imprimis frequentissimas in jure esse rescissiones contractuum ob accidentia non prævisa, veluti si occultum rei emptæ vitium detegatur, si malus vicinus celatus fuerit &c. *h. 1. de edil. edict. & de act. empt.* si conductor ædium spectris vexetur, latrones timeat &c. *L. habitatores. ff. locis.* Deinde quidquid sit de contractibus, qui simpliciter acceptantur ab hominibus, atque ad firmandum commercia & minuendas lites non facile solent leges concedere rescissionem, vel admittere exceptionem deficientis consensus, aliud tamen est in voto, quod cum principaliter fiat Deo, qui voluntatem nostram & animi consensum perfectissimè cognoscit, non censetur acceptare, in illis circumstantijs, quas non prævidimus, & si prævidissemus consensum minimè daturum fuisset. cessat etiam in votis minuendarum litium, & firmandorum commerciorum ratio, imò potius è contrario per nimium rigorosam, & scrupulosam simplicium votorum obligationem lites & anxietates in conscientijs generamus, & homines à meritorio movendi actu deterremus, *Laym. de voto, c. 3. n. 4.* nimis enim durum est dicere, quòd Deus me obliget ex mea voluntate (æque præceptum voti servandi aliter obligat, quam ex voluntate humana præsupposita) in tali casu & circumstantia, ad quam ipse scit, quòd voluntas mea se non extenderit; hæc referri potest, quòd cum Joan. And. & Molina tradit *Zocf. h. 1. n. 56.* voventem abstinentiam vel jejunium diebus Veneris, non teneri, si Natalis Domini in diem Veneris incidat.

At verò *solemnia* vota cum per actualem sui traditionem perficiantur, & regressio ex Monasterio post professionem emissam admodum scandalosa sit, regulariter non irritantur ex errore vel deceptione; quia censetur professus se absolute & simpliciter obligasse sine reservatione alicujus tacitæ conditionis, si hoc vel illud fuerit &c. prout exemplum ponitur *in c. ea parte. 14. de conversione conjugatorum.* ubi mulier post matrimonium ratum ingressa est Religionem, quia audivit maritum esse leprosum, respondet ibidem inter cætera summus Pontifex, quòd matrimonium fuerit dissolutum & valida professio, si qua facta sit, licet fortassis causa, quæ ad ingressum movit, falsa extiterit. hinc est, quòd illa regula, *dolus dans causam contractui bone fidei facit contractum nullum, desumpta ex L. 7. ff. de dolo.* non procedit in illis contractibus, qui per actualem sui traditionem perficiuntur, ut in professione religiosa & matrimonio carnali, quorum annullatio propter scandalum non ita facile admittenda est. nisi tamen error sit circa substantialia Religionis, v. g. si idèd aliquis certum Monasterium ingrediatur, quòd putet in eo licere habere proprium, aliàs nullo modo ingressurus. *vid. Sanch. d. l. n. 18. Laym. in Theol. moral. l. 4. tract. 4. c. 1. n. 5.*

Dico tertio, votum esse *promissionem Deo factam*, si enim aliquis tantum intendat se obligare homini non Deo, v. g. si quis promittat Confessario aut parentibus certum locum vitare, talis promissio votum non erit, nec per ejus transgressionem sacrilegium committetur. Non autem requiritur, ut votum immediatè Deo fiat, dummodò finaliter in Deum dirigatur, sic votum ad Sanctos, vel eorum imagines factum verum votum est, quia saltem mediatè Deo fieri censetur, quatenus id, quod petitur à Deo, per intercessionem Sanctorum impetrari speratur. *Syl. verbo votum. n. 3.*

Dico quarto, votum debere esse *de meliori bono*: quia si res *indifferens*, quæ moraliter nec bona nec mala sit, & multò magis si ex se vel leviter mala sit, voveatur, inutile votum erit: nisi tamen res indifferens bono aliquo sine honestetur unde licet non obliget votum non intrandi certam domum, non gestandi gladium, valebit tamen, si propter evitacionem forte periculi peccati fiat, vel si aliquis nimis affectus esset erga talem actum indifferenter, & idèd pro sui mortificatione voverit abstinentiam ab eo.

De illis votis difficultas est, an valeant, in quibus res bona quidem voveretur, sed ob finem malum v. g. si dux ad injustum bellum proficiscens votum faciat extruendi templum, si victor e vaserit, vel usurarius voveat largam elemosynam, si usuras integras à debitoribus perceperit. Talia vota ordinariè non valere, quia facere votum ad impetrandam à Deo rem illicitam, vel tanquam in gratiarum actionem, quòd res illicita quasi per Dei auxilium acquisita sit, est mala & blasphemata operatio, quia Deo adscribit operationem peccati, quæ ipsi non congruit, nisi prædictæ conditiones quasi pro tempore exsolvendi voti simpliciter facti statuatur. v. g. quòd vovens velit templum ædificare, vel elemosynam dare, postquam victoriam reportaverit, absque intentione mediante voto talem illicitum finem consequendi.

Alia est ratio, si quis rem bonam, jejunium v. g. aut elemosynam voverit ad finem impetrandi à Deo rem temporalem licitam & honestam, vel in gratiarum actionem, quòd obtinuerit v. g. officium in aula, dives matrimonium &c. quia similia à Deo tanquam eorum authore petere, vel pro imperatoris gratias agere, bonum & honestum est.

Præterea non sufficit, ut votum sit de re bona aliqua quacunque, si per id præjudicetur *meliori bono*. unde regulariter non valet votum contrahendi matrimonium, † quia per id impeditur continentia & ingressus in Religionem, bonum *melius*, & perfectius i. ad Cor. 7. *Trid. s. 24. Can. 10.* propterea in definitione dictum est, votum esse *promissionem de meliori bono*. nam Deo non potest esse gratum & acceptum, quòd aliquis vovendo minus bonum, hoc ipso se obliget, quòd non velit amplecti majus bonum.

Dixi autem, votum matrimonij regulariter non valere, nam ab hac regula aliqui casus excipiuntur. Ut I. Si per matrimonium possit procurari bonum publicum, pax, Religio inter Magnates. II. Si fiat causa pietatis ad liberandam faminam ex statu vel periculo peccati, quod liberanti proficiet in remissionem peccatorum. c. *inter opera 20. de spons.* III. Si vovens ipse frequenti periculo peccati obnoxius sit, cui aliter quam per matrimonium haud facile mederi queat. Si tamen ex post speraret se cum Dei gratia continere, & v. g. Religionem ingredi posse, non obligaret votum in præjudicium status perfectioris. Sicut etiam in priori casu, volunt DD. votum non obligare cum exclusione Religionis, sed tantum conditionaliter, si aliquam ducturus est. *Zoes. b. t. n. 23. Laym. d. l. c. 2. n. 12. Suar. lib. 2. de vot. c. 9. n. 23.* Si quæras, cur potius juramentum de ineundo matrimonio alicui factum simpliciter obliget, c. *commissum 16. de spons.* & non etiam votum? respondetur, votum fieri principaliter Deo, qui id non acceptat in præjudicium melioris boni, juramentum autem fieri homini cum divina solum attestazione, qui id simpliciter acceptat, quatenus sibi inde jus & utilitas quæritur, interim etiam juramentum habere tacitam conditionem nisi jurans maluerit Religionem ingredi, communius sentiunt DD. ait tamen Pontif. in d. c. 16. tutius esse, prius matrimonium contrahere, & postea ingredi, sed id DD. explicant, si multum interesset sponsæ vel ob infamiam, vel lucrum antenuptialis donationis ex statuto &c. *vid. Sanch. de matrim. l. 1. d. sp. 43. n. 6. Zoes. ad tit. de sponsal. n. 29.*

Cæterum autem non tantum ea, quæ de Consilio Evangelico sunt, voveri possunt, sed etiam ea, quæ sunt de præcepto. v. g. non blasphemare, non fornicari, &c. ut aliquis ex gravitate & duplicitate obligationis tantò magis à peccato absterreatur; nihil enim impedit aliquem circa eandem rem pluribus obligationibus teneri, veluti si rem alienam, quam ex jure divino & naturali restituere debeo, etiam per specialem promissionem me restitutum polliceor. Latius hæc profequitur Less. *de voto. dubio 7. Laym. de voto. c. 2. ulterius post explicatam voti definitionem circa ejus obligationem & executionem.*

12 *Quer. I.* Quæ & quanta sit voti obligatio? *R.* De fide certum esse, quòd omne votum validè emissum ex virtute Religionis obliget ad præstandum id, quod voto promissum est, juxta illud *Deut. 23. Si nolueris polliceri, absque peccato eris, quod autem semel egressum est de labijs tuis, observabis.* & illud *Psal. 75. Vovete, & reddite Domino Deo vestro.* estque transgressio voti peccatum ex genere suo mortale, quia violare fidem & promissionem Deo datam gravis culpa est; aliquando tamen ob parvitatem materiæ veniale esse potest, puta si ex materia voti aliqua pars subtrahatur, & votum pro majori parte impleatur. v. g. si vovens orare rosarium unum vel alterum *Ave Maria* omittat.

Quid, si tota materia voti sit parva v. g. si quis voverit singulis diebus orare unum *Ave Maria* & illud omittat? adhuc veniale tantum culpam esse docet Lessius *de voto. dub. 9.*

n. 58. & ita testatur plerisque sentire Recentiores. censulerem tamen pro tutiori, ne tale peccatum facile in Confessione committatur, quia aliqui graves DD. in diversa sunt opinione *Cajet. de jurament. q. 49. art. 7. Ang. v. vot. m. l. 3. q. ult.*

Deinde in foro etiam extrinseco Ecclesiastico ille, qui scitur votum fecisse, ad ejus observationem rectè compellitur, quia Ecclesia judicat de quovis peccato mortali, & præcavere debet, ne crimina committantur. c. *novit de judicijs. l. quod super. in fine. 7. de fide instrum. præsertim si Ecclesiæ vel alterius intersit, votum impleri, ut quia aliquis voto se obligavit Ecclesiam ædificare, pauperibus vel terræ sanctæ subvenire &c. licet. 6. b. t.*

13 *Quer. II.* Quamdiu executio voti differri possit? *R.* Si certum tempus vovens ipse sibi determinaverit, illud sine peccato elabi non patietur: si præviderit impedimentum illo tempore futurum, tunc votum prius exsolvere debet, neque elapso tempore, si votum non impleverit, hoc ipso liber erit, sed postea implere debet, nisi votum ob specialem Dei cultum ad hunc, & non alium diem determinatum sit. v. g. si quis in festo certi alicujus Sancti se jejunaturum promissit, & illo die non jejunavit, peccavit quidem, sed alio die jejunare non tenebitur. Imò tamen præviderit impedimentum, non cogitur anticipare: quia tunc solum anticipatio præviso impedimento est necessaria, quando obligatio est absoluta, & tempus tantum dilatio executionis, secus verò si tempus sit quasi pars voti, & votum proprium diei onus. *Suar. de voto. lib. 4. c. 14. Zoes. b. t. n. 54.*

Quòd si nullum certum tempus vovens sibi præfixerit, debet votum exequi, quamprimum commode potest, juxta illud *Deut. 23. cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum, quemadmodum etiam in alijs obligationibus ab eo, qui se sine certo tempore obligavit, res statim peti potest, quamprimum debitor facultatem solvendi habuerit, L. *promissor. §. 1. ff. de constituta pecunia*, ita tamen ut juxta humanum modum & arbitrium boni viri hæc res accipiat, neque enim qui fortassis peregrinationem vovit, cogitur diebus ac noctibus, vel omni tempestate & periculo & incommoditate contempta illam explere *arg. text. notab. in l. continuus. 137. §. 2. ff. de verb. obligat.**

14 *Quer. III.* Si Votum pro aliqua parte sit moraliter vel physicè impossibile, utrum saltem obliget quo ad partem possibilem? *R.* Esse distinguendum, utrum materia voti sit *dividua*, vel *individua*, priori casu locum habebit *regula 26. juris. in 6. quòd utile non vitietur per inutile*; adeoque si vovens votum implere secundum unam partem non possit, tenebitur secundum eam, quam potest. Quare qui vovit se jejunaturum tota septimana, si singulis diebus id sine periculo facere non possit, tenebitur illis diebus, quibus potest. Item qui vovit, se Ecclesiæ donaturum 1000. florenos, si propter supervenientem paupertatem totam summam dare nequeat, tenebitur ad illam partem, quam dare potest salva congrua sua sustentatione. Illam tamen exceptionem hic addunt DD. nisi pars impossibilis sit *principalis*, & altera tantum *accessoria*, & non aliter quam respectu illius principalis promissæ. Unde qui vovit se peregrinaturum ad certam Ecclesiam, & ibidem oblationem facturum, si peregrinari non possit, non tenebitur oblationem eò mittere, juxta vulgatum, quòd *principale trahat ad se accessorium*, si tamen oblatio esset in magna quantitate promissæ, tunc censeretur illa principaliter esse in obligatione, & peregrinatio tantum accessoria, idèque peregrinatione impossibili illa oblatio transmittenda foret; nam pereunte accessorio non perit principale.

Altero autem casu, si materia voti sit *individua*, tunc una parte impossibili non tenebitur vovens possibilem implere. v. g. qui vovit templum ædificare, & propter supervenientem inopiam totum ædificare non potest, non tenebitur capellam ædificare. *Suar. de voto. lib. 2. c. 2.* Generaliter autem tota hæc quæstio potissimum ex intentione voventis resolvenda est, an voluerit se ad omnes partes voti collectivè tantum sumptas, vel etiam ad singulas divisim obligare. In dubio quando nec ex conjecturis constaret de intentione voventis, suaderem observationem partis possibilem, quia in dubio tutior via est tenenda saltem de consilio, sed multum renitenti non auderem imperare, quia in dubio non est facile inducenda obligatio, *L. Ariamus. de oblig. & act. & votum obligatio ex communi sententia non est amplianda, sed strictè accipienda, arg. c. ex parte ubi. Panorm. de consensu. Item in obscuris quòd minimum est, sequimur regul. 30. juris in 6. Sanch. de matrim. lib. 9. Disp. 35. n. 8.*

15 *Quer. III.* An liceat votum per aliam personam implere, vel an teneatur per aliam implere, qui per se ipsum non potest?

¶ II. *Votum personale vel etiam mixtum*, (si nullum subfit impedimentum ex parte voventis, de quo infra) per ipsam personam voventem implendum est, nec per aliam impleri potest, quia illa tantum & non alia obligata est: neque hic locum habet regula, quod *quis per alium facit*, per se ipsum fecisse censetur, prout eadem regula nec in aliis casibus obtinet, in quibus ipsius personæ obligatæ factum, ejusque industria maximè pro majori sui mortificatione promissa est. *Votum autem reale* aliquando per aliam personam impleri potest, ut si quis solvat pro me elemosynam quam promissi dare pauperibus, quia tunc censetur mihi donasse pecuniam, & ita *orevi manu* illa elemosyna de meo data esse, prout observat Sanchez, *lib. 4. moralium. c. 10. n. 10.*

¶ III. Qui non potest votum *personale* v. g. jejunii aut orationis per se implere, non tenetur id implere per alium, quia actus non obligat ultra intentionem agentis, fuit autem intentio voventis, suam tantum non alterius personam obligare, & quilibet vovet eo animo, ut velit se & non alium affligere. Illi tamen casum excipit Sanchez *lib. 4. c. 15. n. 9.* Si votum *personale* non tam intendatur pro sui afflictione, quam pro utilitate alterius, v. g. si quis votum fecerit jejunii aut missæ dicendæ pro redemptione animarum in purgatorio, quæ sententia Sanchez videtur habere æquitatem, & propereà voventi consulenda, cum finis voti tali casu etiam per alium obtineri possit, si tamen voventis non possit facile habere alium per quem votum impleat, non foret cogendus, nisi fuisset ipsius intentio, implendi votum sive per se sive per alium, nam in dubio quilibet præsumitur se tantum obligare voluisse.

16 Sed his opponi posset difficilis textus *c. quid super. 8. X. de voto.* ubi S. Pontif. decidit, quod illi, qui fecerunt votum succurrendi terræ Sanctæ, si ob impedimentum perpetuum in propria persona ire, aut militare nequeant, teneantur expensas quas facturi fuissent transmittere, & votum per alios exequi. Hanc decisionem non esse ex natura hujus voti (utpote quod potius *personale* quam *reale* sit) sed ex præsumpta mente voventis, qui in defectu suæ personæ ad expensas se obligasse censetur, existimat Paul Laym. *d. L. c. 3. in fine. cum Palud. Nav. & alis.* Verùm quia non est bene credibile, quod S. Pontifex voluerit quæstionem voti, quæ immediate conscientiam tangit, ex præsumptione, non habente locum in conscientia nisi veritas subfit, decidere, & verba *in d. c. 8.* ita simpliciter proferantur, ut nulli supposito, vel præsumptioni ianiti videantur: proptereà magis puto, votum peregrinationis Hierosolymitanæ, quod non causa devorionis, sed in subsidium Terræ Sanctæ emissum est, accenseri votis *realibus* vel *mixtis* in quibus principale est id, quod est *reale*, ideoque habere locum, quod dicitur in seqq. responsionibus. Nam tunc votum dicitur tale, quantum in eo principaliter consideratur & intenditur utilitas Ecclesiæ vel piæ causæ, accessoriè autem devotio vel labor personæ, sed in promisso subsidio terræ sanctæ utique principaliter intenditur utilitas Ecclesiæ Catholicæ, accessoriè autem personæ labor, qui bene & forsan fructuosius potest per substitutum impleri: ergo &c.

¶ IV. *Vota realia* per alium implenda sunt, si per ipsum voventem impleri non possint, quia nihil interest, an ipse vovens an alius ejus nomine etiam de ipsius substantia elemosynam expendat.

¶ V. In votis *mixtis* quantum ad eorum realitatem quæstio dependet à præcedenti, an nimirum, si votum quo ad partem obligationis personalis sit impossibile, impleri debeat saltem quo ad obligationem rei, ubi proinde illa distinctio est adhibenda, quam ibidem tradidimus, an scilicet id, quod est *reale* voti v. g. peregrinatio, & in ea oblatio, fuerit accessoriè vel principaliter in obligatione, item an intentio voventis fuerit se ad singulas partes voti divinum obligare. *vid. Suar. de voto. lib. 2. c. 1. & 2. Laym. d. l. c. 2.*

17 *Quer. V.* An & quatenus vota defuncti obligent heredem? ¶ Rursus distinguendum esse inter vota, nam *vota realia* regulariter omnia ad heredem transeunt, & per eum expleri debent, quia sunt onus bonis defuncti annexum, quod consequenter in heredem transmittitur, *c. ex parte. de consensu.* Quamvis autem executio voti *realis*, quod defunctus fecit, ante omnia legata etiam pia fieri debeat, cum obliget animam defuncti, ante alia verò debita, quæ creditoribus defuncti ex justitia debentur, votum non est solvendum. Nam votum *reale* tantum debetur ex bonis defuncti, non autem sunt *bona nisi deducto ere alieno*, quare si deductis debitis non remaneat tantum, ut elemosyna vel donatio à defuncto per votum promissa possit ex toto impleri, sufficit si heres impleat & exequatur, in quantum vires

hereditatis patiuntur, Sanchez *d. c. 15. n. 39.* ita tamen ut nullam *Falcidiam* vel *Trebellianicam* detrahat, quia cum in legatis piis, ad quæ defunctus non fuit obligatus, non detur *Falcidia* detractio, *aut. similiter. C. ad L. Falcid. Tyrac. D. priv. pia cause. priv. 26* multò minus dabitur sive ex Lege sive ex voluntate defuncti in voto, in quo defunctus propriam animam obligavit.

Vota mixta *personalia*, ut jejunia, peregrinationes & similia heres regulariter implere non tenetur, quia jura & obligationes, quæ personæ defuncti in individuo cohærebant, non transeunt in heredem, nisi ultro se impleturum promississet, vel sub hac conditione implendi votum heres institutus fuisset, *c. licet. 6. & ibi DD. b. t.*

Neque ea vota quæ nonnunquam faciunt communitates, oppida, vel civitates peregrinandi, jejunandi &c. in ratione voti & sub reatu sacrilegij obligant successores, sed potius ex pacto, consuetudine vel statuto, accedente approbatione expressa vel saltem tacita Episcopi, qui etiam ejusmodi leges vel consuetudines diæcesanorum ex causa abrogare potest. *vid. Sanchez. d. c. 15. n. 19. Laym. d. c. 3. sub. n. 6. Suar. de voto. l. 4. c. 9. n. 10.*

In votis *mixtis* iterum attendendum est, an defunctus ita voverit, ut si id, quod fuit *personale* in voto non potuisset implere, saltem tenebatur implere id, quod fuit *reale*? vel an *personali* impossibili non tenebatur etiam ad *reale*? Priori casu heres tenebitur ad rem præstandam, non autem posteriori, *Suar. d. l. 4. c. 11.*

§. II.

Qualiter Obligatio Voti tollatur.

S U M M A R I A.

- 1 *Votum tollitur quatuor modis.*
- 2 *Materia voti deficit, quando non est amplius de meliøre bono.*
- 3 *Quo complex sit potestas Superiorum irritandi vota.*
- 4 *In directa potestate non attenditur an votum superiori præjudicet, & ibi de votis Religiosorum.*
- 5 *Vota pupilli possunt etiam post pubertatem irritari, & successor superior potest irritare vota sub suo antecessore emissa.*
- 6 *Maritus qualiter possit irritare vota uxoris.*
- 7 *An uxor possit aliqua vota mariti irritare.*
- 8 *Votum irritatum an reviviscat cessante potestate irritantis.*
- 9 *Qualiter, & à quo fiat commutatio voti.*
- 10 *Qualiter dispensetur in voto.*
- 11 *Quinque vota reservata Papa, & quænam.*
- 12 *Qua ratione possit fieri dispensatio in votis, cum obligent ex jure divino.*
- 13 *An Papa valeat dispensare in votis solemnibus Religionis, vel Clericatus.*

Quatuor modi sunt, quibus votum rectè & valide emissum tolli potest, ita ut amplius obligatorium non sit; primò si *materia voti deficit*; secundò si à superiori irritatur; Tertio si commutetur; & Quartò si voventi dispensatio concedatur.

Materia voti deficit, quoties opus Deo promissum propter aliquas supervenientes circumstantias illicitum, aut etiam meliõs boni impeditivum, vel omninò indifferens, adeòque non amplius Deo gratum, vel denique prorsus impossibile redditur, v. g. vovisti non intrare certam domum propter periculum peccandi evitandum, si ex postfacto periculum cesserit, voto deobligaris; vovisti longiores peregrinationes, vel statum cælibatus, aut Clericatus sæcularis, sed malles jam ingredi Religionem, non impedieris ab istis votis, quia omne votum potest mutari in votum Religionis, cum nullum votum obliget in præjudicium meliõs & perfectiõs boni, *c. 4. b. t.*

Potestas irritandi vota aliquando est *spiritualis*, aliquando *temporalis*, quatenus scilicet talia vota à voluntate superioris sive is spiritualis, sive temporalis sit, dependent. Est autem prænotandum, quod ista dependentia a superiori voluntate sit in duplici differentia, una est per se & simpliciter dicta, in quantum voluntas voventis simpliciter & absolutè dependet à directione & voluntate superioris, qualis est voluntas Religiosi respectu sui Prælati, *c. si Religiosus. de electione. in 6.* Item filij impuberis respectu par-

Estu patris, vel tutoris, *z. mulier 32. q. 2.* Altera dependentia est secundum quid, & quasi per accidens, videlicet ratione materiae, in qua alterius juri vel potestati praedjudicatur, ut si servus, filiusfamilias, pubes, conjunx, Novitius aliquid voveat, quod sine praedjudicio & damno domini, patris, mariti, aut Monasterij observari non possit.

4 Igitur in casu prioris dependentiae datur superiori directa potestas votum subditi irritandi, & annullandi, licet sibi aut potestati suae damnosum non sit, quia voluntas inferioris effectum non habet, nec à Deo acceptatur, nisi in quantum confirmata vel tolerata est superioris autoritate, ut constat ex *lib. Num. c. 30.* licet verò leges *judiciales* veteris testamenti post adventum Christi cessarint, ut *sup. c. 1. §. 1. nu. 5.* dictum, quatenus tamen sunt deobligatoriae, & favorabiles conscientijs, rectè potest ex ijs divinae voluntatis interpretatio, an votum acceptet vel non, desumi. & in *c. 2. causa 20. q. 2.* dicitur, *Monacho non licet votumovere, & si voverit, frangendum erit.* Imò valebit talis irritatio, licet sine justa causa fiat, quia etiam hoc casu deficit consensus superioris, sine quo votum durare non potest; peccabit tamen juxta probabiliorum opinionem superior saltem venialiter, si absque justa causa votum irritet, quia a jure & potestate sua, impediendo promptitudinem subditi ad exhibendum Deo cultum per votum, *Lessius de voto. dub. 10. n. 17.*

Interim licet Religiosus aliter quodcumque votum voverit non possit, nisi sub tacita conditione, si Abbas toleraverit, quoad licentiam tamen, seu consensum superioris petendum distinguendum est, an Religiosus votum fecerit in actione aliqua sibi licita & concessa, v. g. certas orationes privatim dicendi: vel an in actione quidem bona, Religiosus tamen ex certa causa prohibita, v. g. peregrinandi extra Monasterium; priori casu non tenebitur petere licentiam Praelati, sed de facto obligabit votum, usque dum ab Abbate aliunde resciente, vel per generalem prohibitionem in Capitulo irritetur. Altero autem casu obligabitur Religiosus ad petendam licentiam Abbatis, quia saltem ex voto tenetur facere quantum in se est.

Praeterea communiter tradunt DD. quod pater vel tutor possit irritare vota liberorum in impubertate facta etiam postquam illi ad pubertatem pervenerunt, nisi post pubertatem talia vota nova voluntate confirmarint. Ratio est, quod parentibus atque tutoribus (quo nomine in defectu patris venit etiam avus paternus, vel in defectu ascendentium masculini generis etiam mater, cum ad eam quoque jure naturali cura filij impuberis spectet) detur simpliciter potestas vota in impubertate facta irritandi, ac in similibus attendatur primordialis natura obligationis & qualitas agentis, dum actum fecit. Quemadmodum in *c. ult. de sententia excom.* percussio Clerici facta à puero impubere absolvi potest ab Episcopo etiam post ejus impubertatem, *Navar. man. c. 12. n. 71. Sanch. l. 4. Moral. c. 30. n. 14. Laym. d. h. c. 7. n. 11.* Tradit etiam Sanch. *de Matr. l. 2. disp. 4. r.* quod vota uxoris, quae tempore prioris matrimonij poterat vir, vel, si tunc erat impubes & innupta, pater aut tutor irritare, possit etiam succedens maritus, utpote qui etiam in locum patris & tutoris succedat idemque judicium sit de alio quovis superiore succedente in officio, ut possit irritare vota sub suo antecessore emissa, tamen si vota fuerint de licentia prioris mariti vel superioris emissa, quia per hanc non potuit praedjudicari successori pari potestate functuro. *c. Innocent. de elec. ita tamen ut hoc casu fiat irritatio ex justa causa.* & haec quoad casum primae dependentiae voventis ab ipso superiore.

In altero autem casu, quando tantum per accidens, & ratione materiae voventis voluntas dependet à superiore, votum aliter superior irritare non potest sui inferioris, quam quatenus id sibi, vel rei suae damnosum est. † Unde si v. g. uxor longam peregrinationem, jejunium, aut elemosynam de bonis dotalibus voveat, non valebit votum, nisi sub tacita conditione, si vir permiserit, imò licet maritus semel assensum dederit, & uxori executionem voti sui aliquamdiu permiserit, nihilominus ex post facto sententiam mutare & votum irritare potest *c. manifestum. 33. q. 5.* eadem est ratio de filiofamilias, si post pubertatem aliquid voveat, quod in detrimentum vel incommodum patris cedat, v. g. sumptuosam peregrinationem, abstinentiam à carnibus, elemosynas ex bonis patris &c. secus autem est, si uxor voverit se donationem futuram Ecclesiae de bonis suis *receptis*, aut filiusfamilias de bonis *Castris*, in talibus enim bonis non fit praedjudicium marito, vel patri, cum pleno jure spectent ad voventem,

tem, & consequenter votum circa ea irritari non potest *DD. max. citati*, & haec sententia quoad uxorem tanquam tutior suaderi potest.

Interim valde probabile est, quod docet Sanch. *De matr. lib. 9. disp. 39. num. 4. & seqq.* uxorem subditi marito non tantum quoad Materiam voti, sed etiam quoad voluntatem, vir enim Caput est mulieris, ad *Ephes. 5.* & Mulier est sub viri potestate. *Can. 3.* viderurque Deus ea de causa mulieris voluntatem subdidisse viro, quia Mulier est levis, imprudens, & facilis in emittendis votis, idèdque posse maritum omnia vota uxoris etiam continentiae, non petendi debitum, &c. sicut pater filij impuberis irritare, ita enim haec potestas Marito num. 30. simpliciter conceditur, & confirmant dicta *SS. PP. in cap. voluit, & cap. fin. 33. quest. 5. D. Thom. 2. 2. quest. 88. art. 8. ad 3. ibi: nullum votum religiosi est firmum, nisi sit de consensu praelati; nec uxoris, nisi sit de consensu viri.* Imò ulterius putat Sanch. *d. d. leg. num. 16.* quod maritus possit irritare vota uxoris constante matrimonio emissa, sed collata in tempus dissoluti matrimonij: Quia tempore emissi voti voluntas voventis subdita est marito. *Et eodem lib. 9. disp. 40. num. 4. & seqq.* quod Maritus possit irritare vota uxoris, etiam de sua licentia emissa, quamvis peccat irritando sine causa. Divortio tamen facto ex causa adulterij nulla potestas irritandi est. *d. disp. 39. num. 8.*

7 Sed an etiam econtra uxor aliqua vota mariti irritare valebit? Resp. Affirmative, in quantum ea uxori in jure suo conjugali, quod habet in corpus mariti, vel in bonis suis praedjudicant, ut si maritus voveat longam peregrinationem, & diuturnam absentiam, donationem ex bonis dotalibus, & similia, Sanch. *d. l. 9. disp. 42.*

Uno tamen casu jura propter publicam necessitatem Christiani populi derogant potestati uxoris, quatenus scilicet maritus praeter uxoris assensum possit liberè vovere peregrinationem Hierosolymitanam pro terrae sanctae redemptione, si nimirum in ea qualitate sit, ut vel ipse militare, vel milites secum ducere, aut suo consilio militantes adesse possit, *cap. ex multa 9. §. penultimo b. r.* similiter juri mariti vel uxoris derogatum est in voto religionis ante matrimonium consummatum, *r. de convers. Conjug.* Item praelato in voto religiosi ad strictiorem ordinem transitori, *cap. licet de regular. Sanch. d. d. 39. n. 19.*

8 Demùm hic quaritur, an reviviscat votum semel irritatum, postquam per mortem mariti, vel patris subditi cessavit? In hac quaestione satis conveniunt DD. primò, quod votum Religiosi, vel impuberis a Praelato vel patre irritatum semper irritatum maneat, quia isti habent simplicem, & directam irritandi potestatem. Secundò, quod votum à muliere factum, antequam in matrimonium transivit, vel a servo antequam in potestatem Domini venit, possit quidem à marito vel domino interim irritari, quatenus sibi praedjudicet, postquam verò conjugium vel potestas dominica cessavit, votum incipiat, ut prius obligare, quia non fuit simpliciter irritatum, sed tantum respectu dictae potestatis, cui praedjudicavit. Sed in tertio dissentiunt, an scilicet votum, quod uxor constante matrimonio, vel filius jam pubes, dum adhuc in potestate patris erat, emisit, atque irritatum fuit, obliget iterum, postquam matrimonium aut patria potestas soluta est. Affirmativa sententia tutior est, dummodo votum fuerit in omni vita tempus conceptum, & non praecise ad statum conjugii, vel certos annos, qui jam elapsi sunt, restrictum, ut si uxor voverit se tota vita aliquot diebus in hebdomade jejunaturam &c. Ratio est eadem, quae in praecedenti articulo, quod scilicet irritatio voti constante matrimonio facta non fuerit simplex, & totaliter tollens obligationem voti, sed solum in quantum praedjudicavit, Innocent. *in Scripturae b. r.* Lessius *de voto dubio 10. n. 86.*

Quia tamen etiam pro contrario sunt non pauci DD. cum Panorm. *in d. c. Scripturae, & c. quidam de convers. conjug.* Sanch. *d. l. 9. disp. 39. n. 36.* idèd fortassis Episcopus in tali voto ad cautelam dispensare poterit, nam quando est dubium, an res egeat dispensatione, posse Episcopum dispensare, vel declarare, quod non sit opus dispensatione, tradit Garc. *de benef. par. 7. c. 2. n. 10.*

9 Per commutationem tollitur obligatio voti, si id, quod ante erat promissum in aliud opus bonum, & Deo gratum commutetur, ad hanc commutationem duo principaliter requiruntur, scilicet *causa, & superioris auctoritas*: causa est vel difficultatis, vel utilitatis; *difficultatis*, si propter paupertatem, debilitatem corporis, periculum frequentis omissionis, aliave circumstantias difficilis sit voti executione, imò levior etiam difficultas sufficit, si votum in puerili

illi ætate ex facilitate potius quam arbitrio discretionis emissum sit, *cap. 2. b. t.* Causa verò utilitatis est, si vovens pro opere Deo promisso, aliud Ecclesiæ utilius, & Deo gratius præstare paratus sit, quamvis autem auctoritas superioris non requiratur, si opus in quod votum commutatur, manifestè Deo gratius sit, ut si vovens vellet Religionem ingredi *c. 4. b. t.* vel si voverit, se daturum Ecclesiæ certæ, & deinde velit dare pauperiori, & magis indigenti; quia in similibus casibus non tam violatur votum, quam auctius, & plenius redditur; si tamen dubium sit, quodnam opus omnibus consideratis melius & Deo acceptius habendum, tunc auctoritas & arbitrium superioris omninò intervenire debet, *c. 1. & ibi DD. b. t.*

Porrò nomine superioris non tantum venit Sanctus Pontifex, sed etiam inferiores Prælati jurisdictionem Episcopalem habentes. Ipsi quoque aliquando Confessarii, vel ex Jubilæo, vel aliunde privilegium commutandi vota obtinent.

Est tamen in commutatione observandum ut opus illud, in quod fit commutatio, moraliter, & arbitrio prudentis viri aliquo modo æquivalet rei per votum promissæ. Interim nihil obstat, quin votum reale commutari possit in personale, vel è contrà, licet plerumque convenientius sit, ut reale, vel etiam personale in reale commutetur, quia ordinariè onera realia etiam charitatem erga proximum, vel utilitatem Ecclesiæ concomitantem habent, nisi personale fuerit corporis afflictivum, & certis peccatis resistens, quod proinde expedit, ut in aliud simile quod vovens perficere possit, convertatur, v. g. jejunium in orationes quotidianas &c. In specie autem de commutatione votorum, quæ à Confessarijs fit tempore Jubilæi & qualiter singula vota commutanda sint, valde utiliter legi poterit R. P. Gobat, *de duplici Jubilæo.*

Denique per dispensationem extinguitur votum, si subexistente causa ejus obligationem Pontifex vel alius Prælati etiam inferior jurisdictionem Episcopalem, aut speciale privilegium habens remittat, causæ autem dispensandi recensentur, si votum ex minori deliberatione, ut in ira, metu, ætate puerili, vel aliqua animi perturbatione non tamen auferente profus mentis Judicium emissum sit, ut deinde difficulter observari possit; aut si aliqua magna, & publica utilitas per dispensationem obtinenda speretur, veluti si unicus heres alicujus Principatus vel insignis familiæ votum castitatis fecerit &c. & hæc dispensatio plerumque necessaria est in votis majoribus, quæ propter dignitatem materiæ non recipiunt aliquam æquivalentem commutationem; in minoribus autem magis commutatio, quam dispensatio locum habet, quia obligatio Deo facta debet omni meliori, quo potest, modo impleri, unde & in ipsa dispensatione circa vota minora aliquid saltem opus bonum vovendi loco voti peragendum injungitur.

Porrò in votis dispensare non tantum potest S. Pontifex, sed etiam inferiores Prælati jurisdictionem Episcopalem habentes, videlicet Legatus Pontificis in Provincia suæ Legationis; Episcopus in sua Diocesi; Capitulum sede vacante, Prælati exempti cum suis subditis, Archiepiscopus cum subditis suorum suffraganeorum, non quidem semper, & ubique, sed si quasi per appellationem adeatur denegata dispensatione à suffraganeo, vel dum auctu Provinciam visitat, quia extra appellationem & visitationem Archiepiscopus in subditos suffraganeorum regulariter jurisdictionem non habet, *Venerabilibus. 7. de sententia excom. in 6. c. fin. de censibus in 6.*

Sunt autem quinque vota specialiter reservata, in quibus nemo præter S. Pontificem, vel cui is ex singulari privilegio concessit, dispensare potest nimirum 1. votum perpetuæ castitatis. 2. votum ingrediendæ religionis. 3. votum peregrinandi Romam, seu ad limina Apostolorum. 4. peregrinandi Hierosolimam, & 5. peregrinandi ad S. Jacobum Compostellam *Extrav. eisd. dominici. fin. de panit. & remiss. inter com.*

Verum cum hujusmodi reservatio à communi jure exorbitet, & Episcoporum potestati deroget, odiosæ & strictè interpretationis censetur, ac propterea non extenditur ad illa vota, quæ licet habeant cum istis aliquam similitudinem, non tamen sunt omninò, ac in specie eadem. Quare non erit reservatum votum castitatum servandi non perpetuò, sed tantum ad certos annos, nec votum non petendi debitum conjugale, vel non nubendi, aut non fornicandi, nec votum suscipiendi Ordines Clericales, nec votum conditionatum (puta, si convalero ex morbo ingrediar Religionem) ante conditionis eventum. Votum ingrediendæ Religionem strictiorem, ut liceat ingredi minus strictam, vel permanere in minus stricta. Votum penale v. g. si

fornicatus fuero, voveo me iturum Romam, etiam post pœnam commissam DD. mox citandi probabiliter non reservatum ajunt, quòd non habeat naturam aliorum votorum, quæ simpliciter & directè fiunt ex affectu erga rem promissam & ob cultum divinum, sed hoc fiat directè ob aversionem & detestationem peccati.

Votum quoque peregrinationis Hierosolymitanæ nonnulli tantum eo casu reservatum putant, quo factum est intentione subveniendi terræ sanctæ contra hostes Christiani nominis, *arg. text. & Gloss. in c. ex multa. b. t.*

Denique in votis reservatis dispensare potest Episcopus, quando est impedimentum adeundi S. Pontificem, & est necessitas accelerandi dispensationem, id, quod plerumque in voto castitatis contingit, postquam matrimonium jam contra votum contractum est, propter periculum quotidianæ incontinentiæ. In votis autem peregrinationum impedimentum frequentius solet esse tantum temporale, ut propterea potius dilationem quam dispensationem requirant.

Sed & tunc Episcopo dispensationem concedunt, si subitè dubium juris aut facti, an votum in talibus circumstantiis obligatorium sit. Item si votum reservatum prius S. Pontifex in aliud opus commutarit, tunc Episcopus ex nova causa denuò aliam commutationem facere poterit, neque enim aliud opus in quod commutatio facta est censetur reservatum ex regula juris, quòd *surrogatum sapiat naturam ejus in cuius locum surrogatur*, quia procedit circa substantialia surrogati, ut circa obligationem, non autem circa accidentalia, si ea sint strictæ interpretationis & non extendenda, sicuti est reservatio, *vid. Sanch. de matrim. lib. 8. disp. 9. & seq. Less. lib. 2. c. 40. dub. 13. Laym. l. 4. tr. 4. c. 8. n. 8. & seq. Suar. d. L. 6. c. 20.*

Sed inquires, quomodo Pontifex vel Episcopus potest dispensare in voto, cum tamen votum obliget ex Jure divino, in quo dispensatio non conceditur. Jus divinum aliquando obligare omnes per se sine omni præsupposita voluntate humana, ut in præceptis Decalogi & similibus, ac in his verum est dicere, quòd dispensare non liceat; aliquando autem obligat Jus divinum ex præsupposita obligatione humanæ voluntatis, & quàm diu ista durat, ut in votis & juramentis; igitur si ista obligatio humana per irritationem, commutationem, aut dispensationem tollatur, cessabit etiam obligatio Juris divini, quæ obligationi humanæ voluntatis tanquam fundamento innititur, quia non aliter obligat votum ex Jure divino, quàm quatenus valet & durat, *vid. Sanch. de matr. lib. 8. disp. 6.*

Demum vulgaris est controversia, an summus Pontifex possit in votis solemnibus dispensare, adeoque efficere, ut Religiosus professus possit rursus ad sæculum redire? Rationem dubitandi facit *tex. in c. cum ad Monasterium. in fine de statu Monachorum* ubi dicitur, quòd *abdicatione proprietatis, sicut & custodia castitatis ita sine regule Monachali annexa, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Nihilominus apud Recentiores & DD. cc. communius receptum est, posse summum Pontificem etiam in votis solemnibus dispensare, quia solemnitas votorum est tantum Juris positivi, *tex. in c. unico. b. t. in 6.* ergò si Pontifex tollat solemnitatem, quæ est juris positivi consentiente maxime Religione, & remittente Jus suum, quod habet in Religiosum, manet tantum votum simplex, in voto autem simplici, quin Pontifex dispensare possit, nemo facile dubitaverit, ad *text. in d. c. cum ad Monasterium, communis, & vera est responsio, quòd loquatur in sensu composito, quòd scilicet non possit dispensari in votis solemnibus cum Religioso, ut maneat Religiosus, quia per talem dispensationem cessarent substantialia Religionis, non autem loquatur ibidem Pontifex in sensu diviso, & quòd status Religionis totaliter ab aliquo tolli non possit.*

C A P U T II.

De Juramentis.

Votis affinia sunt Juramenta, placuit propterea etiam de his breviter aliqua annexere, omissis tamen illis juramentis, quæ in judiciali processu usitata sunt, & parum ad præsens institutum faciunt.

S U M M A R I A.

- 1 Juramentum quid, & quibus modis aut verbis fiat.
- 2 An licitum sit jurare.

- 3 *Attestatio sub fide sacerdotali, nobili &c. an sit juramentum.*
- 4 *Juramentum debet habere 3. Comites, nimirum*
- 5 *Veritatem.*
- 6 *Judicium.*
- 7 *Iustitiam.*
- 8 *Juramentum contra jus quando validum.*
- 9 *Juramentum assertorium non est necessarium de re honesta, & quando in eo committatur injustitia.*
- 10 *Juramentum rei indifferentis non obligat.*
- 11 *Pacta invalida an, & quando juramento confirmantur.*
- 12 *Juramenti obligatio qualiter relaxetur.*
- 13 *Juramentum regulatur secundum naturam actus, cui adicitur, idque pluribus explicatur.*
- 14 *Actus alius validus, non invalidatur, si fiat contra juramentum.*
- 15 *Qui juravit se soluturum, an possit compensare.*
- 16 *De restrictione mentis, remissive.*

Juramentum rectè definitur, quòd sit invocatio divini testimonii ad fidem dictis faciendam, vel promissionem firmandam. Fit autem hæc invocatio non tantum per verba contestatoria, seu simpliciter invocatoria, ut *testis est mihi Deus; quàm verò Deus vivit!* sed etiam per verba exocatoria, v. g. *Deus me puniat; sic me Deus adjuvet;* & similia, nam parum interest, quomodo petatur, ut Deus testimonium suum declaret, *Suarez de Religione. cap. 12. n. 8.* Neque tamen requiritur, quòd aliquis explicitè Deum in testem adducat, sed ad valorem juramenti sufficit, si etiam implicitè id fiat, ut si quis juret *per animam suam*, quia continet implicitam execrationem, ut Deus animam puniat, nisi verum sit, quòd dicitur. Similiter si aliquis simpliciter dicat, *juro*, vel *per meum juramentum* affirmo, tacitè Deum in testem vocare videtur. Quia hoc ipsum nomen & natura juramenti importat. Ubi tamen bene monet *Suarez cit. lib. 1. c. 13. n. 4.* cum hoc verbum *juro* in morali acceptione sit indifferens ad verum vel fictum juramentum, & plerumque qui talia verba profert, necdum intentionem habeat actu jurandi, sed tantum paratum se esse demonstrat ad jurandum, idè attendendas esse circumstantias, ex quibus desumi possit, quò sensu illa verba prolata sint, & sufficienter censentur actu juratoria, si per antecedentem sermonem juramentum petiti sit, vel si negotium, quò tractatur, juramentum postulet.

Item non solum verbis sed & signis juramentum præstatur; quò quidem satis certum est circa eos, qui loqui non possunt, verum etiam probabilius affirmatur circa eos, qui loqui possunt cum *Gov. de pactis in princ. n. 6.* dummodo talia signa sint, quæ in communi acceptione declarent animum jurandi, ut si ab aliquo petatur juramentum, & is secundum consuetudinem loci capite annuat, digitos erigat vel librum Evangeliorum tangat. Ita quoque si à subditis homagium seu juramentum fidelitatis & obedientiæ exigatur, usu receptum est, ut singuli per manus porrectionem se id præstare ostendant.

Quærent DD. an licitum sit jurare? cum Christus *Matth. 5.* expressè dixerit: *Nolite jurare, sed sit sermo vester, est est, non non, quòd autem bis abundantius est, à malo est.* Declarat tamen S. Pontif. in *c. eius Christus de jurejur.* jurare ex se non esse rem illicitam, cum & apud Sanctos verba juratoria reperiantur, ut *2. ad Cor. 1.* dicit Paulus; *Testem Deum invoco in animam meam*, ad *Rom. 1.* *Testis mihi est Deus &c.* dictum autem Christi intelligitur de juramento sine necessitate, aut rationabili causa præstito.

Quærent præterea, an juramentum censeretur debet, si quis per fidem suam, aut honorem sacerdotalem, aut nobilitatis aliquid affirmet, vel promittat? Hujusmodi interpositam fidem habere vim juramenti tenuerunt *Felinus & Abbas in c. querelam X. de jurejur. arg. c. ad aures, de bis, quæ vi metus ob causa sunt.* Ubi habetur, quòd renunciatio electionis ob Laicorum terrorem facta irrita censeretur, nisi juramento vel fide interposita confirmata sit, & in *c. pervenit. de fidejussoribus*, æquè puniuntur Clerici, qui promissionem sub Religione fidei, quàm juramenti, violaverunt. Sed dicendum est, cum *Lessio de Justitia & Jure. lib. 2. c. 42. n. 4.* *Gov. de pactis. parte 1. §. 2. n. 2.* prædicta verba non continere juramentum propriè dictum, quia per illa Deus non vocatur in testimonium, sed proferens tantum indicat, se omnino deliberatum, ac memorem fidei, conscientiæ, & status sui loqui.

Quòd si tamen aliquis per fidem Christianam vel Catholicam, aut per Evangelium rem promitteret, vel affirmaret, pro jurante haberi deberet, quia censeretur auctorem fidei in testem

statuere, *Lessius. & Covar. cit. locis.* Interim, sicut ex DD. pro contraria sententia citatis satis apparet, talis interpositio fidei, quàm faciunt Ecclesiastici sub suo honore sacerdotali, aut Religionis, item personæ illustres sub honore suæ dignitatis in foro externo juramenti loco acceptatur, maxime in causis minoribus, in quibus non decet Ecclesiasticos facile jurare, *c. si quis presbyter. 2. q. 4. videatur Gail. lib. 2. Obser. 59. Mynsing. cent. 1. Obser. 17.*

Porò juramentum ut sit licitum & obligatorium debet habere tres comites, nimirum *Veritatem, Judicium, atque Justitiam, c. animadvertendum. 22. q. 2.* Quò ad *Veritatem* attinet, illa utique in omni juramento habesse debet, ne Deus in falsitatis testem invocetur, & quidem in juramento promissorio duplex veritas interveniat, necesse est, una intentionis seu veritas dicti, & altera executionis, seu veritas facti, etenim perjurium committitur non tantum, si non serves, quòd promittis, sed etiam, si ab initio servandi intentionem non habueris, quamvis ex postfacto serves; quia ejus rei, quæ secundum tuam intentionem facta fuit, Deum testem adduxisti. Quò ad *Judicium* quoque in jurando requiritur, id est, debita advertentia & deliberatio. Unde fortassis nonnunquam à perjurio excusantur qui malam consuetudinem jurandi habent, & quandoque præcipitanter aliquid falsum sub juramento affirmant. Pueri etiam ante annos discretionis ex defectu judicii validum præstare juramentum nequeunt, post annos autem discretionis validum quidem juramentum præstare possunt, *arg. c. 1. de delict. puer. in judicio* tamen propter solennitatem judiciorum ante annos pubertatis ad juramentum adigendi non sunt, *c. pueri. 22. q. 5.*

Justitia denique juramentum comitari debet, quia juramentum non debet esse vinculum iniquitatis, *cap. quanto. 18. de jurejur.* Unde imprimis quotiescunque aliquid sub juramento promittitur, quòd intrinsecè malum est, & sine peccato fieri nequit, non obligat juramentum, v. g. si quis juret ulcisci injuriam, vel occidere hominem. Idem est, si abjureret aliquod bonum vel virtuosum, sicut exemplum ponitur in *c. cum quidam. 12. §. illi verò. de jurejur.* de illis qui jurarunt non loqui parentibus, fratribus vel sororibus, aut eis humanitatis subsidium exhibere, quia de causa etiam juramentum de non mutando vel fide jubendo tanquam repugnans charitati proximo debita non esse obligatorium, docet *Abbas in c. si verò. n. 5. jam d. 1.*

Imò si juramentum ab initio fuerit injustum, non convalescet, tametsi ex postfacto causa iniquitatis cesset, v. g. si quis statibus primis sponsalibus juraverit aliam ducere, non tenebitur hoc juramento, licet prior sponsa moriatur, juxta *Reg. 18. jur. in 6. non firmatur tractus temporis, quòd de jure ab initio non subsistit, Sanchez de matrim. l. 1. disp. 50. n. 6.*

Præterea ex defectu justitiæ non obligat juramentum factum contra Jus publicum, quòd ad publicam utilitatem principaliter introductum est, v. g. si judex juret, crimen etiam manifestum sine accusatore non punire, *c. ad nostram. 21. d. 1.* vel Clericus juret, quòd coram Judice laico litigare velit, *c. si diligenti. 14. de foro compet.* si enim non obligat juramentum in præjudicium tertii privati, ut mox dicemus, multò minus obligabit in præjudicium Reipublicæ. Notanter autem dico si Jus publicum directè tendat ad utilitatem publicam; si enim directè respiciat utilitatem privatorum, & tantum in consequentiam publicam, valebit juramentum in contrarium præstitum, sic pro utilitate mulierum constitutum est, dotes suas alienari non posse, etiam si ipsæ consentiant, servandum tamen erit juramentum, si mulieres juraverint, non revocare alienationem rei dotalis, *c. cum contingat. 28. de jurejur.* Item quavis futura hereditati renunciari non possit, valebit tamen renunciatio, quia filia accepta dote hereditati paternæ sub juramento renunciat, *c. 2. de pactis. in 6.* quia regulariter omne juramentum, quòd sine dispendio salutis servari potest, servandum est, *d. c. cum contingat.* Hinc etiam, quò juramento promissio usuras solvere, debet servare suum juramentum, quia verò alter sine peccato accipere non potest, idè solvens post impletum juramentum eas denuò repetere valebit, *c. debitores. 6. d. 1. videatur Zoef. eod. tit. n. 53.*

Tandem ad *Justitiam* juramenti requiritur, ne sit in præjudicium tertii, nam res inter alios acta aliis obesse non debet, ita invalidè jurat Prælati, quòd non velit repetere bona Ecclesiæ ablata, vel quodcumque aliud contra utilitatem Ecclesiæ facere, *c. 2. & c. sicut d. 1.* Sed hæc, quæ de *justitia* juramenti dicuntur, in juramento promissorio locum habent; in juramento autem assertorio non est necessarium, ut materia sit honesta & justa, neque per se indecens est, adferre Deum in testem facti turpis, si ita publica utilitas vel magna

magna causa requirat, sicut testes super adulterio aut homicidio producti licite jurant, quamvis de re turpi testimonium præbeant. Observat tamen Suar. de Religione tom. 2. tract. de juramento lib. 2. c. 3. n. 6. etiam in juramento assertorio posse injuriam committi, illudque fieri illicitum, si nimirum aliquis secretum proximi, ad quod celandum tenebatur, sub juramento injuste prodat. † Rei quoque indifferenter, quæ in se moraliter nec bona, nec mala sit, non esse juramentum obligatorium, adinstar voti de tali re concepti, nisi bono aliquo fine v. g. ad sui mortificationem, vel peccati evitacionem &c. intendatur, docent communiter DD. apud Laym. in Theol. mor. lib. 4. tr. 3. c. 6. n. 3. Suar. d. l. 2. c. 16. n. 4.

Quæstio est non levis momenti, utrum pactum vel contractus de jure nullus confirmetur per juramentum, vel utrum ipsum tantum juramentum servandum sit? Si enim dicatur, solum juramentum servandum esse absque eo, quod contractus confirmetur, tunc si is, qui juravit, juramentum in vita non impleverit, heres ejus ad implendum non tenebitur; quia ut recte docet Suarez dict. lib. 2. cap. 31. n. 16. juramentum quidem obligat etiam heredes, & successores ejus, cui juratur, sed non obligat heredem ejus, qui jurat; nam juramentum est personale, & animam jurantis non egreditur. R. In hac quæstione esse distinguendum, an contractus sit invalidus in odium creditoris, ita ut is sine peccato etiam veniali ex tali contractu aliquid acquirere non possit, prout fit in contractu usurario, aut metu vel dolo inito; vel an contractus tantum invalidetur in favorem debitoris, sicut invalidatur alienatio rei dotalis, ad minorennem pertinentis & similes: priori casu non confirmabitur contractus, sed ipsum tantummodo juramentum servandum erit, vel ejus relaxatio petenda, ne Deus vanè & temerè in testem vocatus sit; imò post impletum juramentum repetitio ejus, quod ex tali juramento præstitum est, conceditur, dicto c. debitorum. de jurejur. & c. ad audientiam 4. de his, quæ vi metusve causa fiunt. Ad hunc primum casum etiam referunt, si contractus ob publicam utilitatem irritatus sit, & exempla ponunt de pacto non revocandi testamentum, pacto successionis super viventis hereditate, de donatione omnium honorum, pœna sponsalibus adjecta &c. Cov. in relect. c. quamvis. de pact. in 6 p. 2. in pr. §. I. n. 8. Laym. d. l. c. 8. n. 4. Verum si evidenter constet, juramentum cedere in præjudicium Reipublicæ, jam superius diximus, id obligatorium non esse, at in exemplis propositis DD. non sunt concordēs, teste ipso Laym. d. l. vers. quæ doctrina, utique quia non satis constat, an dicti actus principaliter ob favorem publicum, vel potius ob favorem privatorum, & ex consequenti tantum publicum à legibus irritati sint.

Altero casu videtur mihi probabilis ipsum contractum juramento confirmari, ut ex tex. c. quamvis. de pactis. in 6. satis apparet, ubi pactum, quo filia hereditati paternæ renuntiavit, dicitur juramento firmatum, & ipsum pactum servari debere, & in L. 1. Cod. si adversus venditionem. dicit Imperator, minorem, qui adversus venditionem rei suæ juramentum venit, non tantum perjurium, sed etiam perfidiam committere; si perfidiam, ergò supponitur, non tantum juramentum, sed etiam pactum valere. Videtur mihi addi posse alia multum efficax ratio, quod lex Civilis irritans pacta vel contractus jure naturæ & gentium validos non comprehendit, nec potuerit comprehendere contractus juratos quatenus tales, hi enim propter religionem juramenti non cadunt sub jurisdictionem Civilem & sæcularem, sed Ecclesiasticam. Sicut in simili, quamvis lex Civilis pœnalis comprehendat omnes Cives Romanos, non tamen illos, qui etiam post talem legem Ordines Clericales assumpserunt, tales enim quatenus nunc tales ab initio non censebantur comprehensi, vel saltem postea exempti. hinc etiam est, quod contractus vel actus jurati, quamvis quoad executionem sint mixti fori, quoad cognitionem tamen de viribus & valore juramenti ad judicium Ecclesiasticum spectent, c. licet mulieres. de jurejur. in 6. c. ult. de foro comp. in 6.

Quod attinet ad divisionem juramenti, frequenter hæcenus insinuatum est, juramentum dividi in promissorium & assertorium. Promissorium dicitur, quod ad confirmationem promissionis, pollicitationis, seu quorumcumque contractuum & pactorum adjicitur. Assertorium verò simpliciter sine promissione aliquid affirmamus, vel negamus, & de hoc juramento assertorio in processu judicario potissimum negotium est.

Circa relaxationem juramenti notandum est, quod si juramentum sit apertè nullum, ut quia ex parte jurantis sine peccato quamvis veniali tantum observari non potest, vel quia directe spectat præjudicium tertii, non indigebit absolutio-

ne, sed jurans propria autoritate contravenire poterit; quia quod nullum inducit vinculum, nullam absolutionem requirit, Gloss. in c. 2. in verbo absolvimus. & in c. cum quidam. §. ultimo. ubi Innoc. & Panorm. de jurejur. facit textus in c. quanto. & c. si verò eodem t. licet autem in d. e. 2. & c. cum quidam. Jurantes etiam in similibus juramentis jussi fuerint absolvi, illam tamen absolutionem non fuisse propriè dictam, sed tantum declaratoriam nullitatis, cum Gloss. in eod. c. 2. n. tradit Zoef. d. l. n. 47.

Cæterum si juramentum ex parte jurantis sine peccato observari possit, sed tantum illicitum sit ex parte creditoris; vel sit dubium, utrum propter certas circumstantias, vel supervenientes causas aliquis ad jurandum teneatur? his casibus absolutio saltem ad cautelam peti debet, eamque superiores Ecclesiastici suis subditis, in quos Jurisdictionem Episcopalem vel quasi Episcopalem habent, concedere possunt.

Juramentum autem in gratiam alicujus factum, ab eoque acceptatum validum & obligatorium ille solus remittere potest, in cujus favorem factum, & cui ex eo Jus quæsitum est; & quamvis aliàs juramentum à solo jurate & soli Deo factum sicut votum, in rem evidenter meliorem propria autoritate commutari possit, v. g. qui vovit aut juravit peregrinari certo die, potest illo die assistere ægroto, ob ejus charitatem & commoditatem: Secus verò est, si juramentum alteri factum sit, in cujus præjudicium commutatio cederet, v. g. qui juravit Titio donare 10. non potest donare pauperi, ut etiam præced. Cap. dictum.

Consent tamen DD. aliquando etiam juramentum validum per potestates Ecclesiasticas & temporales remitti posse saltem indirectè subtrahendo scilicet materiam; idque tunc quando alicui ex causa Jus suum auferre possunt, sicut ita in c. excommunicamus. §. moneantur. de hæreticis. Princeps per censuras cogi potest, ut expellat hæreticos de suo territorio, & si propter negligentiam in expellendo excommunicatus fuerit, nec intra annum satisfecerit, Vasalli & subditi ejus per Papam à juramento fidelitatis absolvuntur, & terra ejus Catholicis exponitur occupanda.

Idem est, si ex qualibet alia causa dignitate amoveatur is, cui subditi ratione officii adstricti erant. Pariter quidvis sit, an juramentum metu extortum valeat, quod perique affirmant propter tex. in c. si verò. 8. de Jurejur. & quod metus, sicut non tollit simpliciter consensum, l. si mulier. §. 5. ff. quod metus causa. ita nec tollat ipso Jure, saltem regulariter, obligationem, Magistratus tamen qui contractum ex causa metus rescindere, etiam partem ad relaxandum juramentum adigere potest, vel eo nolente etiam ipse Magistratus relaxare, & tali casu factum judicis habebitur pro facto partis, arg. L. si ob causam. C. de evict.

Demum perquam notabile est, quod juramentum soleat regulari secundum naturam actus cui adjicitur, & assumat illas conditiones, quæ sua natura insunt illi actui. e. g. juravi decere Titiam, non tenebor, si notabilis mutatio accidat, ut quia deformatio, fornicatio, depauperatio supervenit. c. quomodum. de Jurejur. Item ex communi sententia, qui juravit aliquamducere, potest ingredi Religionem ut præcedenti cap. ex Sanch. lib. 1. disp. 43. q. 1. retulimus. cui non obstat, quod docet Nav. Consil. 4. de Regular. Alumnus jurantem servitia Ecclesiæ, non posse sine licentia Ordinarii, qui jura Ecclesiæ administrat, ingredi Religionem, eo quod jus alteri quæsitum ex juramento non possit in opus magis pium commutari, ut paulò ante dictum; Nam diveritatis ratio inde elucet, quod sit de natura sponsalium, & matrimonii, ut per ingressum in Religionem dissolvantur. t. t. de Convers. conjug. non autem idem sit de natura alumnatus. Similiter, qui fecit alicui promissionem, aut donationem juratam, non prohibetur eam revocare ex illis causis, quibus donatio revocatur, nimirum ob ingratitudinem donatarii, vel supervenientiam liberorum ex parte donatoris. t. t. C. de revoc. don. Ratio est, quia juramentum non extendit, sed tantum intendit obligationem, hoc est, non facit, ut obliget in plus sed ut firmius. quæ quidem ratio optimè procedit in actibus etiam sine juramento validis; at verò difficile videtur, quomodò in actibus ipso jure invalidis, & tantum juramento confirmatis jurans non obligetur in plus, cum sine juramento ad nihil obligaretur? huc commodissimè servit nostra ratio supra posita, quod juratus quidem sine juramento, fuisset ad nihil obligatus, & cum juramento in plus, si solum Jus Civile spectemus, non verò si jus naturale aut gentium juxta quod regulatur actus juratus, cui quatenus jurato non obfuit Juris Civ. irritatio.

Ex eodem principio, quod juramentum non immutet naturam actus, inferunt, quod juramentum non immutet natura actus, inferunt, quod actus, qui fuisset cessante

juramento validus, valeat tamen si factus sit contra juramentum de eo non faciendo præstitam, ita valet matrimonium contractum contra sponsalia jurata prius cum alia contracta. *c. sicut. 22. x. de spons.* venditio cum traditione tertio facta, contra venditionem juratam sine traditione prius alteri factam. *Gl. in l. quoties. C. de rei vind. Cov. in e. quamvis. p. 1. §. 4. n. 5. de pact. in 6.* quamvis interim talis haud dubie peccet, & perjurus sit. *Panorm. in c. dilecto. de præb. n. 17. & in c. intellecto. de jurejur. n. 8. Suar. de Juram. lib. 2. c. 19. n. 6.*

35 Tractat etiam Fachin. *lib. 1. Controv. c. 7.* an, qui juravit se solutum, possit opponere compensationem, si ex alia causa sibi à creditore aliquid debeatur? & affirmativè concludit, quia da natura solutionis est, ut censeatur quoque per compensationem fieri, *l. si debitor. ff. qui pot. in sign. l. dedisse. de V. S. mihi videtur illa sententia multum rationabilis, quæ distinguit eum Pan. in c. ad nostram. 7. de jurejur. n. 3.* an obligatio, quæ sit materia compensationis, contracta fuerit ante juratam solutionem, vel an postea; priori casu non habebit locum compensatio, quia juramentum recipit interpretationem ex mente paciscentium, & præcipue ejus, qui illud sibi curat præstari. *c. quocunque arte 22. q. 5. Quocunque arte verborum quisque juret, ait D. Greg. Deus tamen ita hoc accipit, sicut ille cui juratur.* Sed si obligatio sit prius contracta, & ab altero non ignorata, utique mens fuit ejus qui juramentum procuravit, non fictam, sed veram realem solutionem sibi fieri: nam aliàs plerumque frustra exegisset juramentum de solvendo, cum solutio compensatoria per viam retentionis fuerit in sua propria potestate, ut vel parum consideranti patebit. Altero autem casu procedit compensatio tanquam non prævisa, & idèd juramento non exclusiva, sed in natura solutionis comprehensa, nisi fuerit talis obligatio, quæ potuit tempore juramenti prævideri, sicut est casus. *in d. c. ad nostram.* Effet hic ansa de restrictionibus mentalibus. aliquid dicendi, † an & quando licitæ sint, ac à perjurio excusent, sed in aliam occasionem differimus, videatur Nav. *in Can. humana aures. 22. q. 5. Sanch. lib. 3. mor. cap. 6. Laym. in Theol. lib. 4. tr. 3. c. 13. & c. 14. n. 7. Zoel. ad tit. decret. de jurejur. n. 85* ubi ex magna causa amphibologicum sermonem à mendacio & perjurio excusant.

Non probabile.

CAPUT III.

De Usuris.

Materiam Usurarum ad cognitionem Parochi spectare tum ratione peccati, tum ratione Ecclesiasticæ sepulturae, & cautionis ab usurariis de restituendis usuris in articulo mortis per Parochos exigendæ, *just. c. 2. de usur. in 6. superius in p. 4. c. 3. sub n. 20.* insinuatum est, placuit proinde etiam hanc Manuali Parochorum superaddere.

§. I.

Quid sit Usura, ac quo Jure prohibita?

SUMMARI A.

- 1 Usura quid?
- 2 Usura proprie tantum in mutuo committitur, si pro eo aliquid temporale pretio æstimabile exigatur.
- 3 Usura quidem requirit pactum, sed id aliquando est implicitum.
- 4 Usura quedam licita, seu compensatoria lucri cessantis, aut damni emergentis.
- 5 Usura jure divino, naturali, & humano prohibita.
- 6 Qua ratione Deus concesserit Judais sanus cum gentibus exercere.
- 7 Explicantur alii textus Scripturæ.
- 8 Cur Usura etiam jure naturali prohibita.
- 9 Sub nomine mutui potest aliquando latere alius contractus licitus.
- 10 Usura non possunt aliqua lege permitti.
- 11 Peccant graviter contra Justitiam, qui Judais vel aliis exercitum usurarum concedunt.
- 12 An peccet debitor solvendo usuras?

1 **U**sura apud Latinos usum vel potius & magis accommodè ad sensum hujus loci fructum & utilitatem ex usu rei convenientem significat, veluti Cicero in Verrem: Cur piratis,

ait, lucis usuram dedistis? Et eidem de senectute: Terra inquit, nunquid sine usura reddis, quod accepit. Verum ad præsentem materiam varias usurae descriptiones, & definitiones adferunt interpretes, ex quibus omnibus sequentem colligo & definiò, usuram esse, quidquid ex mutuo temporale, & pretio æstimabile per pactum lucri causa sorti seu debito principali accedit. consideremus singulas hujus definitionis particulas.

Dico I. *Ex mutuo*: nam usura proprie tantum in contractu mutui communiter per textum & DD. communiter in c. 1. 14. q. 3. sicuti & sententia Christi paulò post citanda de solo mutuo loquitur. Est enim mutuum ex sua natura contractus gratuitus, ubi regulariter sufficit, pecuniam mutuo acceptam sine alio additamento mutuanti reddere. In aliis verè contractibus, ut in emptione, venditione, permutatione, locatione & similibus, potest quidem committi dolus vel iniquitas habens annexam obligationem restitutionis, ut si res carius justo pretio, aut vitiosa vendatur &c. sed non usura proprie dicta, adeoque nec ibi poenæ specialiter contra usurarios lata locum habent, nisi quatenus aliquando palliatum mutuum continent, prout ista omnia in hoc, & sequenti §. magis declarabimus.

Dico II. *Temporale*; si enim paciscaris cum mutuuario, ut præter restitutionem pecuniæ mutuatae teneatur tibi conferre beneficium Ecclesiasticum, vel dare rem aliam spirituales aut sacras, potius simonia quam usura commissa dicitur.

Dico III. *Pretio æstimabile*, unde quamvis de Jure Civili usura proprie in pecunia numerata consistere videatur. *l. cor. 26. §. 1. & passim C. de usuris. Panorm. ad rub. hujus tituli n. 4.* de Jure tamen Canonico (quod circa usuras tanquam in materia peccati & conscientia prævalet juri Civili) usura censetur, licet res aliæ, quam pecunia ultra sortem à mutuuario exigantur, ut v. g. certam quantitatem frumenti solvat, & certas operas præstet, ut actionem quam contra mutuuantem habet, remittat &c. *cap. 2. & 3. causa 14. q. 3.*

Notanter autem loquor, si talia ultra capitale mutuatum exigantur, nam si, quod aliquando fieri solet operario vel opifici volenti à te mutuare pecuniam, eandem tribuas cum pacto, ut is nullam quidem pecuniam restituat, sed pro ea operas præstet, vel opus aliquod conficiat, non erit usura, sed contractus licitus, atque idem, ac si operario mercedem anticipato dedisses, dummodò operæ præstitæ non plaris æstimentur, quam pecunia numerata.

Dico IV. *Per pactam*: id est, ut mutuarius ex obligatione contracta teneatur aliquid ultra sortem principalem mutuanti solvere, quare secus est, si mutuarius propria sponte ex mera liberalitate vel gratitudine mutuanti aliquid tribuat, prout in simili de simonia dicitur, non esse simoniam, si pro re spirituali absque præcedenti pacto aliquid liberaliter oblatum accipiatur, si enim mutuarius posset cui-cunque alteri res suas donare, cum quilibet rei suæ moderator sit & arbiter, *l. in re mandata. C. mandati.* sanè mutans qui ei mutuando beneficium præstat, non debet esse deterioris conditionis, ut minus pro beneficio liberè oblatum accipere nequeat, cum naturalis ratio hominibus obligationem antidoralem, seu reciprocam gratitudinis erga benefactores imponat.

Interim tamen quia antidoralis obligatio ordinariè tantum moralem honestatem, non juris vinculum, aut actionem vel exactionem inducit, neque obligat ad certum & determinatum gratitudinis actum in specie, sed ad aliquam gratitudinem in genere, idèd non auderem à peccato usurae, saltem mentalis excusare illos, qui liberalitatem & gratitudinem non tam expectant, quam extorquent, & indigentibus hominibus non aliter mutant pecunias, quam sub spe promissionis, & etiam exactione largæ remunerationis. Id quod satis probat textus in c. consuluit. 10. X. de usuris. ubi Pontifex usurarium judicat illum, qui (utimur verbis ejusdem cap.) non aliàs mutuo traditurus è proposito mutuum pecuniam credit, ut licet omni conventionem cessante plus tamen sorte recipiat. Sunt tamen nonnulli qui cum *Leif. de justitia & jure l. 2. c. 20. n. 34. & 56.* hunc textum exponant de eo casu, quando non sub ratione gratitudinis, sed sub ratione justitiæ & obligationis civilis aliquid ultra sortem exigitur: hæc tamen interpretatio non videtur textui generaliter & sine tali distinctione loquenti satis convenire, nam obligatio civilis & justitiæ, cum ex ipso contractu mutui, utpote gratuiti, esse nequeat, necessariò ex conventionem & pacto accedente esse deberet, Pontifex autem supponit omnem conventionem, quæ obligationem civilem inducat, abesse, & in eo magis se fundat, quod mutuans non velit aliter mutuare, quam ut aliquid ultra mutuatum pecuniam quocunque deinde titulo vel colore sine

sive iustitiæ, sive gratitudinis, à mutuatio recipiat. Idque confirmatur *ex c. 2. vers. alii & c. 3. vers. si quis causa 14. q. 3.* ubi SS. PP. *donativa & munuscula* (intellige, non libera sponte oblata, sed exacta) à debitoribus recipientes usuras reputant; *munuscula* autem & *donativa* utique rationem iustitiæ non habent, sed remunerationis.

Ratio autem fundamentalis mihi videtur, quòd usura principaliter prohibita sit, ob gravamen indigentium, qui spe recipiendæ pecuniæ cum suo detrimento quælibet pacta etiam facillè ineunt. Est verò etiam gravamen indigentium, si sciant, se pecunias aliter obtinere non posse, quàm si liberaliter donent mutuanti non sine damno suarum facultatum, tales proinde donationes in effectu parùm differunt à pactis propriè usurariis, quia utrinque lucrum ex mutuo est, non voluntate libera datum, sed necessitate recipiendæ pecuniæ extortum. Quare cum dicimus usuram tantum *ex pacto* esse, ita explicari debet, ut sit *ex pacto* vel etiam *ex tali actu*, qui pacto saltem tacito *aquivaleret*. atque hanc nostram sententiam docet Syll. *verbo usura. §. 1. n. 1. & 2. Cov. variarum resolut. libro 1. c. ult. num. 4. & Navar. in commentario de usuris notabili. 10.*

Dico denique, *lucris causa*: & quidem hoc lucrum debet esse ex mutuo tanquam fructus pecuniæ mutuatae, non verò ex alia causa prorsus à mutuo separata.

Ideo non erit usurarius censendus Dominus vel Parochus, qui colono vel parochiano mutuo dat frumentum pro semine, aut pecunias pro emendis rebus ad culturam agri necessariis ea conditione, ut tanto diligentius, & sine diminutione pensionem annuam pro locato prædio rustico, aut decimas persolvat; quia istæ pensiones & decimæ debentur ex alia causa quàm ex mutuo, scilicet ex contractu locationis & jure parochiali.

Item neque ille lucrum capit, sed suum consequitur, adeoque & ab usura immunis est, qui debitori novum mutuum præstat, eo pacto, ut id una cum vetere debito tanto citius sibi restituatur, *Henric. Canis. de usuris. c. 1. n. 6. arg. c. 1. in fine de usur.*

Præterea aliquando à mutuatio aliquid exigi potest ultra sortem per modum *interesse*, & *compensationis*, quando scilicet sua interest, pecuniam non dari mutuo. Unde DD. communiter & rectè usuras dividunt, quòd alia sunt *merè lueratorie*, & propterea illicitæ; alia verò *compensatorie*, & licitæ. Atque hoc interesse creditoris ob quod fit *compensatio*, rursus duplex constituunt: Unum quod vocant *interesse lucris cessantis*, & alterum, *interesse damni emergentis*. Interesse *lucris cessantis* dicitur, quando creditor ex pecunia potuisset alibi honestum lucrum sperare, ut si eandem mercaturæ, emendis prædiis, aut rebus annuis applicasset &c. & nihilominus neglecto illo lucro in gratiam amici mutuum dederit, quo casu non iniquè aliquid ultra sortem petit creditor, ne officium suum, & beneficium alteri præstitum sibi damnosum sit. *L. sed si quis. 7. ff. quemadmodum testam. aper. Quamvis autem And. Gail. lib. 2. observ. 6. n. 2. ex praxi Camera Imperialis non videatur admittere interesse lucris cessantis, nisi in mercatore solito negotiari: communis tamen opinio est in contrarium, teste Canisio dicto c. 1. n. 8. Navar. in Man. Confess. c. 18. n. 211. nam eadem æquitatis ratio; quæ facit, ut mercator æstimare possit carentiam lucris, etiam in aliis hominibus militat, dummodo quantitas interesse hujus arbitrio boni viri æstimetur, & consideretur, lucrum speratum potuisse variis ex causis & accidentibus incertum fuisse.*

Interesse *damni emergentis* appellatur, quando creditor propterea aliquid exigit à debitore, quòd ob mutuam pecuniam ipse non tantum lucro caruerit, sed insuper damnum aliquod in rebus suis passus sit, ut quia ob defectum pecuniæ domus non restaurata corrui; vel quia mutuavit frumentum, & cum id suo tempore non redderetur, creditor interea coactus fuit alibi cariori pretio frumentum emere &c. Ubi sanè debitor gravari non debet, ut creditorem indemnem servet, ne alteri per alterum iniqua conditio inferatur. *l. non debet. ff. de R. I. & beneficium creditoris sibi ipsi damnosum sit. De utroque hoc interesse lucris cessantis & damni emergentis, textus est expressus in l. 3. §. ultimo De eo, quòd certo loco. l. unica C. de sententiis, quæ pro eo quòd interesse &c. Utrum autem interesse lucris cessantis, & damni emergentis in pactum deduci possit, aut peti, etiam si debitor in mora non fuerit, & nunquam pro solutione interpellatus, in §. sequenti dicemus, ubi sæpius de hac materia mentio incidet.*

Post explicatam usuræ definitionem restat, ut videamus quo jure usuræ prohibita sint. Et in primis contra Carol. Molinæum in *tractatu de commerciis n. 7. & 11. pro certo Man. Parochor. P. Ludov. Engel.*

tenendum est, usuras etiam juxta moderationem Juris Civilis exercere, esse peccatum, ita ut qui contrarium pertinaciter asserere ausus fuerit, in eum, tanquam hæreticum, animadverti debeat, juxta constitutionem Concilii Vienne in *clémentina unica §. sanè b. tit.*

Etenim ex communi DD. sententia usuræ non tantum jure humano ecclesiastico, sed etiam divino & naturali prohibita sunt: prout id expressè affirmat Pontifex in *c. 4. b. 1. ubi dicit: quòd usuras utriusque testamenti pagine detestatur &c.*

Quòd igitur attinet ad Testamentum Vetus, habetur, *Deuter. 23. c. non foveraberis fratri tuo* (id est, qui ejusdem fidei est, sicut Apostoli omnes Christianos appellarunt fratres, *Aclorum 1. & 6. c. & sæpius alibi*) *ad usuram pecuniam nec fruges, nec quamlibet aliam rem.* Item *Ezechielis c. 18.* dicitur, *qui ad usuram non commodaverit, & amplius non acceperit, hic justus est, & vita vivet.* Denique in *Psal. 14.* legitur, *cum habitaturum in tabernaculo Domini, qui ingreditur sine macula, operatur justitiam, loquitur veritatem, & pecuniam suam non dedit ad usuram.* In Novo Testamento *Lucæ 6. c.* ait Christus; *benefacite, & mutuum date nihil inde sperantes, hoc est, nihil ultra, quàm dedistis, lucris causa recipientes.*

Verùm contra istos Scripturæ textus aliqua argumenta opponuntur, quæ breviter referemus & resolvemus. Primum in illo loco *Deuter. 23.* dictum est, *non foveraberis fratri tuo, sed alieno*, ergo videtur consequens, usuras non esse malum intrinsecè, & jure naturæ prohibitum, aliàs Judæis à Deo non fuisset concessum usuras erga alienos sive gentiles exercere. Sicut extra bellum, & sine causa non licet occidere gentilem & infidelem, cum occisio innocentis intrinsecè & jure naturæ mala sit. Duplicem adferri hujus objectionis solutionem, prima est, quòd Judæis olim concessum fuerit usuras exercere cum gentibus ad vitandum majus malum, nescilicet cum suis fratribus & Judæis id facerent: Sicut ex D. Tho. refert *Canis. dicto c. 1. n. 22.* Aliquando enim inter duo mala, quorum utrumque vitari nequit, tolerari potest minus malum ad evitandum majus. Non quidem approbando, sed dissimulando minus. Altera solutio, quæ magis mihi placet, est, quòd Deus Dominus universi omnes gentium facultates, & terras tradiderit in potestatem Judæorum, proinde cum illas facultates potuissent gentibus per arma & bellum auferre, potuerunt etiam per usuras, sicut *Exod. 12. c.* eidem Judæis concessum fuit, ut *Ægyptios spoliarent vasibus argenteis & aureis ac vestibus sibi commodatis.* Quam interpretationem etiam probat D. Ambros: *relatus in c. ultimo. causa 14. q. 4. Cui jure inquit, inferuntur arma, huic jure inducuntur usuræ, sine gladio se de hoste ulciscitur, qui fuerit usurarius exactor inimici.* Est tamen advertendum, quòd hoc sensu & casu usura sumatur in generaliori significatione pro quolibet usu vel lucro, non in specie quatenus est pactum illicitum & malum intrinsecè; nam tunc usura peccatum est, quando ex sola causa mutuo aliquid ultra sortem accipitur; secus verò, si ex alia causa à mutui separata, ut *jure belli* teste D. Amb. *in d. c. ult. & multò magis jure domini jam prius sibi à Deo additi.* Quemadmodum etiam diximus, esse usuras *compensatorias*, in quibus ex causa *lucris cessantis* vel *damni emergentis* aliquid ultra sortem exigitur, quæ usuræ quidem dicuntur, sed *peccaminosæ* non intelliguntur.

II. Opponitur alius locus apud Lucam 19. c. ubi Dominus reprehendit servum, quòd pecuniam suam non dederit ad usuram. Per hanc parabolam Christum non approbare usuras, sed tantum referre factum hominum, eoque commonere, ut cum in istis lucris terrenis & periculis solliciti sint, multò magis debeant esse solliciti in fructu bonorum operum, & lucro vitæ æternæ. Sicut etiam de villico defraudante Dominum suum similis parabola apud eundem *Luc. 16. c.* habetur.

III. Videtur, quòd ille textus *Lucæ 6. c. mutuum date, nihil inde sperantes*; sit accipiendus tantum de consilio, non autem de præcepto Evangelico. Quia dare mutuum non est de præcepto, sed de consilio & charitate. Priorem partem hujus textus videlicet *mutuum date* non esse quidem de præcepto, esse tamen partem alteram: *nihil inde sperantes.* Quòd debet colligi ex textibus veteris Testamenti prohibentibus usuras, quos supra allegavimus. Nam Christus non venit *solvere legem, sed adimplere, Matth. 5. c.* Similis textus habetur *Psal. 75. Vovete, & reddite Domino Deo vestro*, ubi prius verbum *vovete*, non est præcepti, sed posterius *reddite* juxta illud *Deuter. 23. Si nolueris vovere, absque peccato eris, quòd autem semel egressum est de labiis tuis observabis, & facies; sicut promissisti Domino Deo tuo &c.*

8 Quodd autem Jure natura, siue naturali ratione usura illicita sit, probat Covar. *resol. l. 3. cap. 1.* & cum eo communiter DD. hoc argumento, vel enim creditor capit lucrum ex mutuo pro ipsa sorte, vel pro usu ejus? sed neutro modo citra iniquitatem potest lucrum capere. Non enim pro ipsa sorte, quia justitia commutativa, quæ in contractibus observatur, desiderat æqualitatem, & non permittit, ut pars contrahens plus reddere teneatur, quam accepit. Ita in permutatione vel emptione pro equo valente in summo pretio centum florenos non potest accipi alius equus, vel quantitas pecuniaria centum imperialium. Similiter ergo, & in mutuo pro centum florenis mutuo datis non licet accipere plus quam centum florenos. Sed neque pro usu sortis lucrum peti potest, quia usus vel utilitas cujuslibet rei pertinet ad dominum, mutuatarium autem efficitur dominus rei mutuatae (mutuum enim inde nomen accepit, quod ex *mutuum fiat*, *l. 2. ff. si certum petatur*,) ergo ad mutuatarium & non ad mutuantem usus pertinet. Et cum mutuum tantum in pecunia, vino, frumento & similibus rebus usu consumptibilibus consistat, usus ejus a dominio separari non potest, *L. hoc Senatusconsulto, in fine, ff. de usufructu earum rer. que usu consum.* Hinc est, quod in contractu locationis si verbi gratia alteri per annum locum ædes meas, vel agrum meum magis quam in mutuo aliquid peti possit ultra restitutionem domus vel agri, quia in hoc contractu locator minet dominus, & consequenter utilitas ex re sua à conductore percepta ad ipsum respicere debet. Præterea locatio est rerum talium, quæ permanentes usum, & utilitatem adferunt, pecunia autem ex sua natura sterilis est, ejusque usus in exponendo seu abusu consistit. Quod & Aristoteles divina lege destitutus solo lumine naturæ agnovit, dum *1. polit. cap. 7.* ait: *Maximè præter naturam esse hunc acquirendi modum, ut in favore nummus nummum pariat.*

Si verò alicui istæ rationes nimis subtiles videantur, is apprehendat aliam, quam tradit Corasius *lib. 3. Miscell. cap. 21. num. 7.* quod usura idem naturali æquitate inspecta illicita sit, cum absorbeant egentium fortunas, dum hi in necessitate constituti pecuniis à seneratoribus sub quacunque lege acceptis tandem ad summam inopiam redigantur, nova semper debita contrahentes. Item quod iniquum sit, actum charitatis, & societatis humanæ, qui in mutui datione consistit, ad proprium lucrum, & alterius damnum convertere. Unde si quis objecerit contra priores rationes, creditorem saltem aliqua ratione comparari posse dominum retinenti, sicut qui actionem ad rem repetendam habet, rem in suis bonis habere videtur, *leg. qui actionem. 15. ff. de R. I. l. id apud se. 143. ff. de V. S. l. rem in bonis. 52. de acquir. rer. dom.* Item quod contractus ex conventionione partium etiam contra vel præter ordinariam suam naturam legem accipiant, *c. contractus. de R. I. in 6. l. contractus. 23. ff. eod. tit.* sanè difficilis erit responsio, nisi juxta hanc posteriorem rationem dicamus, allegatas Juris regulas non procedere, si exinde proximus contra æquitatem & Christianam charitatem damnificetur; ita enim leges ex bono & æquo interpretari oportet, ut sint conformes illi generali Juris præcepto, *alterum non ledere. §. 3. l. de I. & I. L. placuit. C. de judic.*

Non relevat creditorem si dicat, se debere interim carere pecunia cum periculo, ne fortassis debitor planè depauperetur, & nunquam restituat, atque idem se non iniquè aliquid ultra sortem petere. Nam cum sit in arbitrio creditoris, an velit mutuari, nec ne, sola carentia pecuniæ quæ ex ipsius voluntate processit, non est justus titulus ad aliquid amplius exigendum, nisi sit conjuncta cum interesse *lucri cessantis vel damni emergentis*. Periculum verò amittendæ sortis aliquando quidem facit Jus, ut rectè aliquid præter sortem petatur, sicut in §. sequenti dicemus, sed id tunc demum; si per pignora aut fidejussores non possit creditori satis cautum esse: debet quoque cogitare, etiam retentam domi pecuniam non fuisse extra omne interitus periculum.

9 Deinde etiam hic obiter notari potest, si quis à te roget mutuum non causa necessitatis suæ, sed utilitatis querendæ, volens honestam negotiationem instituire, prædia emere, & lucrum ac fructus ex hac pecunia querere, poteris cum eo tale pactum facere, ut is præter pecuniam acceptam teneatur tibi aliquam partem lucri restituere & communicare, talis namque contractus in effectu est species societatis, contractus de Jure gentium liciti, in qua alter pecuniam, alter operam contest, §. 2. *Institut. de societate*. Imò sicut in multis contractibus *mutui* nomen non habentibus, cum gravamine tamen proximi initis, potest latere

impliciteum mutuum & usura, per ea, quæ tradentur in §. seq. ita, cum contrariorum eadem sit ratio, sub nomine *mutui*, præsertim à plebeis, & Jurium ignavis prolato, ubi proximi potius augmentum, quam damnum queritur, potest subesse implicitus alius contractus societatis, emptionis, census &c. ut inferius ad fin. cap. dicemus.

10 Cæterum cum usura Jure divino & naturali prohibita sit, non potest ullo modo fieri licita, nec dispensatione Pontificis, qui non dispensat contra Jus divinum & naturale, *c. super eo. b. tit. nec consuetudine*, quia Jus divinum & naturale sunt immutabilia, §. *sed naturalia. Inst. de I. N. G. & C.* & diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed augmentat: ac multitudo peccantium non parit peccato patrocinium. *cap. ult. de consuetudine*: nec favore piarum causarum, videlicet ob utilitatem Ecclesiæ, pauperum, vel redemptionem captivorum, *dicto c. 4. b. t. c. 1. & seq. causa. 14. q. 5. Immolantis enim ex iniquo oblatio est mansueta, & dona iniquorum non probat Abissimus. Eccles. 34.* nec denique ex legibus & statutis Principum ac Dominorum sæcularium, quia nec ipsi in materia peccati aliquid contra Jus divinum statuere possunt, *Clementina unica. b. t.*

Unde quamvis leges Civiles permiserint usuras personis illustribus, & negotiatoribus cum quadam moderatione, ut scilicet maxima usura essent *duodecim pro centum*, idque solum in favore nautico, ubi periculum erat mutuantis; communes verò usura octo, sex vel etiam quatuor pro centum, sicut ex *l. eos. C. de usuris*. interpretatur *Less. l. 2. c. 20. n. 33.* has tamen leges non excusare à peccato (nisi quatenus interesse *lucri cessantis*, vel *damni emergentis*, aut justa ratio *periculi* concurrat) contra Carolum Molinæum loco supra citato communiter sentiunt Catholici DD.

Sed iidem DD. concedunt, ad vitandum majus malum valere legem, quæ certum modum usuris statuat, non quod exinde usura licita reddantur, sed ne usurarii sub alio prætextu *lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi*, nimium à debitoribus extorqueant. Prout hodie in Imperio passim usitatum est, ut §. pro 100. exigantur, quare qui secundum talem moderationem usuras exegerit, in foro externo, quantum ad penas non censetur usurarius, eo quod præsumatur, has usuras non esse merè *lucratorias*, sed *compensatorias* *lucri cessantis vel damni emergentis*, cum quilibet ex 100. facile annuatim possit §. lucrari, si pecuniam emendis prædiis aut alteri honesto negotio applicet.

Interim tamen, si pecunia reverà apud mutuantem fuisset otiosa, & nihil sua intersit, eam mutuo dari, volunt plerique, talem in foro interno seu conscientia (ubi non ex præsumptione, sed ex veritate proceditur) haud esse immunitem ab usura, præsertim si debitor necessitatis causa non *lucris & utilitatis*, sicut paulo superius diximus, pecuniam mutuum acceperit, videatur Henr. Canif. *de usuris. c. 1. n. 9.* ubi ex verbis Reclusus Depuratorum Imperii Spiræ celebrati Anno 1600. & à Rudolpho II. confirmati, demonstrat, Jure Imperii §. pro 100 tantum ex præsumptione *lucri cessantis vel damni emergentis* permitti.

11 Præterea in *c. 1. b. t. in 6.* graviter, & sub censuris prohibet Pontifex, ne Christiani, præsertim Ecclesiastici, in suis terris alienigenas exercentes usuras habitare permittant: & mortaliter adversus Justitiæ legem peccare Magistratus, ait Paul. Laym. in *Theol. morali. lib. 3. tractat. 4. c. 6. sub n. 4.* qui Judæis aut aliis, usurarum licentiam dant cum obligatione seu pacto magni tributi solvendi, ex hoc enim cooperantur peccato usurarum, & inde fit, ut ad solvendum istud tributum Judæi vel alii usurarii usuras augere & pauperes magis opprimere cogantur.

12 Demum pro coronide hujus §. etiam inquirendum est, an non tantum creditor peccet exigendo usuras, sed etiam debitor eas promittendo? Negativa satis vincitur ex *c. arbitratores. 6. X. de Jurejurando*. ubi dicitur, quod debitor, qui sub juramento promissit, solvere usuras, teneatur hoc juramentum servare, quamvis postea auctoritate Magistratus creditor compelli debeat, ut usuras restituat. Unde subsumentur, obligatio, cui accedens juramentum validum est, & servandum, non est peccaminosa, quia juramentum cum peccato & contra bonos mores non est obligatorium juxta regulam *48. juris. in 6.* sed huic obligationi, qua debitor promittit solvere usuras, potest accedere juramentum validum, & servandum, ergo &c. Et quidem quod debitor non peccet peccato usura, res per se clara est, neque enim ipse lucrum ex mutuo querit cum alterius gravamine, sed ipsemet gravatur, & alteri in re sua lucrum concedit. Tota verò difficultas est, an non peccet debitor tanquam complex & consentiens peccato creditoris?

toris? Nam si debitor usuras non promitteret, creditor exigere non posset, Apostolus vero ad Rom. 1. c. in fine consentientes peccato æquiparat peccatum facientibus. Nihilominus dici potest, illum consensum esse peccatum, qui non tam ex necessitate, quam ex complacentia peccati procedit, vel qui est causa peccati in altero. At debitor promittens usuras nec habet complacentiam in peccato usurarum, vellet enim mutuum gratis accipere; nec movet creditorem ad usuras exercendas, cum is aliàs ita constitutus supponatur, ut sine usuris credere pecuniam nolit, sed necessitate magis accipiendæ pecuniæ consentiat, veluti si latroni exigenti pecunias promittat, utique per hoc non diceretur peccaminosè in peccatum latrocinii consentire.

§. II.

De specialibus quibusdam Pactis an sint usuraria?

S U M M A R I A.

- 1 An oporteat interesse in pactum deducere?
- 2 Propter periculum aliquando potest aliquid exigi ultra sortem.
- 3 Explicatur c. naviganti de usuris.
- 4 Montes pietatis an usurarii?
- 5 Disputatio de pacto antichrysis.
- 6 Pactum de retrovendendo an licitum.
- 7 Olla fortuna excusatur ab usura & ab iniquitate, non tamen expedit Reipub.
- 8 Venditor ob dilatam solutionem an possit pretium augere.
- 9 Sitne licitum emere chirographa debitorum pro minori pecunia.
- 10 Examinatur prolixus contractus censualis.
- 11 In specie de censu personali, & qualiter differat à mutuo.
- 12 De Cambio, & ejus lucro.

Quæritur primò, an interesse lucri cessantis, vel damni emergentis possit à creditore statim tempore dati mutui in pactum deduci? Respondeo affirmativè, nam quod justè possum exigere, possum etiam in pactum & obligationem expressam deducere. Imò si creditor ab initio hoc interesse in pactum non deduxerit, ex postfacto non poterit id aliter ab invito debitore petere, quàm si debitor in mora fuerit, hoc est, si interpellatus à creditore (qui voluit a se honestum lucrum querere, vel damnum emergens præcavere) non solverit, aliàs enim debitor rectè excipiet, si scivisset, tanti creditoris ob mutuam pecuniam interesse, se vel pecuniam ab ipso non fuisse mutuam accepturum, vel certè interpellatum fuisse illicò soluturum, si tamen mutuum ad certum tempus contractum sit, tunc elapso illo tempore si debitor non solverit hoc ipso & sine alia interpellatione constituitur in mora, nam dies interpellat pro homine, Laym. dicto loco. num. 10. Nav. in manuali. c. 17. sub n. 211.

Quæritur II. An, & quando ratione periculi mittendæ sortis, seu summa capitalis mutuata possit aliquid exigi? Plurimi DD. tam Recentiores, quam Veteres sentiunt, res suas exponere periculo ob gratiam alterius esse pretio æstimabile, cum nemo teneatur gratis pro altero curas suscipere, & res suas jactare, proinde creditorem citra iniquitatem posse aliquid pro hoc periculo exigere, si illud subeat mutuando debitori, & debitor vel non velit, vel non possit dare pignora, aut fidejussores in securitatem debiti, Less. lib. 2. c. 20. dubio 13. Covar. Arrog. Major. & alii apud Salas tract. de usur. c. 22. n. 33. ejusdemque sententiæ dicitur esse D. Thom. opus. de usur. c. 10. Qua ratione etiam sustineri possit talis contractus, si quis alicui det centum florenos eo pacto, ut si sacerdos factus fuerit, & beneficii obtinuerit, restituat centum & decem florenos, sin minus, nihil teneatur restituere. Item si quis mercatori trans mare eunti mutuet centum ea lege, ut si salvus redierit, reddat 120. si verò navis perierit, ipse vel ejus heredes nihil reddere obligati sint. Dummodo in his & similibus casibus verum & probabile periculum sit amittendæ sortis mutuatae, quodque periculum sit judicio prudentum virorum tanti valeat, quanti id æstimat mutuator, & pro eo ultra sortem petit.

3 Verùm contra hanc doctrinam pugnat expressus textus in c. naviganti. h. r. ubi dicit Pontifex. Naviganti, vel eunti ad mundinas cercam mutuans pecuniæ quantitatem; pro Man. Parochor. P. Ludov. Engel.

eo, quod suscipit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. Diversi diversas excogitarunt hujus cap. interpretationes, ex quibus duæ mihi videntur præferendæ. Prima est, quòd in hoc textu omiſſa sit particula, non & legendum: usurarius non est censendus. quod valde arguunt verba sequentia, dum ibidem statim subjungitur; ille quoque, qui dat. 10. solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensura reddantur, que licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore sint valitura, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc usurarius reputari. Ecce hic in primis Pontifex per illam particulam collectivam, ille quoque, videtur inter hunc & priorem casum paritatem facere, aliàs enim posuisset particulam aliquam ad-versativam, v. g. ille verò aut ille è contra. deinde in posteriori casu propter periculum minuendi valoris earum rerum quas mutuator loco pecuniæ stipulatus est sibi dari, excusatur ab usura, ergo etiam & multò magis periculum amittendi totius capitalis ab usura excusabit, ubi enim eadem est ratio, eadem est juris dispositio.

Si verò alicui magis placeat servare verba pro ut vulgari-ter in Corpore Juris ponuntur, is dicere potest, secundo, textum in dicto c. naviganti, accipiendum esse de eo, qui ut possit aliquid ultra sortem lucrari, non vult aliter mutuare quam sub tali pacto recepti in se periculi, hic propterea usurarius saltem mentalis est, quòd cogat mutuatarium pecuniæ indigum tale pactum secum inire, qui fortassis mallet ipse periculum (quod sperat non adèò magnum futurum) subire, ne teneatur aliquid ultra sortem solvere. Ita hanc interpretationem ex Syl. Medina & aliis adfert Less. dicto c. 20. num. 116.

Quæritur III. Quid sint Montes pietatis, & qua ratione ab usura defendantur? R. Montes pietatis in Italia & aliis etiam locis esse usitatos, & dici æraria publicè constituta, ut ad ea indigentes quasi ad montem refugium habeant, ne magis ab aliis usurariis opprimantur. Nam ex his ærariis five montibus datur mutuum indigentibus ea lege, ut pro mutuo pignus relinquere cogantur, & intra certum tempus recepto pignore pecuniam mutuam restituere, ac insuper exiguum aliquid adjicere: sin autem inter tempus præfinitum debitum solutum non sit, pignus vendi possit, ut detracta sorte, exiguoque illo adjecto residuum de æstimatione pignoris debitori restituatur.

Porro quia ut dictum debitor ex his montibus accipiens mutuum tenetur præter sortem etiam aliquid saltem modicum adjicere, olim valde dubitabatur, an hoc institutum montium non esset usurarium censendum? sed Leo in Concilio Lateran. sess. 10. una cum ipso Concilio hos montes tanquam pium institutum approbavit concedens indulgentias adjuvantibus & erigentibus, pro ut in Tom. 4. Concil. habetur. Item Concilium Trid. sess. 22. de reformatione c. 8. 9. & 11. inter præ loca etiam montes pietatis numerat. Ratio verò, quòd isti montes usurarii non sint, ea redditur, quòd in eis ultra sortem aliquid detur non tanquam lucrum ex mutuo, sed pro sumptibus necessariis ad montis conservationem pro stipendio ministrorum, qui montem administrant, & semper parati esse debent ad mutuandum, ad pignora recipienda, custodienda, pro libris rationum cæterisque necessariis.

Quæritur IV. Quid sit pactum antichrysis, & an citra usuram fieri possit? R. Antichrysum esse pactum inter creditorem & debitorem, ut creditor tam diu pignore uti, & fructus ejus lucrari possit, usque dum sibi pecunia mutuo data à debitore restituatur. Antichrysis enim græcè significat contractum sive mutuum usum rei scilicet in pignus concessæ pro usu pecuniæ mutuo datæ, textus & DD. in l. si pecuniam. 33. ff. de pignoratitia act. & l. si is qui. 11. §. 1. ff. de pignoribus. de hoc igitur pacto magna est controversia, an sit usurarium censendum? Enim verò pro negativa (quam sustinet Alciatus libro 2. d. c. 3. & alii apud Minsyngeram Com. 6. observ. 71. & And. Gail. lib. 2. observ. 3.) militat aliquot argumenta, primò, quòd pactum antichrysis differtè approbetur in dicta l. si pecuniam. & l. si is qui. item in l. si ea. 17. C. de usuris. secundo in c. 1. X. de feudis dicitur, dominum lucrari fructus ex re feudali sibi à vasallo oppignorata. Tertio in c. salvatiter. 16. h. r. dicitur Pontifex, quòd maritus pro dote uxoris sibi debita accipiens à focero pignus lucretur fructus hujus pignoris, & non teneatur, ob fructus interim ex pignore perceptos minorem dotem acceptare. Quarto nihil videtur continere iniquitatis, si creditor ex fructibus pignoris lucrum faciat propter culturam & curam, quam in illis serendis & colligendis impendit, arg. §. si quis à non domino. 35. Inst. de rerum divisione. ubi dicitur, bonæ fidei possessorem ex re aliena lucrari fru-

Etus saltem consumptos propter culturam & curam, quam rei alienæ subhibuit. Quinto denique, si creditor emerit pignus pro ea summa, quam mutuare vult, cum pacto, ut pro eodem pretio liceret debitori quodocunque placuerit redimere, validum esset pactum, & creditor haberet rem, ex eaque fructus perciperet, usque dum sibi à debitore pretium redderetur. l. 2. C. de pactis inter empt. & vendit. ergo si hoc licet creditori per pactum emptionis, licebit etiam per pactum *antichrysis*; vel enim utrumque est justum, vel neutrum, cum utriusque idem sit effectus, neque una via debeat permitti, quod alia prohibetur juxta regulam 84. juris in 6.

Verum contraria sententia & quoddam pactum *antichrysis* regulariter usurarium reputetur, apud Theol. cum D. Thom. Cajet. Soto, & aliis, ac Juris Canonici interpretes hactenus prævaluit teste Hen. Canif. de usuris. c. 5. num. 15. Paulo Lay. dicto. c. 16. n. 17. quibus ad stipulatur Panor. in c. 1. n. 2. h. t. & Covar. var. resolut. l. 3. c. 1. n. 3. fundamentum est in c. 1. & 2. h. t. ubi aperte deciditur, fructus pignoris sine usura non cedere lucro creditoris, sed imputandos esse in exonerationem sortis, quatenus deinde minor fors, seu minus capitale restituatur, quo plures fructus ex pignore percepti sunt. Etenim ut præcedenti §. dictum usura est, quidquid ex mutuo pretio æstimabile per pactum creditor lucratur, sed hic per pactum *antichrysis* mutuo accedens lucratur fructus pignoris, ergo &c. Huc etiam facit lex. l. 2. & 3. C. de pignoratitia actione, ubi clarè constituunt Imperatores, ut fructus pignoris in sortem imputentur. Ita tamen hæc sententia declaranda est, ut fructus non possint cederemero lucro creditoris. Secus autem si quosdam fructus velit retinere jure compensationis, scilicet ratione lucri cessantis, damni emergentis, suscepti periculi, vel expensarum in custodiendum pignus, vel colligendos fructus factarum, non enim dicuntur fructus nisi deductis expensis. l. fructus. 7. ff. soluto matrimonio.

Ad argumentum superius in contrarium allata responderi potest, & quidem ad primum, l. si pecuniam cum aliis civitatis, nihil relevare, eo quod leges Civiles permittentes usuras, ac usurarios contractus abrogentur per SS. Canones. Clem. unica h. t.

Ad secundum dicitur, speciale esse in feudo, ut Dominus ex eo sibi à vasallo oppignorato fructus lucretur per d. c. 1. X. de feudis. & c. conquestus. h. t. quod & idem de emphyteusi asserunt DD. dummodo interea vasallo servitia, si quæ ex feudo præstare debeat, & emphyteutæ canon remittatur. Rationem verò specialitatis assignat Hostiensis & Panor. in d. c. 1. quoddam hæc sit natura feudi, & emphyteusis, quam habet ex prima sui institutione, conventionione, vel consuetudine, cum enim in feudo & emphyteusi directum dominium maneat penes dominum, & tantum utile transeat in vasallum, & emphyteutam, per oppignoracionem verò res tota revertatur ad dominum, videtur convenientius, ut ea potius ipsi domino, quam alteri fructificet.

Tertium similiter singulare est, quoddam maritus ex re pro dote uxoris oppignorata fructus lucretur, idque ob compensationem lucri cessantis; nam si dotem ipsam haberet, ex ea fructus omnes lucraretur propter onera matrimonii, quæ subire debet, l. dotis fructus. 7. ff. de jure dotium. ergo cum istud justum lucrum fructuum dotialium ob dotem non solutum marito absit, merito compensationem facit ex fructibus rei pro dote debita oppignorata, prout idem facere posset creditor quilibet in pignore, si sua interesset ratione lucri cessantis vel damni emergentis, ut dictum.

Ad quartum respondet Henr. Canif. de usuris. c. 5. n. 25. quod sibi imputare debeat creditor, qui culturam & curam ex contractu illicito in rem alienam impendit, ut propterea idem creditor non *bonæ fidei*, sed *malæ fidei*, possessori sit potius comparandus, qui ob culturam & curam nullos proventus fructus lucratur, sed universos restituere tenetur. l. certum. 22. C. de rei vindicatione, & licet fortè creditor fuerit in errore juris putans, fructus pignoris posse ex pacto suo lucro acquiri, nihilominus sciendum est, errorem juris non prodesse, acquirere & lucrari volentibus, l. Juris. 7. ff. de juris & facti ignorantia.

6 Ad quintum dicendum, inter emptionem pignoris cum pacto redimendi, & inter pactum *antichrysis* magnam esse differentiam. Nam si creditor pignus emerit, deponitur qualitas creditoris mutui, & pignoris, & emptor efficitur *Dominus*, & fructus lucratur jure domini ex re sua. Et deinde re empta casu fortuito v. g. incendio pereunte non potest amplius repetere pretium, quia res perit suo domino; 2000. l. ff. de periculo & commodo rei vendita. quæ

omnia se aliter habent in pacto *antichrysis*, ubi creditor non efficitur dominus pignoris, & consequenter fructus percipit ex re aliena, atque pignore sine sua culpa pereunte nihilominus pecuniam mutuam repetere potest. Interim licet emptio cum pacto redimendi ordinario jure permissa sit, d. l. 2. C. de pact. inter empt. & venditor. & etiam *antichrysis* hoc pacto, sicut & aliis titulis, ex quibus justè aliquid ultra sortem exigitur, cohonestari possit, teste Laym. in Theol. moral. lib. 3. tr. 4. c. 16. n. 17. id tamen procedit, si omnia bona fide agantur, si nimirum res juxta pretio vendatur, & creditor non sit solitus usuras exercere cogens debitorem pecuniæ indigum ad talem contractum aliàs non mutuaturus; nam ex modicitate pretii, consuetudine senerandi, & si rem intra certos annos non licuerit venditori redimere, aliquando emptionem cum pacto redimendi censeri contractum *usurarium*, & præsumi tantum fictam emptionem, in effectu autem esse mutuum cum lucro ex pignore, textus sunt in c. ad nostram de emp. & vendit. c. 4. de pignoribus. l. 3. C. plus valere quod agitur &c. & videri poterit Fachin. l. 2. Controv. c. 12.

Similiter, si quis contenderet, *antichrysin* posse reduci ad aliquem contractum *innominatum*, do tu des, facio ut facias &c. concedo tibi usum mei prædii, ut mihi concedas usum tuæ pecuniæ &c. id fortassis transiret, si nihil in fraudem usurarium attentaretur, & contractus *innominatus* (qui certam legem non habet, sed totus ex conventionione & præscriptis partium verbis dependet & regulatur. L. 3. & seqq. ff. de præscript. verb.) ita clausuletur, ut neutri parti gravis sit, & notabiliter, præsertim ratione periculi interitus, à mutuo differat, possunt enim contractus *innominati* naturam nominatorum assumere, L. 5. ff. de præscript. verb.

Queritur V. Utrum Olla fortunæ passim in Germania usitata contineat usuram vel iniquitatem, si exempli gr. aliquis pro sex crucigeris extrahat schedam signatam, & is qui præest ollæ, debeat ipsi dare rem valentem centum flor. e contra, si alius imponat 30. flor. & pro illis meras schedas vacuas recipiat?

Respondeo, Ollam fortunæ satis probabiliter *ab usura*, & *iniquitate* defendi posse; *ab usura* quidem, quia non intervenit contractus mutui, in quo solo propriè committi usuram superius in §. 1. diximus. etenim hæc olla fortunæ non immeritò ad contractum emptionis & venditionis revocari potest, in quo pecunia pro pretio, & spes rei accipiendæ pro merce sit, prout in l. nec emptio. 8. §. aliquando. ff. de contrahenda emptione. Aliquando, inquit jurisconsultus, sine re emptio intelligitur, veluti cum quasi alea (id est casus, fortuna, vel eventus dubius) emitur, cum captus piscium, avium vel missilium emitur, etonim emptio contrahitur: nisi nihil incidit, quia spei emptio est, & hinc qui v. g. à piscatore vel aucupe pro imperiali emerit, quoddam media die capturus est, tenetur solvere pretium, et si nihil captum sit; & e converso piscatur & aucups tenetur tradere, quod cepit, et si longè plus æstimetur. *Ab iniquitate* quoque defendi potest olla fortunæ. dummodo de cætero fraudes in signatione, impositione vel extractione schedarum non committantur: quia in ea pretium non metimur secundum valorem rei extractæ, sed juxta spem & incertitudinem lucri vel damni. Verum licet olla fortunæ in se & cæteris paribus nec *usuraria* nec *iniqua* sit, quia tamen non longè abest à *usu alearum*, qui prohibetur in toto tit. de aleatoribus. & multa circa eam fraudes committi possunt, atque curiosi pecunias prodigunt. illi verò, qui erigunt ollam, pecunias extra civitatem & Provinciam avehant, idèò à prudentibus Magistratibus non semper tales olla tolerantur.

Queritur VI. Utrum usuram committat, qui rem carius vendit propterea, quod pretium non statim numeretur, sed ejus solutio in aliud longius tempus differatur? R. cum Panor. & aliis in cap. in civitate 6. h. t. talem contractum in foro quidem externo rariùs censeri nomine *usurarium*, cum non sit formale mutuum, in quo solo propriè usura committitur, in foro tamen interno sæpiùs esse *usuram*, eò, quod hæc venditio saltem in effectu & implicite contineat in se mutuum, & venditor censetur *brevi manu* pretium emptori usque in tempus solutionis destinatum sub usuris credidisse & mutuasse, sicut tamen aliàs in mutuo propter lucrum cessans vel damnum emergens potest aliquid ultra sortem accipi, ita etiam in hoc venditionis contractu poterit venditor rem pluris æstimare, si sua intersit pretium non statim solvitur. Et præterea si dubium sit, an res vendita tempore solutionis sit plus vel minus valitura, & venditor non fuisset eam priùs venditurus nisi in singularem gratiam emptori, propter istud dubium etiam venditor ab usura excusatur in dict. cap. 6. & cap. ult. vers. ille quoque. h. t.

9 *Quæritur VII.* An usurarius, vel illicitus sit contractus, si quis alienum debitum, nomen, seu Chirographum emit, aut sibi cedi faciat pro minore quantitate, quam in se contineat, verbi gratia si pro debito 1000. floren. numeret 600.

Resp. Imprimis satis tum jure, tum usu receptum esse, credita seu (ut iurisperiti appellant) *Nomina* & Chirographa tanquam mercem idoneam posse in contractum emptionis deduci etiam invito debitore, *l. nominis, C. de hereditate vel actione vendita, l. i. C. de novat.* dummodo sint debita liquida, nam alienas lites, & debita illiquida seu controversa, & litigiosa emere sevetè in jure prohibuitur est, *text. & interp. in l. diversas, & l. ab Anastasio, C. mandati, t. r. C. de litigiosis, Pan. ad cap. fin. X. de alien. judic. mut. caus. facta VVesemb. ad tit. ff. de hered. vel act. ven.* Et quidem si in ejusmodi debitis ambigua (de facto, non de jure) aut difficilis sit executio solutionis, ita ut pecunia sine molestiis, vel sumptibus à debitore acquiri non possit, vel in favorem venditoris expositum pretium potuisset emptor aliorum cum majori lucro applicare, & sic *lucrum cessans*, vel *damnum emergens* cum tali emptione concurrat, omnes consentiant, quòd debitum arbitrio boni viri consideratis omnibus circumstantiis possit etiam longè minoris emi, quam in se contineat.

Verùm si debitum facile obtineri possit, nec propter pretium aliquid *interfit* emptoris, non est una omnium sententia, an tale debitum minoris emere liceat? Resp. Esse distinguendum, an facilitas solutionis proveniat ex qualitate ipsius debiti, ut quia debitor semper paratus est illud solvere; vel an tantum ex qualitate emptoris, ut quia is ex speciali Principis gratia, vel alio singulari medio solutionem obtinere potest, quæ aliàs ægrè obrineretur.

Primum casum magis speculativum, quam practicum censet Card. Lugo de *l. & l. tom. 2. disp. 36. sect. 7. §. 1. nu. 96.* quòd vix contingat debitum emi sine omni difficultate exactionis, periculo, vel interesse, si tamen contingeret, ut v. g. creditor pecuniæ indigus ob repentinum discessum, vel aliud repentinum accidens mox à debitore habere non posset, ideòque alteri pro parata pecunia suum creditum liquidissimum venderet, ipse putarem tutius fore in conscientia, non licere tale debitum minoris emere, sicut cum Medina, Sylv. & aliis docet Lessius de *l. & l. lib. 2. cap. 21. nu. 71.* nam inter mercem & pretium debet esse æqualitas, non est autem æqualitas si v. g. pro 100. dentur 90. & aliàs multæ usuræ palliari possent, si usurarius diceret, se nolle mutuare, velle autem ab illo, qui mutuum petit, emere chirographum 100. flor. pro 90 & sic in effectu nihilominus 10. pro 100. lucraretur. Non est tamen omninò erroris damnanda altera sententia, quæ concedit aliquanto modicè minùs pretium dari: quòd communi hominum æstimatione minùs valere censetur pecunia futura, quam præsens, sicut minùs est, actionem habere, quam rem, *l. minus 150. ff. de reg. jur.* neque emptio sine omni prorsus commodo celebrari solet, Innoc. & Pan. in *c. in civitate de usur. Nav. in Man. c. 17. n. 230.*

In secundo casu, quando facilitas solutionis per accidens provenit ex persona emptoris, existimat Less. *d. l. num. 76.* & Molin. de *l. & l. tract. 2. disp. 36.* posse debitum emi citra injustitiam secundum illam æstimationem, quam considerata difficultate solutionis communiter apud alios, & in foro habet, illud enim justum rei pretium censetur, quo communiter apud homines æstimatur, sicut in simili, qui gemmam sine omni suo labore, & sumptu inventam aut donatam accepit, potest absque injustitia eam tanti vendere, quanti communiter solet vendi ab iis, qui similes gemmas magnis sumptibus conquirunt, fatetur tamen Lessius sæpè peccare tales emptores saltem contra charitatem (quòd etiam grave peccatum est, quamvis ordinariè ad restitutionem non obliget) si miseris, & indigentibus hominibus non majus pretium persolvant, cum ipsi nonnunquam ingens lucrum reportent. Item Officiales Principum, qui se in solutionibus debitorum difficiles exhibent, & ita indirectè cogunt creditores ad sua debita vili pretio vendenda, quæ ipsi coemunt, haud dudè graviter contra justitiam peccant, & ad restitutionem obligantur, Less. *d. l.* si enim possunt sibi solvere, poterunt utique & aliis, quibus ex justitia debetur, & si creditores velint ultrò propter publicam necessitatem aliquid remittere, profectò justius est, ut illa portio remissa accrescat ærario Principis pro publico bono, ne subditi gravioribus contributionibus onerentur.

Quid ergò, si creditor velit suum creditum minoris vendere, poteritne ab ipso debitore, sive is Princeps sit, sive alius, minori pretio emi? Resp. Si debitor ipse sit causa difficultatis solutionis, utique sine iniquitate & onere restitutionis emere minoris non poterit, secus verò, si propter ino-

piam aut alium casum totum solvere nequeat, tunc enim non apparet, cur debeat esse deterioris conditionis, quam quilibet alius extrinsecus, Nav. *d. l. Less. d. l. n. 70.*

Advertendum tamen, si in præmissis casibus, & juxta dicta aliquid contra charitatem vel justitiam peccetur, hoc peccatum non statim esse reducendum ad usuras, & usurarum pænis, quia in emptione, & non in mutuo committitur per tradita superius §. 1. nu. 2. nisi in fraudem usurarum mutuum tali aliquo contractu pallietur.

Quæritur VIII. Quid sit contractus censualis, an & quando usurarius judicandus? Censuræ veteri jure Romano a consensu seu æstimando dicebatur æstimatio patrimonii subditorum, unde tributum Cæsari vel Magistratui solvere tenebantur, *l. forma, ff. de cens. l. 2. & 3. C. eodem* sed & ipsum quoque tributum census vocabatur juxta illud *Matth. 22. licetne censum dare Cæsari, &c.* de jure verò Canonico & ad propositum *census* vel *contractus censualis* est jus per emptionem aut similem contractum acquisitum redditus annuos ex re, vel industria aliena provenientes percipiendi. Dico, ex re vel industria. Nam *census* dividitur in *realem* & *personalem*. *Realis census* est, qui fundatur super certa re una vel pluribus, e. gr. si à Titio emam jus percipiendi illos redditus, quos ipse annuatim ex domo vel prædiis suis percipit, quare hic census cum *realis* sit, & rei inhærens comitatur rem ad quemcunque possessorem deveniat, sicut servitus ad aliud onus reale.

Personalis census est, qui fundatur super certa persona, quæ se obligat ad annuam pensionem, non tam respectu certæ rei, quam potius respectu lucri acquisiti ex propria industria, puta si illa persona exerceat negotiationem, opificium aut artificium; nisi quod subinde ad debiti securitatem certus fundus hypothecæ subiciatur, non tamen cum jure, ex illo fundo fructus percipiendi.

Uterque census tam *realis* quam *personalis* plerumque solet habere pactum *redimendi*, ut scilicet ille, qui census ex re vel industria sua vendidit, possit hunc census rursus redimere, si emptori pretium pro venditione census acceptum denuò restituat. Imò frequenter census ex *utraque parte redimibilis* constituitur, ita ut non tantum venditor possit restituto pretio census redimere, & se vel res suas ab hoc onere liberare, sed etiam ipse emptor possit venditori rursus jus suum cedere, ab eoque pretium pro census datum repetere.

Verum quia talis contractus censualis prima fronte nihil videtur differre à mutuo sub usuris contracto, quia & in mutuo debitor mutuum acceptum pro libitu restituere, & creditor illud repetere potest, interim usuræ annuæ & pensiones ex mutuo præstandæ sunt, ideò inspiciendum est, utrum tales contractus censuales sine peccato usuræ sustineri valeant? Resp. itaque *primò* census *realem* ex parte solius venditoris redimibilem esse contractum licitum & non usurarium, per expressam declarationem Pontificiam in *extravag. 1. & 2. de empt. & vend. inter com.* dummodo census eo pretio ematur, quòd consuetudo loci vel Magistratus justum decrevit, prout consuetudine Germaniæ receptum, ut 5. floreni annui redditus emantur pro centum florenis.

Est etiam inter hunc contractum *censualem*, & inter *mutuum* notabilis differentia, quæ ex communi DD. sententia aperte colligitur in citatis extravagantibus, nam in *mutuo* bonis, & facultatibus debitoris casu aliquo pereuntibus nihilominus pecunia mutuata cum usuris repetitur, at verò in *contractu censuali* seu emptione *census realis* si res, ex qua redditus annuus sive census emprus est, intereat, census quoque, & facultas repetendi pretium interit.

Similiter si propter sterilitatem aut aliam causam res censualis non tantos fructus proferat, ut integræ pensioni sufficiant, non tenetur debitor seu venditor census totum censum solvere, nisi antecedentium aut subsequentium annorum fertilitas talem sterilitatem compenset. Cujus ratio est, quòd hic contractus emptionis sit, emptione autem perfecta periculum in re empta contingens ad emptorem pertineat, *toto tit. ff. de periculo & commodo rei vendite.*

Non etiam obstat, quòd contra hunc contractum censualem objici solet, nimirum esse contra naturam pecuniæ & emptionis, ut una pecunia alia pecunia ematur, cum pecunia sit tantum pretium ad alias res comparandas; item emptionem esse tantum de præsentibus, in contractu autem censuali hic & nunc nulla res præsens sit, quæ ematur. Nam dicendum est, in contractu censuali non emi pecuniam tanquam mercem, sed jus percipiendi pecuniam, prout etiam alia jura incorporalia rectè emuntur, & venduntur. Unde quia istud jus futuris temporibus percipiendi pecuniam statim tempore emptionis à venditore census conceditur emptori, ideò hoc respectu satis res empta præsens dici potest. Veluti & fructus in agris, partus ex animalibus in futurum nasci-

nascituros jure vendi probatur *ex l. nec emptio, §. ff. de contrahenda emp.*

Quod si census *realis* non tantum ex parte venditoris, sed etiam emptoris, & sic utrinque *redimibilis* constituitur, adhuc tamen non improbabiler ab usura defendi potest, contractus enim ex conventionem legem accipiunt, *c. contractus 85. de reg. jur. in 6.* & illarum differentiarum inter mutuum, & talem contractum paulo ante enumeratas adhuc permanent.

Verum quidem est, quod ex constitutione Caroli V. in Comitibus Augustanis facta sub tit. *de usurar. contract.* ad censum licitum requiratur, ut ejus redemptio non sit in arbitrio emptoris, sed solum venditoris, nihilominus id intelligi potest, quod in foro externo nonnunquam ex tali pacto usura, & *paliiatum mutuum* presumatur, quæ presumptio non habet locum in foro interno, si omnia bona fide agantur, & periculum intereuntis rei censualis penes emptorem maneat præterea similes conditiones quatenus ea prohibent, quæ juri naturali non adversantur, non ubique esse receptas, asserit Paul. Laym in *Theol. Mor. lib. 3. tract. 4. c. 18. sub no. 6.* Attamen in loco ubi non esset consuetudo censum utrinque redimibilem constituere, tutius foret à tali contractu abstinere propter illam fori externi presumptionem, & scandalum aliorum, ac periculum usurarum intentionis.

II Resp. II. Censum quoque *personalem* præsertim à solo venditore redimibilem (probabiliter etiam utrinque redimibilem per ea quæ mox de censu reali diximus) ab usura plurimi DD. defendunt. Si enim aliæ præstationes super sola personam industria constitui possunt, prout fit in tributo Magistratui solvendo, in decimis personalibus, in contractu societatis, &c. non apparet ratio, cur idem in censu *personali* fieri nequeat, cum de æquivalentibus idem sit judicium, *L. ultima ff. mandati.* Differt autem hic contractus a mutuo. I. Quod constitui non possit, nisi cum tali persona, quæ ex sua industria lucrum facit. II. Si ex causa persona censualis lucrum facere amplius non valeat, pensiones quoque annuæ amplius non solvantur. III. Si census ex parte solius venditoris redimibilis sit, iterum differt à mutuo, quia mutuum non tantum debitor sponte solvere, sed etiam creditor ab invito debitore petere potest.

Imò non desunt magni nominis DD. qui censum *personalem* & *realem* constitui posse affirmant cum pacto *asservationis*, ut nimirum venditor suscipiat in se periculum interitus, & re censuali pereunte, vel lucro ex industria personæ sine culpa ejus cessante venditor non quidem annuos census persolvere, sed tamen capitale seu pretium census restituere teneatur. dummodò hæc obligatio venditoris ipsi aliquo modo compensetur scilicet pretium census augendo, vel, quod in effectu idem est, minorem censum exigendo. Ita namque in alijs contractibus aperto jure concessum est, ut contra naturam contractus periculum ex speciali pacto ad alterum pertinere possit, puta in commodato ad commodatarium, in deposito ad depositarium, *c. unico. de commodato. l. 1. ff. de depositis.* Verum contra hunc censum *personalem*, & pactum *asservationis* adducitur Bulla Pij V. quæ incipit; *Cum omni Apostolica servituti.* cui tamen similis responsio aptari potest, quæ superius circa constitutionem Carolinam data est. Prolixius hanc materiam *de censibus* tractat Laym. *d. l. c. 18.* & *Cov. variarum resolut. lib. 3. c. 7.* Hein. *Canif. de usur. c. 11.* Lessius *de J. & J. lib. 2. c. 22.* alique apud eos citati.

Quæritur VIII. & ultimum, quid sit *Cambium*, & quo titulo ex eo lucrum acquiri possit? Negotiatio ista pecuniaria, quæ *cambium* dicitur passim nota & usitata nihil est aliud, quam permutatio pecuniæ pro pecunia, in qua ille qui rogatur, ut pecuniam commutet, *campfor*, ille verò qui rogat & ad cujus gratiam pecunia commutatur *Campforarius* appellari solet; prisco enim vocabulo *cambire* vel *campfare* idem quod *permutare* significabat, sicut ex Prisciano refert Cov. *de colatione veterum numismatum c. 7. n. 4.* Licet verò etiam in mutuo pecunia pro pecunia detur, id tamen non fit causa permutationis, neque statim tempore contractus in mutuo, sicut in cambio pecunia unius datur pro pecunia alterius, sed solus creditor numerat pecuniam, ut in futurum vel eandem, vel aliam ejusdem generis, & bonitatis recipiat, cum ergo *cambium* à mutuo differat, consequens est, quod lucrum ex cambio quæsitum nomine *usurarum* censi non debeatur, nec usurarum penis subjaceat videamus tamen breviter, ex quibus causis aliquod lucrum citra iniquitatem ex cambio percipiatur.

Est autem præsciendum, *cambium* dividi in *manuale* sive *minutum*, & in *cambium locale*. *Cambium minutum* seu *manuale* dicitur, quando pecunia unius formæ aut materiæ permutatur cum pecunia alterius formæ aut materiæ v. g. crucigeri aut sestertii pro taleris, vel aureis, moneta Germa-

nica pro Italica, Hispanica &c. dicitur *minutum*, quia plerumque minor moneta commutatur pro majore, & *manuale*, quia statim in eodem loco & tempore de manu ad manum vicissim pecunia numeratur.

Locale cambium est, quando pecunia præfens commutatur cum pecunia stante in alio loco, quod cum ordinariè per litteras fieri soleat, per quas *campfor* mandat suo correspondenti, ut *campfor* certam pecuniæ quantitatem, quam ipse *campfor* jam hic verbi gratia Salisb. accepit, numeret Romæ, ideo etiam *cambium per litteras* appellatur. Idque præcipue ob utilitatem itinerantium inventum est, ne cogantur pecunias cum magno periculo, & incommodo secum continuò deferre.

Porrò in *cambio minuto* si v. gr. aurei pro crucigeris commutandi sint, solent *campfores* aliquid au *starii* loco exigere, & frequenter pro quolibet aureo sestertium vel grossum, causas hujus exactionis DD. aliquot allegant, prima est locatio operæ & obsequii, siquidem *campfor* debeat semper paratas habere diversi generis pecunias, quemlibet ad *cambium* in suam domum intrmittere, inde se & famulos hujus negotii expertos alere, quod maximè procedit circa *campfores*, quibus obligatio tale *cambium* exercendi pro publica hominum utilitate à Magistratu imposita est, secunda causa, est *lucrum cessans*, vel *damnum emergens*, ut si *campfor* propofuerat nummos aureos alio deferre ubi plures valent, & alibi merces emere, ubi alia moneta longè carius emuntur, &c. Tertia, puritas materiæ, quæ communi hominum judicio imperialis vel ducatus purus nihil habens de cupro admixtum pluris æstimatur, quam moneta impura. Nec obstat, quod quidam opponunt, æstimationem materiæ non esse in potestate subditorum, sed Principis monetam eudentis. Nam respondetur nummos alio modo æstimari a Principe, & alio à subditis: à Principe quidem nummi *formaliter* considerantur, ut nummi sunt, & quatenus mensura rerum censualium, & solutionis debitorum: à subditis verò in cambio, & commutatione *materialiter*, & ut res sui patrimonii, quæ in se meliores vel deteriores sunt. Hinc etiam pro quarta causa assignant antiquitatem, raritatem, commoditatem conservandi, numerandi, vel deferendi monetam. Quinta denum esse potest, usus seu expendibilitas, ut si in aliquo loco commutentur nummi, qui possunt ibi expendi cum iis, qui expendi non possunt, isti enim cum non habeant ibi pretium vel valorem, minoris æstimantur.

Sed & in *cambio locali* *campfores* aliquod lucrum facere consueverunt, ita ut si in exemplo *campfor* hic Salisburgi numeraverit *campfori* centum imperiales, Romæ tantum accipiat nonaginta quinque, & quinque cedant lucro *campforis*.

Hoc verò lucrum dummodò usitatum in aliquo loco *cambii* modum, qui communi hominum æstimatione non reputetur iniquus, non excedat, communiter defendunt DD. Inprimis enim *campfores* pro itinerantium utilitate solent ad hoc operas suas locare, famulos & scribas alere, libros rationum tenere, aliosque sumptus facere. Deinde *campfor* virtualiter saltem transfert pecuniam de loco ad locum, & liberat *campfor* ab onere, sumptibus, ac periculis, quæ ipse in transferenda pecunia subire deberet, quod obsequium merito pretio æstimabile censetur. Plura de *cambiis* videri poterunt apud Less. *de I. & L. lib. 2. c. 23.* ubi difficultates pleræque circa *cambia* satis exactè pertractat.

§. III.

De Restitutione & Pœnis Usurarum.

S U M M A R I A.

- 1 Obligatio restitutionis incumbit usurariis etiam mentalibus.
- 2 Cur & an non idem in Simonia mentali.
- 3 Jure Can. etiam hæredes tenentur restituere.
- 4 Excusatio à restitutione.
- 5 Res emptæ ex pecunia usuraria, non est restitutioni obnoxia nisi deficientibus alijs medijs.
- 6 Contra tertium possessorem non datur actio.
- 7 Aliæ pœne usurariorum.
- 8 Parochi sine judicio ordinarii non debent aliquem usurarium condemnare.
- 9 Oblationes quando recipiendæ ab usurariis.

10 Ad sepulturam non recipiuntur nisi præstita satisfactione, vel cautione.

11 Nec testamenta eorum valent.

12 Jurium imperiti, qui juxta communem modum sub nomine mutui accipiunt aliquid ultra sortem, qualiter frequenter ab usura excusari possunt.

1 Sicut quilibet iniquus rei alienæ detentor ad restitutionem tenetur, nec absolvitur peccatum, nisi restituatur ablatum, *cap. peccatum de reg. jur. in 6.* ita etiam usurarii ante omnia cogendi sunt ad restitutionem eorum, quæ per usuras contra jus naturale, divinum & humanum acquisiverunt. Et cum usura rapinæ instar sit, *c. si quis usuram 14. qu. 4.* idem usurarii in utroque foro tam interno quam externo ad restitutionem adigi debent. In foro tamen externo non aliter quis ad restitutionem cæterasque usurariorum pœnas condemnandus est, quam si fuerit usurarius manifestus, scilicet per rei evidentiam, confessionem judicialem aliasve legitimas probationes convictus; Ecclesia enim & alii judices externi non judicant de occultis, ne quandoque innocentes pro nocentibus puniantur, *c. cum tu, 5. h. l. ultima, Cod. de probat.* In foro autem interno nulla opus est probatione, sed sua quemque conscientia arguit. Hinc etiam non tantum realis usura, quæ aperto usurario pacto commissæ est, sed & sola mentalis in conscientie foro ad restitutionem obligat, per textum & DD. in *cap. consultuit 10. b. t.* dicitur autem mentalis usura, quando creditor non fuisset aliter pecuniam daturus indigo debitori, nisi ipse debitor vicissim vel sine omni pacto externo, vel ex pacto aliquo simulato, & quoad externam speciem non usurario, lucrum creditori concessisset. Exempla defumi possunt ex §. 1. versiculo Dico quarto, & ex §. 2. qu. 2. & secunda interpretatione, *cap. naviganti*, & ex eodem §. 2. qu. 4. in responso ad quintum argumentum.

2 Verùm hic non levis est difficultas, quare in simonia mentali sufficit sola pœnitentia & dolor erga Deum illud peccatum expiare sine restitutionis obligatione, ut communiter tradunt Interpretes in *ultimo de simonia*. & non similiter in usura mentali? Inter varias explicationes quas adferunt DD. illa videtur capiti facilior, quam refert Barb. in *dicto cap. consultuit. n. 4.* quod in usura mentali injuria fiat debitori qui invitus, & necessitate coactus solvit, in simonia verò mentali quæ sine expresso pacto fit, plerumque ille, qui pro spiritualibus aliquid temporale offert, non sit necessitate restrictus. Imò si ponatur casus, ut v. g. Clericus in necessitate constitutus non possit aliter impetrare beneficium ad sui sustentationem, quam si liberalem oblationem faciat Episcopo, vel Patrono aliàs sibi non collaturo, tunc æquè restitutionem faciendam esse in simonia hac mentali, quam in usura mentali non improbabiler docet Dominicus Sotus de *justitia & jure. lib. 9. q. 8. artic. 1.* neque etiam ex textu *d. c. ult. de simonia*. qui obscurior est, & diversas interpretationes admittit, contrarium evincitur.

3 Cæterum restitutio usurarum vel debitoribus per usuras læsis, vel heredibus eorum, aut in istorum omnium defectu pauperibus facienda est, *d. c. cum tu. 5. b. t.* Ex adverso quoque non tantum ipsi usurarii, sed etiam heredes eorum, usuras restituere tenentur. Quamvis enim de Jure Civili heres non teneatur ex delicto defuncti, nisi quatenus ex illo delicto ad heredem pervenit, & inde locupletior factus est, vel si lis cum defuncto contestata fuerit. ut tunc non tam ex delicto, quam ex quali contractu lris contestatæ conveniatur, *L. unica. C. ex delicto defuncti, quemadmodum heres teneatur, &c.* De Jure tamen Canonico heres ad exonerationem conscientie defuncti tenetur pro viribus hereditarijs omnibus illis satisfacere, quibus defunctus damnum intulit, licet ex illo damno hereditas aucta non sit, *c. ult. de sepulturis c. in litteris. de raptoribus*. Et cum hæc res salutem animæ concernat, & naturalis ratio suadeat, ut contra justitiam læsis damnum ex bonis ipsius lædentis compensetur, idem hanc constitutionem Juris Pontificij etiam in terris Imperij observandam esse non attentata lege Civili, rectè docet Henr. Canif. de *usuris. c. 7. sub n. 4.*

4 Ab hac tamen restitutione excusat notoria paupertas usurarii, vel heredum ejus, usque dum ad pinguiorem fortunam deveniant, *l. nam si nullam ff. de dolo. & d. c. 5. b. t.* Item si debitor ipsemet solutus sit usuras exercere, non audietur contra suum creditorem restitutionem usurarum petens, nisi & ipse prius alijs cum quibus usuras exercuit, restitutionem fecerit, nam frustra legis auxilium invocat, qui in legem peccavit, *c. q. 1. frustra. b. t.*

5 Sed quid si creditor ex pecunia usuraria domos vel prædia emerit, anne hæc tanquam sua debitor vel heres ejus petere

poterit sicut potuisset ipsam pecuniam usurariam? *v. de Jure rem non succedere in locum pecuniæ*, propterea qui ex aliena pecunia etiam inscio vel invito Domino rem aliquam emit, sibi acquirat hujus rei dominium, non alteri, cujus pecuniæ fuerunt, nisi quod ei aliam pecuniam reddere teneatur; per textum expressum in *l. qui aliena. 8. C. si quis alteri vel sibi &c. & lege si ex ea 6. C. de rei vindicatione*. Si tamen creditor non habeat alia media satisfaciendi debitori propter usuras, tunc cogetur talia bona vel in solutum dare, vel vendere, & de pretio usuras malè acceptas compensare, *d. c. 5. b. t.*

Quod si talia bona jam in tertium alienata sint, contra hunc tertium possessorem probabilis debitori nulla actio competit, non personalis, quia cum eo nihil contractum fuit: Nec etiam realis hypothecaria quia non habemus legem, quæ hypothecam in tali casu concedat, nisi fortassis debitor cum quo usura exercita, pupillus aut minorennis fuerit, qui alibi in re ex pecunia sua comparata tacitam hypothecam habet, *l. idemque. 7. ff. qui portiones in pignore. vel Ecclesia, hæc Jure minoris utitur. c. 1. de in integrum restit.* vel nisi alienatio in tertium facta sit in fraudem debitoris, cum creditor usurarius sciret se aliunde debitori per usuras læso satisfacere non posse, tunc enim res alienata revocabitur secundum ea, quæ traduntur in toto *1. ff. quæ in fraudem creditorum. Cov. variarum resolut. lib. 3. c. 3. sub n. 6.*

Præter obligationem restitutionis aliæ quoque pœnæ in usurarios constitutæ sunt, ut primò infamia Juris. *l. improbum fecimus. C. ex quibus caus. infam. irrogatur.*

Secundò privatio officij, & depositio in Clerico usurario, *c. 1. & seq. 14. q. 4.* poterit tamen Episcopus post restitutionem & peractam pœnitentiam cum tali Clerico dispensare, *c. ad si Clerici. §. de adulterijs. de judicis. Gl. in c. præterea. v. suspendas. h. t.*

Tertiò Laicos usurarios Episcopus excommunicare potest, & prohibere, ne eorum oblationes tanquam malè quasitæ in Ecclesijs recipiantur, sub pœna ut Ecclesiastici tales oblationes recipientes ab officio suspendantur, & ad restitutionem acceptorum teneantur, *c. 3. & c. præterea h. t.* quod tamen intelligendum est, si aliqui usurarios manifestus sit, aut tanquam usurarius in judicio convineatur, & si appareant illi, quibus per usuras damnum datum est, aliàs in dubio absque declaratione Episcopi à privatis Parochis nemo tanquam usurarius facile proclamandus est, criminalia enim, quæ altioris indaginis sunt, & magnum præjudicium, ac pœnas juris secum trahunt, nec Parochus, nec Decanus ruralis judicare, sed ad Episcopum referre debet, *Trid. sess. 24. de refor. c. 20.*

Quod si etiam nulli amplius existant debitores, vel hæredes eorum, à quibus usura extorta sunt, tunc in horum defectu oblationes, maximè quæ in sustentationem pauperum cedunt, faciendas & recipiendas esse habetur in sæpè dicto *c. 5. h. t.* & insinuat, *Luc. 16. c. ubi Christus dicit: facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.*

Quartò usurarii manifesti ad Ecclesiasticam sepulturam non admittuntur, antequam usuras pro modo & possibilitate facultatum suarum restituerint, aut saltem cautionem de restituendo præstiterint præsentibus illis, quibus usura debentur, aut in istorum absentia coram loci Ordinario, proprio Parocho, vel Notario, *cap. 2. b. tit. in 6.* imò in articulo mortis, & casu necessitatis, quando Ordinarius loci, Parochus vel Notarius haberi non potest, quemlibet Sacerdotem, qui tunc temporis à peccatis absolvere potest, etiam idoneum esse ad recipiendam talem cautionem, ut eam postea referat Episcopo, docet *Syl. in verbo restitutio, §. 6. q. 1. & Nav. in Man. c. 13. n. 218.*

Quintò testamenta, & ultima voluntates usurariorum non valent, nisi ante mortem usuras restituerint, vel de restituendo idoneam cautionem dederint, *dist. cap. 2. b. tit. in 6.*

Demùm hoc loco notandum est, quod homines rudes & indocti, qui ex sua pecunia lucrum, & pensiones annuas accipiunt juxta eum modum, quo alii viri honesti, & probi facere consueverunt, non sint facile de usura condemnandi, quamvis ipsi non intelligant, quo Jure vel titulo tale lucrum sibi habere liceat, cum enim lucrum ex pecunia variis ex causis honestari valeat, ut propter lucrum cessans damnum emergens, implicitum pactum societatis, emptionem census &c. satis censei possunt in bona fide, qui proborum virorum imitantes exemplum sibi proponunt, non aliter quam justo, quo fieri potest, titulo lucrum ex pecunia quaerere.

Imò licet indocti contrahendo utantur verbo mutui, vel ger-


germanicè *aubleichen* nihilominus cum non intentio verbis, sed verba intentioni deservire debeant, *c. 2. requiris, de appellatione*. idè ex mente istorum, qui omni meliori modo, quo de jure fieri potest, contrahere intendunt, similes contractus in effectu non tam mutuum, quàm societas implicita cum pacto assurationis (quod fieri potest si pro tali periculo assurationis socio relinquatur majus lucrum, cum contractus ex conventionem legem accipiant) vel emptio census realis aut personalis judicari debent, præsertim quia apud Germanos ille terminus valdè generalis est, & omnem ferme concessionem significat, ita docet Laym. *lib. 3. tract. 4. cap. 18. num. 11. & 13.* cum Less. Valen. & Majore *ibid. cit.* aliàs enim innumeri condemnandi forent, non tantùm Laici, sed & Ecclesiastici, qui sub nomine & titulo *aubleichen* ultra sortem seu capitale annuatim 5. vel 6. pro 100. exigunt, nec lucrum cessans, nec damnum emergens, nec morale periculum interituri capitalis propter assurationem pignoris & fidejussorum habent, & solum lucrum quærunt, *ne pecunia otiosa sit*, & sanè si iniquitatem non à verbis, & ab effectu metimur, haud esset rationabile, indoctum qui sub nomine *mutui* vel *aubleichen* accipit 5. pro 100. usurarium asserere, & doctum qui sub nomine *census* idem facit, absolvere. Meminisse tamen oportet, quod semper hætenus monui, multos contractus excusari posse, in quibus aliquid ultra sortem acci-

pitur, si fiant cum eo, qui ex mea pecunia negotiatur, & honestum lucrum quærat, ut mihi hujus lucri partem tribuat, veluti in contractu societatis expresso vel implicito, in quo alter pecuniam, alter industriam confert, contingit, aut si verè reditus annuos ex re vel industria habeat, quos sine damno suo vendere possit. Secùs autem, si contrahatur cum debitore indigente, qui tantùm ad sublevandas necessitates suas mutuum pecuniam accipit, & si reditus ex rebus vel laboribus suis provenientes vendere non possit, debeat defectum necessariæ sustentationis pati, & paulatim profus ad inopiam delabi cogatur, cum tali enim non est materia, vel merces, scil. lucrum aut reditus, super quibus possit fundari emptio census, vel societas. Quòd si ab initio contractus habuerit ex re vel industria reditus, & hi sine culpa sua defecerint, hic defectus vel interitus ad emptorem census spectat, ut is censum exigere non possit, sicut etiam superius dictum. Caveant igitur divites, ne pro transitorio, & plerumque ingratis hæredibus relinquendo lucro animæ detrimentum patiantur, thesaurizent sibi potiùs thesauros in cælo, faciant Christianæ Charitatis erga indigentes officium, & adimplere student illam Christi sententiam Luc. 6. *Benefacite, mutuum date, nihil inde sperantes.*

Hæc demùm omnia ad laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, Deiparæ Virginis, S. Josephi, S. Caroli, S. Benedicti, atque S. Ivois, omniumque Cœlituum honorem dicta, S. Matris Ecclesiæ, & cujusque meliori Judicio lubens submitto.



F I N I S.



347

ENGLIA

In

Jus Cano

RECIPI

2481

3.531